HORATIUS.

11-E-50

QUINTI HORATII FLACCI

OPERA.

EXPURGATA ET ACCURATIS NOTIS ILLUSTRATA

IN USUM

STUDIOSAE JUVENTUTIS

EDITA

A

BERNARDO SCHWINDL

CIST. ORD. PRESBYTERO, ET CLASSIUM HUMANITATIS IN C. R.

GYMNASIO NEOSTADIENSI PROFESSORE P. O.

TOMUS I.

VIENNAE.

SUMTIBUS FRIDERICI VOLKE LIBRARII.

TYPIS ANTONII STRAUSS.

1825.

ÚSTŘEDNÍ KNIHOVNA
PRÁVNICKÉ FAKULTY UJEP
STARÝ FOND
Č. inv.: 01284

Praefatio.

Ex quo nova Gymnasiis Austriacis forma per decretum Caes. Reg. data est, praeter alia in id quoque curam suam extenderunt viri, quibus suprema studiorum humaniorum per Austriam inferiorem directio commissa est, ut adcommodatae studiosis auctorum classicorum editiones parentur. Huic curae praestantes editiones Eutropii, Cornelii Nepotis, Julii Caesaris a Cl. Hohlero factas deberi, non est, quod multis commemorem.

De Horatio quoque edendo cogitatum. Editiones operum ejus, quibus viri, tam antiquiores, quam recentiores, multiplici eruditione praediti, et imprimis auctorum classicorum Latii et Graeciae cognitione profunda insignes, notas vel criticas, vel exornantes adfixerant, plurimas omnino, easque adcuratissimas exstare, ut adeo vix novi quid aut emendatius his addi posse videatur, nemo vel mediocriter his in literis versatus

ignorat. Ast quae adhuc exstant editiones principis hujus lyricorum, utut cetera praestantes ac eximiae, vel ob notarum criticarum prolixitatem, vel ob exemplarium raritatem et pretium majus, vel ob textum minus castum, vel denique ob notarum interpretantium defectum minus idoneae videbantur, quae Gymnasiorum nostrorum studiosis juvenibus humanitatis classium ad promovendam lectionem privatam commendari possent.

Ut ejusmodi editionem parandam susciperem, animum mihi addiderunt viri, studiosorum juvenum necessitatibus consulere cupientes. Quid in hac editione praestiterim, ingenue exponam oportet.

In deligendis carminibus eorumque partibus Juvencii carmina expurgata, paucissimis tantum immutatis, sequutus sum. In iis locis autem, in quibus diversae editiones, quas inspexeram, lectionum varietate discrepant, eas lectiones elegi, quas ad explicationem sententiarum aptissimas esse, et ingenio poëtae maxime convenire censebam, nullas plane, pro fine meo utpote superfluas, criticas animadversiones adjungens.

Cum praeterea ad intelligendum Horatium haud parum conferre sciam, si lector doceatur, quo tem-

pore, quave occasione scripta sint singula carmina: hinc, ut illius animus ad horum lectionem praeparatus accedat, omnibus odis, satyris, et epistolis speciatim argumentum, quod totius carminis contextum, idearumque nexum breviter exprimat, una cum occasione quatenus id vel e carmine ipso, vel ex aliis historiae illius temporis circumstantiis cum verisimilitudine quadam erui poterat, exemplum aliorum interpretum poëtae imitans, praefigendum putavi.

In interpretatione vero ipsa odarum in specie celeberrimi Domini Mitscherlich [1]), qui hanc partem operum poëtae tanta cum laboris impensa explicuit et exornavit, vestigia ita trivi, ut cuncta, quae ad scopum praefixum facere videbantur, in usum meum convertere non dubitaverim. Ceterum etiam Jani [2]), Juvencii [3]), Heindorfi [4]) et Doeringii [5]) adnotationes ad manus mi-

1) Quinti Horatii Flacci opera, übersetzt von J. H. Voß. 2 Thle. Braunschweig.

2) Christian David Jani, ehemahligen Rectors zu Eisleben, erklärende Anmerkungen zu Horazens Oden, Satyren, und Episteln. 3 Bde. Leipzig 1795.

3) Horatii Flacci carmina expurgata, et accuratis notis illustrata auctore Josepho Juvencio, societatis Jesu sacerdote. Venetiis 1795.

4) Des Quintus Horatius Flaccus Satyren, erklärt von L. F. Heindorf. Breslau 1815.

5) Q. Horatii Flacci opera omnia recensuit et illustravit Frid. Guil. Dörring. Lipsiae 1824. Tom. II.

hi fuisse, ex iisque multa in rem meam me transtulisse fateor.

Si forsitan in exponendo sensu nonnunquam prolixior fuisse videar, me tironibus in foro classicae literaturae minus exercitatis consulere voluisse meminerint, quaeso, benevoli lectores.

Quod ea denique attinet, quae ad mythologiam, geographiam et historiam antiquam, tum ad antiquitates Romanas, in scholis nostris publice traditas, respiciunt, et proinde pro cognitis jam sumi poterant, illa breviter tantum in memoriam revocanda esse duxi.

Haec praefanda putavi. Quodsi opella hac mea id effecero, ut studiosi juvenes Horatii, de cujus praestantia tot virorum clarissimorum testimonia conveniunt, lectionem eo libentius adgrediantur, omne me punctum tulisse arbitrabor.

Datum Neostadii mense August. 1825.

B. Schwindl.

Quinti Horatii Flacci Vita.

Quintus Horatius Flaccus, anno Romae 689, L. Aurelio Cotta, et L. Manlio Torquato Consulibus, Venusiae, in confinio Apuliae et Lucaniae, nec longe ab Aufido fluvio, natus est, patre Libertino. Is, cum ex coactoris opera, in exigendis auctionum pretiis egregie navata, commode viveret: quodque vir sagax filii laetam indolem et acre perspexisset ingenium, eum Romam portavit adhuc puerum; honesteque vestito, magistros eligens in urbe doctissimos, servos etiam addidit, qui sequerentur. Itaque inter equitum liberos, senatorumque, liberalissime educatus, ea didicit omnia, quae isti tanto digniores, clarioresque docebantur; summa interim cura advigilante, ac ferme omnibus locis praesente, optimo patre, ne quid accideret, quod filii mores corrumperet. Qua custodia factum, ut per eam aetatem, non modo pudicum servaret, verum ab omni turpitudinis suspicione alienum. Humanitatis et eloquentiae studiis Romae imbutus, Athenas petiit, quae jam acceperat, perpoliturus, additurusque philosophiam. Vacabat illi, quando, post Caesarem occisum, Brutus Macedoniam petens, ac bellum meditans, annos natum 22, ex philosopho militem, imo tribunum militum fecit. Sed neutri ea res bene cessit. Horatius enim e schola recens, et armorum rudis, relicta, ut ipse confitetur, parmula, e Philippensi proelio fugit; Brutus vero eodem periit. Patrono itaque destitutus Horatius, et rebus necessariis carens, navi, quae prope mersa est ad promontorium Palinurum in Lucania, quam primum potuit, rediit Romam; ibique ad

eodem anno cum Maecenate; sed tamen post illum, aetatis suae 57. Romae vero 746. nimirum C. Marcio Censorino, et Asinio Pollione Coss. Humatum in Esquiliis tradunt, et quidem juxta Maecenatem; quem, cum in fundo proprio, magnatum more, tumulum sibi vivens pararet, etiam Horatio illic suo posuisse, plus quam verisimile est.

Testimonia Veterum de Horatio.

Ovidius Lib. IV. Trist. Eleg. 10:

Et tenuit nostras numerosus Horatius aures:
Dum ferit Ausonia carmina culta lyra.

Persius Satyra I:

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, et admissus circum praecordia ludit;
Callidus excuso populum suspendere naso.

Quintilianus Lib. X. cap. 1. Lyricorum Horatius fere solus legi dignus. Nam et insurgit aliquando, et plenus est jucunditatis et gratiae, et variis figuris et verbis felicissime audax.

Q. Horatii Flacci
Carminum
Liber primus.

Ode I. *)
Ad Maecenatem.

Occasio et argumentum.

Est ista ode dedicatoria librorum lyricorum, quos offert Maecenati Horatius, exponens, se in poëseos studio sibi maxime placere, praecipue si Maecenatis judicio probetur. — Quisque habet: ait, quod sequatur, in quo beatum se existimet, studium. Alium gloria et honorum amplitudo, divitiae alium tenent. Hic sorte sua contentus vitam degit; ille habendi cupiditate flagrat maxima, dum alius, rerum omnium securus, genio suo indulget. Militia hos, illos venatio delectat. Ego vero poësin sector, solique huic vaco: quae si tibi probabitur, summam inde poëtae lyrici gloriam, tantum enim judicio tuo tribuo, me assequutum arbitrabor.

Metrum Asclepiadeum.

— — | — ⏑ ⏑ — | — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑̄ |

Maecenas [1]), atavis edite regibus,
O et praesidium [2]) et dulce decus meum!

---

*) Ode. Vide praec. eloq.

1) Maecenas oriunde, descendens a majoribus, qui olim reges fuere. Maecenatis nempe a gente Cilnia Aretinorum, quae Lucumones seu duces Etruriae, Romanis reges adpellatos, ex se haberet, genus deductum satis constat.

2) Tutela mea, gloriaque suavissima: talis enim viri amicitia Horatio erat praesidio; praeterea dulce omnino fuerat a tali viro amari, et dici eum, quem tantus vir magni faciat.

Sunt [3]), quos curriculo [4]) pulverem Olympicum
Collegisse juvat; metaque [5]) fervidis [6])
Evitata rotis, palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad Deos.
Hunc [7]), si mobilium turba Quiritium
Certat tergeminis [8]) tollere honoribus.
Illum, si proprio condidit horreo,
Quidquid de Libycis [9]) verritur areis [10]),
Gaudentem [11]) patrios findere sarculo
Agros, Attalicis [12]) conditionibus
Nunquam demoveas, ut trabe Cypria [13])
Myrtoum [14]) pavidus nauta secet mare.

---

3) Sensus: Reperias quosdam, quos delectat pulverem Olympicum excitare curru, hoc est: qui alia re nulla magis delectantur, quam victoria in ludis Olympicis parta. De Olympia Graeciae urbe, et ludis in vicinis huic urbi campis, quovis quarto anno, seu proprie quinquagesimo quovis mense habitis vide Geogr. et hist. antiquam. Per ludos Olympicos autem intellige ludos Romanos et praecipue magnos seu Circenses, de quibus plura in antiquitatibus.

4) Curriculum accipe vel pro exiguo curru et veloci, vel pro ipso spatio, in quo currus incitatur.

5) In extrema Circi spina erant metae seu lapideae columellae, formam coni habentes, ad quas quum aurigae venissent, continuato impetu quadrigas septies circumflectebant, sic, ut, cum proxime accederent, evitarent tamen contactum.

6) Rotae prae celeritate ferme fervidae fiunt.

7) Sensus: Hunc, si Romani populi favor facile commutabilis evehere conatur ad summos honores; et illum alium, si in horrea sua coëgerit frumenti copiam, quanta ex Libyae areis coacervatur, dum agros sibi a patre relictos gaudii plenus sarculat; ne regis quidem Attali proposita fortuna unquam adduces, ut institutum vitae genus relinquat, et nauticam artem plenam periculi et pavoris exerceat, et navi se committat in Myrtoo mari.

8) Idem ac triplex. Quidam intelligunt summas dignitates: Consulatum, Praeturam et Aedilitatem, quidam autem in genere de summis honoribus intelligendum esse putant.

9) Africa dicta quoque est Libya, et frumenti ferax erat.

10) Quidquid in Africa est frumenti, unius horreis condere, est hyperbole.

11) Id est: Gaudentem vita rustica nunquam dimoveas.

12) Attalus fuit rex Pergami in Asia minori ditissimus, ita, ut ejus opes in proverbium abierint.

13) Id est: nave, e trabibus in insula Cypro maris mediterranei sectis, facta.

14) Inter Cretam, Peloponnesum et Euboeam pars maris Aegei, a parva insula Myrto dictum mare Myrtoum; vel etiam ut alii volunt: a Myrtoo

Luctantem [15]) Icariis [16]) fluctibus Africum
Mercator metuens, otium et oppidi
Laudat rura sui: mox reficit rates
Quassas, indocilis [17]) pauperiem pati.
Est [18]), qui nec veteris pocula Massici [19]),
Nec partem solido [20]) demere de die
Spernit; nunc viridi membra sub arbuto
Stratus [21]), nunc ad aquae lene caput [22]) sacrae.
Multos [23]) castra juvant, et lituo [24]) tubae
Permistus sonitus, bellaque matribus
Detestata [25]). Manet [26]) sub Jove [27]) frigido

Oenomai regis Arcadiae auriga, quem ille in hoc mare praecipitem dejecit.

15. Sensus: At mercator, cum timet ventum Africum, cum fluctibus Icarii maris veluti certantem, eosque huc illuc impellentem, laudat quidem rusticam vitam et urbanam, ut otiosam et tutam: idem tamen, quia paupertatem pati non potest, naves naufragio laceratas reficit, ut iterum se mari committat; adeo abstinere a mercatura nequit.

16. Mare Icarium est pars Aegei maris, in quam Icarus Daedali filius decidisse fertur. Myth.

17. Indocilis pati, est graeca constructio: qui nullis periculis doceri potest, ut patiatur paupertatem, et careat lucro, quod navigatione licet periculosa colligit.

18. Sensus: Alius genio et voluptatibus indulget, nec spernit, hoc est: libenter potat vinum generosum, quale Massicum est, neque recusat partem aliquam de solido die, id est, integro, resecare, quam scilicet epulis tribuat, nunc humi stratus sub quadam viridi arbuscula, nunc ad sacrum fontem leni murmure aquas fundentem.

19. Massicus mons est in Campania, ubi vites optimae.

20. Solidus dies hic intelligitur, qui totus negotiis datur, nulla corporis cura, aut animi relaxatione interjecta; nam Romani cibum fere non sumebant, nisi sub vesperam; bonam partem ergo solido de die demere idem est, ac diem quasi in duas partes dividere, quarum una detur negotiis, altera vero compotationi.

21. Graeca constructio pro: membris stratis jacens.

22. Caput aquae et origo est ipse fons; sacri autem erant fontes apud antiquos, et numen aliquod iis inesse putabatur.

23. Multis bellum placet.

24. Lituus, Zinke, buccina longior et directa equitum, sono acuto; tuba vero peditum incurva et sono gravi.

25. Matres bella detestantur, execrantur, quia orbantur filiis.

26. Id est: alium tenet venandi studium; et pernoctat sub dio blandae oblitus sponsae venator.

27. Sub aëre frigido, sub dio; Jupiter enim apud Poëtas sumitur pro caelo, aëre et vento.

Venator, tenerae conjugis immemor,
Seu [28]) visa est catulis cerva [29]) fidelibus,
Seu rupit teretes Marsus [30]) aper plagas.
Me [31]) doctarum hederae praemia frontium
Dîs miscent superis: me gelidum nemus,
Nympharumque leves cum Satyris [32]) chori [33])
Secernunt [34]) populo; si [35]) neque tibias
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum [36]) refugit tendere barbiton.
Quod si me lyricis vatibus inseres [37]),
Sublimi [38]) feriam sidera vertice.

Ode II.

Ad Caesarem Augustum.

Occasio et argumentum.

Quum omnium fere populorum parum subtiliter adhuc de Diis, rebusque physicis philosophantium eundem hunc sensum deprehendere liceat, ut quasvis magnas calamitates a Diis ob scelus aliquod, ab ipsis vel a majoribus patratum, poenae loco infligi existimarint: populus

28) Sive canes sagaces et fidi cervam conspexerint, sive aper in plagas et retia inciderit, e quibus ruptis se extricaverit.

29) Cerva pro cervo, quemadmodum apud Graecos frequenter femellae pro maribus ponuntur.

30) Marsi, populus est Italiae. Marsus aper ponitur pro quolibet apro, forte quia in ea regione frequentiores erant.

31) Sensus: Ego vero carminibus delector, videor mihi superis esse aequalis, id est, beatissimus, si possum habere frontem hedera redimitam quod praemium est doctorum poëtarum. Hedera autem coronantur poëtae quia erant in tutela Bacchi, cui sacra hedera.

32) Satyri sunt Dii agrestes caprinis pedibus. Vide Myth.

33) Chorus multitudo canentium et saltantium. Vide praec. eloq.

34) Id est: Separant a plebe, reliquis hominibus praestantiorem me faciunt et excelsiorem.

35) Sensus: Siquidem Euterpe, Musa tibiae, libenter patiatur, me tibiis uti; et Polyhymnia, una etiam e Musis, odarum et hymnorum auctor, non vetet, me barbiti fila pulsare, id est: si modo mihi faveant Musae.

36) Lesbos est insula maris Aegei, ex qua oriundi Alcaeus et Sappho, insignes lyrico carmine. Est autem barbitos lyrae quoddam genus majus septem cordis; lyra autem minor tantum quatuor cordis instructa.

37) Adnumeres, adscribas.

38) Ero similis Superis, beatissimum me arbitrabor.

quoque Romanus Caesaris nece a. u. 710 iram Deorum provocaverat, quam prodigia portendebant; istisque mox insequuta sunt bella civilia, quibus Dii caedem Caesaris ulciscebantur. Quum vero his ipsis bellis civilibus novum scelus populus Romanus commisisset; novae bellorum civilium calamitates impendebant Reipublicae, nisi certis ceremoniis, sacrisque piacularibus ira Deorum averteretur. Quapropter Horatius hac ode a. u. 713 aut non multo post (tempus enim proprie ignoratur) scripta, varias calamitates tum physicas tum civiles urbis et orbis Romani post mortem Julii Caesaris describens, spem omnem restituendae Salutis in Augusto repositam dicit, illum unice Deorum irae mitigandae et reipublicae moderandae idoneum praedicans.

Metrum Sapphicum.

– ⏑ | – – | – ⏑ ⏑ | – ⏑ | – ⏓ |
– ⏑ | – – | – ⏑ ⏑ | – ⏑ | – ⏓ |
– ⏑ | – – | – ⏑ ⏑ | – ⏑ | – ⏓ |
– ⏑ ⏑ | – ⏓ |

Jam [1]) satis terris nivis [2]), atque dirae
Grandinis misit Pater [3]), et rubenti [6])
Dextera sacras jaculatus arces [4]),
Terruit [5]) urbem:
Terruit gentes, grave ne rediret
Saeculum Pyrrhae, nova monstra questae;
Omne quum Proteus [7]) pecus egit [8]), altos
Visere montes;

1) Sensus: satis jam poenarum exactum est a nobis, ut nos plane succumberemus.

2) Inter portenta Caesaris caedem sequuta numerantur: nix copiosa, imbres magni, Tiberis inundatio, tonitrua horrenda. Appianus narrat, plurimas sacras aedes et statuas fulmine tactas, ac saepe pluisse lapidibus, quam diram grandinem poëta vocat.

3) Id est: Jupiter.

4) Hic templa in Capitolio posita intelliguntur per arces.

5) Sensus: fecit, ut gentes timerent et urbs, ne rediret diluvium, quo tempore Pyrrha, Deucalionis uxor, conquesta est de prodigiis et monstris antea inauditis, quae tum contingebant v. g. quod pisces in montibus et summis arboribus degerent etc. Describitur itaque in hac artificiosa et valde pulchra digressione Deucaliontica inundatio.

6) Id est: rubentibus fulminibus armata dextra.

7) Proteus marinus Deus, Neptuni filius, phocarum pastor. Myth.

8) Egit visere, graece, pro: duxit ad visendos montes.

Piscium et summa [9]) genus haesit ulmo,
Nota quae sedes fuerat palumbis;
Et superjecto [10]) pavidae natarent
Aequore damae.
Vidimus [11]) flavum [12]) Tiberim, retortis
Litore [13]) Etrusco violenter undis,
Ire dejectum monumenta [14]) Regis,
Templaque Vestae;
Iliae [15]) dum se nimium querenti
Jactat ultorem, vagus [16]) et sinistra
Labitur ripa, Jove non probante [18]),
Uxorius [17]) amnis.
Audiet [19]) cives acuisse ferrum,
Quo graves Persae [20]) melius perirent;
Audiet pugnas, vitio parentum
Rara, juventus.

9) Id est: summo vertice ulmi.

10) Superjecto, id est: super terras effuso.

11) Sensus: Eandem et nos metuebamus inundationem, Tiberi alveo suo egresso, Romamque versus exundante.

12) Flavum, propter arenas turbidas, quas volvebat.

13) Litore, quo Tiberis Etruriam adluit, quod cum ripam altiorem haberet, aquas in oppositam partem magna vi repellebat et retorquebat.

14) Opus a Numa rege exstructum, quod a poëta ulterius designatur per aedem Vestae, a Numa rege exstructam in foro Romano. Hanc vero fluvium imprimis petere poëta fingit, quod ea ignem, aeternitatis imperii Romani pignus certissimum, servaret; qua itaque subversa, ipsa imperii firmitas subrueretur, atque laberet. Vide Myth. de Vesta.

15) Ilia, aliter dicta Rhea et Sylvia, mater Romuli fuit ex Marte, quae mortua sepulta est ad ripam Anienis, unde ejus cineres propulsae in Tiberim locum fecere fabulae dicenti: illam nupsisse Tiberi. Ab eadem Rhea Julius Caesar duxit originem, unus scilicet e Romuli nepotibus. Hanc igitur fingit Horatius graviter questam esse de Caesaris nece apud Tiberim, maritum suum, qui illi promiserat, se ipsius ultorem fore urbemque destructurum.

16) Vagus, id est: errans extra alveum. Vetus Roma tota erat ad sinistram Tiberis, quae declivior cum esset, majorem ad se aquae copiam traxit.

17) Id est: uxori nimium obsequens.

18) Non probante; terreri enim Romam volebat, non perdi Jupiter.

19) Interpretatur nunc portenta, et ex iis auguratur nova bella civilia dicens: Juventus olim nascitura, et rarior propter bella civilia, patrum scelere suscepta, in quibus multi viri perierant, audiet Romanos acuisse et in se convertisse arma, quae melius ab iis in Persas fuissent versa.

20) Infensi Romanis Parthi, qui Persarum vetus regnum tunc obtinebant, et molesti erant illis, incursionibus in dictionem Romanam ab oriente factis, ubi ante aliquot annos ingenti clade Crassum affecerant.

Quem [21]) vocet Divum populus ruentis
Imperii rebus? prece qua fatigent
Virgines sanctae minus audientem
Carmina Vestam [22])?
Cui [23]) dabit partes scelus expiandi
Jupiter? Tandem venias, precamur,
Nube candentes [24]) humeros amictus,
Augur [25]) Apollo.
Sive tu mavis, Erycina ridens,
Quam jocus, circumvolat, et cupido;
Sive [27]) neglectum genus, et nepotes
Respicis auctor,
Heu! nimis longo satiate ludo;
Quem [28]) juvat clamor, galeaeque leves [29]),
Acer [31]) et Mauri [30]) peditis cruentum
Vultus in hostem.

21) Sensus: Ut igitur tanta, quae reipublicae interitum minantur, mala avertantur, populus isto scelere novis sacris faciundis exsolvendus est. Sed quum nemo facile, qui omnis labis atque contagionis expers ista rite curare queat, reperiatur, Deo opus est, qui ea faciat. Quis autem Deorum hasce sibi partes injungi patietur? — Commemoratis deinceps Diis Romanorum tutelaribus in Mercurio subsistit, quem sub Augusti persona inter ipsos Romanos commorari, solumque reipublicae erigendae firmandaeque parem praedicat.

22) Caesar erat Pontifex Romanus et sacerdos Vestae, testante Ovidio; ideo indignabatur haec Dea, quae fuit maximum Romanorum numen tutelare, et non audiebat preces virginum Vestalium.

23) Sensus: Quum Vesta nostras preces respuat. Cui hoc munus injunget Jupiter, expiandi scelus nostrum?

24) Id est: nube tectos habens humeros candidos; Deos enim aliqua nube obvolutos exhibere solent poëtae, quum illi in terras delabuntur.

25) Quia Deus erat vaticiniorum, propterea Augur dicitur.

26) Cognomen Veneris a Monte Eryce in Sicilia. Myth. Eam autem invocat ut matrem Aeneae, a quo Juliorum familia.

27) Sensus: Seu tu o Mars, auctor et parens Romanorum, quia pater es Romuli, unde illi orti sunt, respicis et curas gentem tuam, quam videris neglexisse, quippe qui tam diuturno bello civili eam vexasti; ut cruento isto ludo possis esse jam satiatus.

28) Sensus: Qui delectaris clamoribus bellicis.

29) Id est: politae, tersae.

30) Mauri sunt Africae populi circa montem Atlantem; eorum regio Mauritania dicitur. De Mauris autem hoc in loco praecipue meminit, quorum fortitudo in bellis recentibus contra Jugurtham et Jubam perspecta fuerat.

31) Acer, id est: qui gaudes videre Maurum peditem truci vultu irruentem in hostem cruentum.

Sive [32]), mutata juvenem figura,
Ales [33]), in terris imitaris, almae
Filius Majae, patiens [34]) vocari
Caesaris ultor;
Serus [35]) in caelum redeas, diuque
Laetus intersis [36]) populo Quirini;
Neve te nostris vitiis iniquum [37])
Ocior aura [38])
Tollat. Hic [39]) magnos potius triumphos,
Hic ames dici Pater [40]), atque Princeps [41]);
Neu sinas Medos [42]) equitare [43]) inultos
Te duce [44]), Caesar.

---

32) Sensus: Sive tu o Mercuri, qui Majae filius es, exuta Dei figura, quam in Olympo geris, imitaris in terris juvenem Octavium, hoc est, ejus figuram humanam induis.

33) Id est: Alatos calceos seu talaria gestans. Myth. Favebat ille quoque Romanis, ut olim Trojanis; et idoneus Horatio visus est, qui Augusti vultum indueret, ob excellens ingenium ejusdem Augusti bonis artibus excultum, quarum praeses Mercurius est.

34) Id est: non recusans, probans. Dederat enim operam Octavius, ut lex ferretur de Caesaris nece vindicanda, eamque provinciam praecipue in se susceperat, ab eo videlicet in familiam et nomen adoptatus.

35) Sequuntur preces ad Augustum tamquam Deum factae; oratio autem in his ita est temperata, ut utrique, Mercurio et Augusto, conveniat.

36) Id est: Verseris in populo Romano, Quirinus est cognomen Romuli.

37) Id est: inimicum, iratum, aegre nostra vitia ferentem.

38) Id est: nec citius avoles.

39) Sensus: maneas inter nos, ut plures de hostibus triumphos agas, utque diutius amore populi Romani fruaris.

40) Augustus postea a Senatus Consulto Pater Patriae adpellatus est. Invitat igitur eum vates ad nomen hoc dulcissimum promerendum.

41) Principes civitatis dicebantur, qui Romanum populum sibi maximis beneficiis devinxerunt. Sexto Consulatu suo dictus est etiam Princeps Augustus.

42) Hoc est: Parthos, qui etiam Medis dominati erant, quosque domare meditabatur Caesar, cum est occisus. Optat ergo poëta, ut cladem M. Crasso illatam a Parthis ipse, defuncti Caesaris patris sui loco, aliquando ulciscatur.

43) Parthi maxime ex equis pugnabant.

44) T e d u c e, id est, te rempublicam administrante. Unde concludi potest, quo circiter anno haec ode scripta fuerit. Nimirum paulo post pugnam Philippensem a. u. 712 pugnatam, cui etiam Horatius interfuit, et in qua, caesis Bruto et Cassio, rerum summa Octavium spectare videbatur.

O d e III.

Ad navem, qua Virgilius Athenas proficiscens vehebatur.

Occasio et argumentum.

Referenda est ode ista ad a. u. 735, qua ex urbe solvens Virgilius Athenas concessit, effectam jam aeneidem ibi per otium expoliturus. Vix tamen eo venerat, quando Italiam ex Asia repetens Augustus eum secum reduxit. Verum cum aegrotare coepisset in ipsa navi, Brundusium adpulsus sequenti anno ibidem extinctus est, anno aetatis 51°. Virgilio itaque sibi carissimo felicem optat navigationem in Graeciam hac in ode. Tum ut ostendat, quam aegre ferat ejus absentiam, acriter in illum invehitur, qui primus mare tentasset; et exprobrat ejus projectissimam audaciam, qua viam hominibus natura praeclusam patefecerit, suaque sorte majora conando erga Deos ipsos impius fuerit. Hinc ulterius progressus alia temeritatis impiae exempla, e mythica aetate petita, cumulat, qua maxima mala, poenae loco a Diis inflicta, in homines redundaverint. Dum igitur Horatius, ira atque indignatione accensus, audaciam hominum tamquam plurimorum malorum, quibus humanum genus nunc prematur, fontem detestatur, hoc ipso doloris sui desideriique adfectum, qui carminis hujus sensus est primarius, vividissime declarat.

Metrum Glyconio - Asclepiadeum.

— — | — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏓ |
— — | — ⏑ ⏑ — | — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏓ |

Sic [1]) te Diva [2]) potens Cypri,
Sic fratres [3]) Helenae, lucida sidera,

---

1) Sensus: Utinam fausta sit Virgilii in Atticam navigatio! S i c t e, autem jurandi formula est, poëtis familiaris, et huic nostrae similis; Ita me Deus adjuvet! cui, cum semper aliquid desit, supplendum est fere istius modi verbis: ut ego hoc aut illud facturus sum.

2) Venus in Cypro, insula maris mediterranei, culta, et ideo nautis invocata est, quod, ut ait Ovidius: in mare jus habet orta mari.

3) Castor et Pollux, quorum peculiare munus erat hominibus naufragio periclitantibus succurrere. Cujus figmenti ratio in eo quaerenda videtur,

Ventorumque regat pater [4]),
Obstrictis [5]) aliis, praeter Japyga [6]),
Navis; quae tibi creditum [7])
Debes [8]) Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem, precor,
Et serves animae dimidium [9]) meae.
Illi robur [10]), et aes triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci [11])
Commisit pelago ratem [12])
Primus, nec timuit praecipitem [13]) Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec tristes Hyadas [14]), nec rabiem Noti [15]);
Quo non arbiter [16]) Adriae
Major, tollere, seu ponere vult freta.

---

quod in magna tempestate adpareant quasi stellae velo insidentes, quod nautis indicio est, frangi tempestatem, ventosque desinere. Quas stellulas quum Dioscurorum praesentiam atque auxilium manifestare antiqua sibi persuasum haberet religio; sane proclive erat, ut eandem hanc vim, quam globuli isti ignei praestare viderentur, sideribus, Castoris et Pollucis nomine insignitis, adtribueret. Vide etiam de Argonautis. Myth.

4) Ventorum pater est Aeolus. Myth.

5) Obstrictis, id est: inclusis.

6) Japix est ventus ex Apulia flans, opportunus navibus ex Italia in Graeciam solventibus. Apulia, vel ejus aliqua pars dicta est olim Japygia.

7) Id est: Tuae veluti fidei commissum et quasi apud te depositum.

8) Debes incolumem servare et restituere.

9) Ad vim amoris significandam dicuntur amici unam et eandem habere animam, quae in duobus corporibus, veluti divisa in duas partes, versetur.

10) Robur est dura quercus. Sensus: Habebat ille pectus conflatum e ligno durissimo, aut aerea lorica munitum.

11) Id est: irato tempestuoso pelago.

12) Ratem, id est, navem.

13) Id est: praecipiti impetu ruentem ventum Africum, qui in mari mediterraneo maximos motus concitat, cuique adversi sunt Aquilones, quapropter pugnantes finguntur a poëta.

14) Hyades, a ὑω, pluo; Suculae vero a Latinis vocatae, ab humore et succo, seu pluvia; sunt stellae in fronte tauri, ortu et occasu suo tempestatem et pluviam excitare creditae. Fabula docet: Eas Atlantis fuisse filias, quae fratris sui Hyantis, a leone interfecti, necem cum inconsolabiliter flerent, mutatae sunt in stellas, quae lacrymas etiam et aquas videntur amare. Myth.

15) Notus est ventus meridionalis Auster etiam dictus.

16) Quo non est major dominus maris Adriatici, seu fluctus et procellas tollere velit, seu componere et sedare.

Quem [17]) mortis timuit gradum [18]),
Qui siccis oculis monstra [19]) natantia,
Qui vidit mare turgidum [20]), et
Infames scopulos, Acroceraunia [21])?
Nequidquam [22]) Deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili
Terras, si tamen impiae
Non tangenda rates transiliunt vada.
Audax [23]) omnia perpeti [24])
Gens humana ruit [25]) per vetitum nefas.
Audax [26]) Japeti genus
Ignem fraude [27]) mala gentibus intulit:
Post ignem aetheria domo
Subductum [28]), macies, et nova febrium

---

17) Sensus: Isne praesentissimum mortis periculum timuit, qui nec timuit monstra etc. Variata autem hac oratione, et per interrogationem expressa, sententiae major vis accedit; simpliciter enim dici debuisset: nec timuit Africum, nec monstra etc.

18) Gradum, idem est ac, genus mortis.

19) Monstra natantia sunt belluae marinae, a quibus devorari, aliud genus mortis est.

20) Turgidum, id est, intumescens.

21) Acroceraunia: ab ακρος vertex et κεραυνος fulmen, ita dicti scopuli Epiri, quia fulmine saepe feriuntur, et famosi ob naufragia, quae ad eos frequenter fiebant. Epirus autem est regio in Graecia antiqua.

22) Sensus: Non solum audax is erat, sed etiam impius, naturae leges pervertendo. Deus enim volebat mari Dissiciabili, id est quod terras dissociaret, disjungeret, separaret, prudenter gentes alias ab aliis intercludere, praevidens, quanta inde in genus humanum mala redundaturae fuissent; attamen impiae naves, id est, quae contra Dei vetitum faciunt, et vada id est maria, vel maris litora, quae iste tangi vetuit, trajiciunt; in litoribus enim maris, ut in vadis, aqua non solet esse profunda, quam pedibus facile transmittas.

23) Sensus: ea vero humani ingenii est indoles, ut nonnisi vetita cum summo vitae periculo adpetat.

24) Adire, tentare, suscipere pericula omnia et perferre. Graeca constructio, pro: ad suscipienda.

25. Praeceps fertur ad omnia scelera et nefanda.

26) Praemissam sententiam generalem munit jam Horatius exemplis, eaque a mythis repetit 1um est Prometheus, Japeti filius, qui ad animandam hominis, a se effecti, figuram furatus est. Myth.

27) Id est: fraudulenter, et quidem damno hominibus exitioso.

28) Subductum, id est: furto clam subreptum domo aetherea seu caelo. Jam nunc sequitur: morbis varii generis genus humanum adfectum esse;

Terris incubuit cohors;
Semotique prius tarda necessitas
Leti corripuit [29]) gradum.
Expertus vacuum Daedalus [30]) aëra
Pennis non homini datis;
Perrupit [31]) Acheronta Herculeus labor [32]).
Nil mortalibus arduum [33]) est:
Caelum [34]) ipsum petimus stultitia [35]); neque
Per nostrum [36]) patimur scelus
Iracunda Jovem ponere fulmina.

Ode IV.

Ad L. Sextium.

Occasio et argumentum.

Est carmen hoc ad L. Sextium, qui in Bruti partibus fuerat, illiusque quaestor et perpetuus comes; mox etiam, quum Romam reversus, in Augusti amicitiam receptus esset, constans illius cultor atque laudator; quam amicitiae observantiam ac fidem ita honori ei duxit Augustus, ut quum a. u. 731 consulatu se abdicasset, eum in locum suum sufficeret. Incertum est autem, utrum in illo Sextii consulatu, sive postea hoc carmen scriptum sit, in quo ab ortu veris, cujus descriptio ad Italiae regionis naturam praeclare attemperata est, progressus, ejusque suavitate atque

---

sed poëta pro morbis ponit maciem seu tabem, omnibus fere morbis communem, et febrium cohortem novam, seu antea inauditam.

29) Corripuit, id est acceleravit. Homines, qui longissima gaudebant vita, nunc maturius longe moriuntur.

30) 2dum exemplum est Daedalus, qui ausus est se committere aëri, et volare alis, cera compactis, et ab homine alienis. Daedalum architectum fuisse ingeniosissimum, qui primus naves fabricavit, iisque vela addidit, indeque natam esse de illius pennis fabulam, constat ex Mythologia.

31) Sensus: Quia ipsa infera loca Hercules Cerberum extracturus adiit. Mythologia.

32) Labor, id est: Herculis robur et vis.

33) Id est: supra humanam conditionem positum, quo non homines adspirent.

34) Caelum oppugnarunt olim Gigantes; et superos impii omnes lacessunt peccando ac provocant.

35) Id est: propter nostram amentiam, audaciam.

36) Sensus: impedimus nostris sceleribus, quo minus iratus nobis Jupiter deponat fulmina in caput nostrum vibranda, ad nos puniendos.

laetitia, qua totam naturam perfudit, perfusus ipse atque exhilaratus poëta eosdem animi sensus in amicum suum transfundere conatur, eumque ad fruendas, quas vernum tempus secum ferat, delicias atque jucunditates, sedulo hortatur. Hinc naturali sententiarum ordine ad commune de vitae voluptatibus sectandis praeceptum deducitur, rationibus ab ipsius vitae previtate, omnibusque proposita moriendi necessitate et quod post mortem nihil, quod gratum ac jucundum sit, amplius sperare liceat, desumtis.

Metrum Archilochium.

— ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | — ⏑ | — ⏑ | — ⏓ |
— — | — — | — — | — — |
⏑ — | ⏑ — | — | — ⏑ | — ⏑ | — ⏓

Solvitur [1]) acris hyems grata vice [2]) veris et Favoni [3]);
Trahuntque [4]) siccas machinae carinas:
Ac neque jam stabulis gaudet [5]) pecus, aut arator igni;
Nec prata canis albicant [6]) pruinis.
Jam [7]) Cytherea [8]) choros [9]) ducit Venus, imminente [10]) Luna;
Junctaeque Nymphis Gratiae decentes

---

1) Mitescit, deponit suum rigorem et acerbitatem.

2) Vice, id est, successione grati veris.

3) Favonius idem est ac Zephyrus, qui omnino in terris australibus, ab occasu quippe flans, gratior est et amoenior.

4) Naves per hyemem in portu quiescunt, vel etiam in sicco litore sedent; exacta hyeme, machinis et funibus e litore in aquam trahuntur, ut navigatio repetatur. Carina pars navis infima, posita est pro integra navi.

5) Non amplius pecora in stabulis continentur, ut fit hyeme; sed gestiunt ea relinquere, uti agricola focum, ad quem hyemale tempus transegerat.

6) Id est: Albescunt, quum tecta sunt pruinis.

7) Quum antea hominum studia, vere redeunte excitata atque instaurata, memorasset, jam ipsam veris amoenitatem ejusque delicias suavissima imagine per Veneris Choreas cum Gratiis ac Nymphis ad lunam agitatas, declarat. Deos vero noctu loca amoena in terris obire, imprimis vero Venerem, in cujus comitatu essent Gratiae et Nymphae, terras invisere sub veris adventum veteres credidere. De Gratiis porro et Nymphis vide Myth.

8) Cognomen Veneris ab insula, quae adjacet Peloponneso (nunc Cerigo) Cythera, ubi Venus colebatur.

9) Choros, id est: Nymphas in orbem saltantes ducit.

10) Id est: splendente, vel lucente Luna.

Alterno [11]) terram quatiunt pede: dum [12]) graves [13]) Cyclopum
Vulcanus ardens [14]) urit officinas.
Nunc [15]) decet aut viridi nitidum [16]) caput impedire [17]) myrto [18]);
Aut flore, terrae quem ferunt solutae [19]).
Nunc et in umbrosis Fauno [20]) decet immolare lucis,
Seu poscat agna, sive malit haedo.
Pallida mors aequo [21]) pulsat [22]) pede pauperum tabernas,
Regumque turres. O beate [23]) Sexti,
Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam.
Jam [24]) te premet nox, fabulaeque Manes,

---

11) Id est: nunc hoc, nunc illo pede: ut fit a saltantibus.

12) Sensus: dum Vulcanus, qui fulmina Jovis fabricatur cum Cyclopibus in Aetnaeis fornacibus, eorum officinas multo igne succendit, ut prope urere illas velle videatur. Ideo autem Vulcanus dicitur verno tempore imperare Cyclopibus fulmina, quod id vicinum aestati sit, qua illa mittere solet in terras Jupiter. Myth.

13) Graves, id est: laboriosas; epithetum, a duris ferri subigendi laboribus ad officium translatum.

14) Ardens: flammis relucens.

15) Jam ad verni temporis laetitiam, quae per naturam diffusa est, ac suavitatem hortatur poëta fruendam, rationibus, jam supra allatis.

16) Nitidum caput, id est, comam capitis unguentis et aromatibus delibutam.

17) Idem ac, coronare, vincire.

18) Myrto, Veneri nempe sacra, et compotationibus imprimis adhibita.

19) Laxatae ob vernum calorem; frigus enim terram constringit, calor contra solvit atque aperit.

20) Quibusdam Faunus idem Deus cum Pane est, qui et ipse agrorum et agricolarum censetur numen. Incipiebant Romanorum Faunalia Id. Febr. eaque profusiori, uti omnium Deorum agrestium sacra, hilaritate celebrabantur, et quidem in lucis. Offerebantur autem in genere primitiae rerum, quarum curam et custodiam Dii haberent; cum igitur Faunus sit gregum Deus, agna aut haedo sibi sacrificari postulat.

21) Sensus: mors intrat aeque tabernas, id est, tuguria, casas humiles pauperum, ac regum turres, id est, aedificia altiora ac magnifica, nullo habito discrimine.

22) Pulsat, id est: intrat; solemus enim pulsare, antequam aliquo intremus; adeoque antec: pro consequente.

23) Sensus: fruere adeo, o Sexti, vitae deliciis, iisque bonis, quae Fortuna tibi largita est (en totum in hoc unico, beate, inclusum) neque crastino fide. Vitae enim brevitas spes tuas in angustum contrahere jubet.

24) Sensus: Brevi te mors, quae tota tenebrosa, et nocti similis est,

Et domus exilis [25]) Plutonia: quo [26]) simul mearis,
Non regna vini sortiere talis.

Ode V.

Ad M. Vispanium Agrippam.

Occasio et argumentum.

M. Vispanius Agrippa, magnus ille et praecipuus Augusti amicus, terra marique rebus gestis, victoriisque clarus, ipsius Augusti victoriam, imprimis Actiacae et insequutae potentiae magnam sibi partem vindicans; is igitur haud dubie Horatio exprobraverat, quod nulla dum sui in ipsius carminibus esset mentio. Igitur se excusat Agrippae, suique ingenii venam sufficere negat tam sublimi argumento, quod epico carmine celebrari debeat, seque tantum lyricae poësi vacare. Quo ipso, quasi aliud agens splendidissimum Agrippae ipsique Augusto carmen dicit: nam dum grandem sibi spiritum negat esse, eum vel maxime prodit: et Agrippam exquisitissime laudat, dum ejus laudibus canendis se imparem profitetur. — Potest vero haec ode perinde ad annum u. e. 718, quo victus est in mari Siculo Sextus Pompejus; quam ad a. u. 723 referri, quo superatus est ad Actium Antonius: utriusque enim victoriae socius et maximus adjutor Augusto fuit Agrippa.

---

opprimet, ac Inferi, qui merae sunt fabulae, vel de quibus tam multae fabulae narrantur. De Manibus, seu umbris mortuorum, vide Myth.

25) Exilis, id est: regnum Plutonis, in qua umbrae exiles, tenues et leves versantur. Aliqui domum exilem etiam interpretantur, inopem, egenam, miseram, ubi nihil reperias, quo bene sit.

26) Sensus: Quam in domum simul atque migraveris, omnibus iis, quae hic vitam beatam atque jucundam efficiunt, carebis, et ex his commemorat compotationes, dicens: Non talis, id est, sorte tibi obvenient regna, id est: magisterium, arbitrium in compotationibus, seu, non ut magister bibendi celebrabis convivia. Respicit nempe poëta solemnem Romanorum morem, in conviviis sibi regem, qui bibendi leges ediceret, talorum jactu eligentium. Vide Antiqui: de conviviis.

Metrum Asclepiadeo-Glyconium.

– – | – ⏑ ⏑ – | – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏓
– – | – ⏑ ⏑ – | – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏓
– – | – ⏑ ⏑ – | – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏓
– – | – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏓ |

Scriberis [1]) Vario [2]) fortis, et hostium [3])
Victor, Maeonii [4]) carminis alite [5]),
Quam [6]) rem cunque ferox navibus, aut equis
Miles, te duce, gesserit.
Nos [7]), Agrippa, neque haec dicere, nec gravem
Pelidae [8]) stomachum cedere nescii,

1) Scriberis a Vario, id est: Varius sit oportet, a quo scriberis, seu carmine epico celebreris, ut fortis, et virtute bellica conspicuus.

2) Varius hoc tempore erat poëta epicus Horatio valde laudatus.

3) Hostium victor. Fuit Agrippa non tantum civili prudentia, ut Maecenas, Augusto dum vixit, carissimus: sed multis quoque victoriis terra marique clarus, ob quae non solum corona navali primus donatus fuit Romae, sed amplissimos honores est consequutus, tandemque post mortem Marcelli factus Augusti gener, ut non sit mirum comparari hic illum cum Achille, Ulysse, Merione ac Diomede Graecorum fortissimis. Per hostes hic autem intelligitur vel Sextus Pompejus, Pompeji magni filius; vel Antonius. Vide Argumentum.

4) Maeonium carmen, est carmen grande et heroicum, quali usus est Homerus. Nam Homerum Maeonium a Smyrna in Lydia, quae etiam Maeonia dicebatur, patria haberi pervulgatum est.

5) Alite, id est, ut quidam volunt, fausto omine, eodemque auspicio, quo sua carmina Homerus scripsit. Alii hoc vocabulum referunt ad Varium, et hi pro alite sumunt cygnum, Variumque cygnum Homerici carminis adpellant, id est instar cygni est inter poëtas heroicos quorum princeps Homerus; poetae enim eximii cum cycnis vulgo comparantur.

6) Ut versus iste intelligatur denuo rependendum est: scriberis Vario, id est: Varius sit oportet, a quo scriberis, quod attinet omnem (quamcunque) rem, quam Romanus miles navibus aut equis, pro, mari et terra te duce gesserit.

7) Sensus: Nos his tractandis aeque impares sumus, ac ulli epico aut sublimi argumento; et pro hoc generali memorantur cum insigni delectu talia nonnulla in sequentibus.

8) Pelides est Achilles Pelei et Thetidis filius. Vide Myth. Per stomachum Achillis autem intelligit iram ejus: iratus nempe Agamemnoni Graecorum regi, pugnare cum Trojanis multos annos detrectavit, neque ullis precibus a sententia dimoveri potuit, unde etiam cedere nescius dicitur. Ea res multas clades Graecis attulit, et bellum usque in decennium protraxit, quapropter haec ira etiam gravis dicitur, id est, perniciosa Graecis. Demum ubi Achilles vidit, suum amicum Patroclum ab Hectore interfectum, ad bellum se retulit, quod, caeso Hectore, confecit. Quae ira vindicata proprie argumentum Iliadis Homeri constituit.

Nec cursus [9]) duplicis per mare Ulyssei [10]),
Nec saevam Pelopis [11]) domum
Conamur [12]), tenues grandia: dum pudor [13])
Imbellisque lyrae musa potens [14]) vetat
Laudes egregii Caesaris, et tuas
Culpa deterere ingenî.
Quis [15]) Martem tunica tectum [16]) adamantina
Digne scripserit? aut pulvere Troïo

9) Cursus seu navigatio, errores Ulyssis duplicis, id est: callidi, subdoli, aliud dicentis, aliud sentientis.

10) Genitivus a nominativo Ulysseus, qui derivatus est a Graeca voce tertiae declinationis contractorum, Ulyssei; est hic trisyllabum, alias tantum dissyllabum est. Hi cursus porro Ulyssis, qui alio nomine etiam Odysseus adpellatur, argumentum sunt Odysseae, poëmatis alterius epici ab Homero.

11) Domum Pelopis, id est: familiam a Pelope oriundam, saevam, idem ac, saevis et cruentis facinoribus insignem, domesticis caedibus infamem. Tantalus enim, Phrygiae rex, filium Pelopem interfecit; Atreus filius Pelopis, Thyestis fratris sui, filios interemit; Aegystus, Thyestis filius, Atreum, deinde Agamemnonem, Atrei filium, neci dedit; Orestes, Agamemnonis filius, matrem Clytemnestram peremit. Porro ista tragica facinora erant vulgo tragoediarum a Romanis poëtis, et forte a Vario ipso, scriptarum argumenta; quibus tractandis imparem se fatetur Horatius, ut epico carmini.

12) Sensus: Nos tenues, id est: tam tenui ac parvo ingenio, qui adeo argumento levi, tenui solummodo vacare possumus, grandia illa seu gravia epici et tragici generis argumenta enarrare vix conamur, audemus.

13) Pudor, id est: verecundia, et meae tenuitatis conscientia.

14) Potens. Musa domina, et moderatrix meae imbellis lyrae, levioribus tantum argumentis adcommodatae, vetat, seu prohibet me, res ab eximio, egregio, Caesare et a te praeclare gestas deterere, id est: imminuere, obscurare, non ea, quam res postulat, dignitate describere, culpa id est, propter debilitatem ingenii et imperitiam meam.

15) Sensus: arduum sane opus est, Augusti atque Agrippae res gestas digne describendas sibi sumere; hoc idem esset, ac si quis Martem, et heroas fortissimos, Merionem et Tydeum carmine celebrare vellet. Tacite igitur poëta cum heroicis Homericae Iliadis argumentis Augusti atque Agrippae res, ipsumque adeo Varium, qui solus eas digne scribere possit, cum Homero componit.

16) Martem vide in Myth. Tectum, id est, indutum, armatum tunica adamantina, ferrea, dura, et solida atque impenetrabili instar adamantis. Designatur ergo hic Mars loricatus, qui a partibus Trojanorum steterat.

Nigrum Merionem [17])? aut ope Palladis
Tydiden [18]) superis parem?

Ode VI.

Ad Munatium Plancum.

Occasio et argumentum.

Occiso Caesare, Munatius Plancus pro Republica cum Octavio stetit, fuitque Consul cum M. Lepido a. u. 712. Deinde ad Antonium transiit, nec nisi a. u. 722 ad Caesarem rediit, qui cum ei fortasse ob praeterita non satis fideret, nec eo uteretur in bello, quod illo ipso anno decretum est contra Antonium et Cleopatram; hinc Plancus in Tiburtino praedio suo, aeger animi, consolatione illa eguit, quam afferre conatur Horatius ode ista, enumerando nobilissimas Graeciae urbes, quibus quidem suas laudes esse, ait, easque multorum carminibus satis celebratas fuisse: se tamen Tiburtini agri dulcedine miro modo adfici ac maximopere teneri: quo tecte simul atque venuste admodum Planco, ut in hac, genio indulgendo, animum curis exoneret, innuere voluisse videri debet; quod idem paulo disertius declarat, amicum sedulo dehortando, ne se perpetuo moerore maceret atque conficiat. Ipsam enim naturam non in perpetuo quasi luctu esse, nubilaeque tempestati succedere serenam atque tranquillam. Animum adeoque aegritudine levandum, et quidem quod praesentissimum sit remedium, vino, omninoque meliora esse speranda. Docte atque graviter hoc Teucri, tam fortiter adversos casus ferentis, exemplo commonstrat, quem hanc ipsam animi fortitudinem sociis suis praecipientem inducit. — Constat autem certe, ante a. u. 722 non scriptam esse hanc odam, quod Plancus hactenus fuisset Augusti hostis.

17) Meriones fuit Idomenei Cretensium regis socius, dux fortissimus, et in bello Trojano clarus.

18) Tydides est Diomedes, Tydei filius, qui Martem ipsum in bello Trojano vulnerasse ab Homero scribitur, Palladis seu Minervae ope imprimis fretus. Dicitur eapropter superis par, quod steterit nempe adversus eos, et cum iis congressus sit.

Metrum Alcmanium.

– ⏑⏑ | – ⏑⏑ | – ⏑⏑ | – ⏑⏑ | – ⏑⏑ | – ⏑
– – | – – | – – | – –
– ⏑⏑ | – ⏑⏑ | – ⏑⏑ | – ⏑
– – | – – |

Laudabunt alii claram Rhodon [1]), aut Mitylenen [2]),
Aut Ephesum [3]), bimarisue Corinthi [4])
Maenia, vel Baccho Thebas [5]), vel Apolline Delphos [6])
Insignes, aut Thessala Tempe [7]).
Sunt [8]), quibus unum opus est, intactae Palladis arces
Carmine perpetuo [9]) celebrare, et
Undique [10]) decerptam fronti praeponere olivam.
Plurimus [11]) in Junonis honorem,

1) Rhodus insula et civitas maris mediterranei, fuit ibi Apollinis Colossus, 70 pedes altus, quo forte respicit Horatius dicens: claram Rhodon.

2) Mitylene, est urbs primaria insulae Lesbi, hodie Metelino.

3) Ephesus nobilissima Asiae minoris urbs; Dianae templo celebris.

4) Corinthus est urbs Achajae in Graecia, et bimaris dicitur, quod sit in isthmo, quem efficiunt mare Jonium et Aegeum in Peloponneso. Maenia pro urbe ipsa posita sunt.

5) Thebae, urbs Boeotiae in Graecia, alia enim est ejusdem nominis in Aegypto, Bacchi patria, propterea etiam insignis seu celebris Baccho dicitur.

6) Delphi urbs Phocidis ad Parnassum, in ea celeberrimum Apollinis templum fuit.

7) Tempe, amoenissimae Thessaliae convalles, inter Ossam et Olympum montes, fluvio Penco irrigatae. Tempe hic in plurali sumendum.

8) Sensus: aliis unicum opus est, laudare Athenas, sacras intactae, id est, virgini, Minervae. Vide Myth. Athenae autem urbs primaria Atticae in Graecia.

9) Perpetuo, id est: carmine, quod omnes Atheniensium res gestas inde ab urbis primordiis continua serie detextas, comprehendat; vel etiam: in omni, quocunque tandem scribant, carmine.

10) Sensus: et inde nominis sibi famam parare; is enim qui carminis aliquod argumentum sibi tractandum sumit, coronam inde sibi parat, hoc est, famam et gloriam. Jam haec corona pro vario carminis argumento potest esse varia: myrtea, quae erotico poëtae; ederacea, quae Bacchi laudes canenti; laurea, quae epica tractanti praemio cedit; etsi in his, ut omnino sibi constent poëtae, non facile exspectes. Athenarum vero laudes celebranti coronam oleaginam tribuit adprime poëta, quod Minervae sacra erat oliva, et quod in arce Athenarum servabatur sacra ista olea, quam ipsa Minerva in ejus cum Neptuno super urbis recens conditae tutela certamine protulerat. Vide Myth. Undique, tantum est ac, undecumque, ex qualibet arbore sumta corona, frequens enim oliva crescebat in regionibus circa Athenas; quod etiam fingendae de hoc certamine fabulae occasionem prebuisse videtur.

11) Plurimus, id est: multi celebrant Argos; quae est urbs clarissima

Aptum dicit equis Argos, ditesque Mycenas.
Me nec tam patiens Lacedaemon [12]),
Nec tam Larissae [13]) percussit [14]) campus opimae,
Quam domus Albuneae [15]) resonantis,
Et praeceps Anio [16]), ac Tiburni [17]) lucus, et uda
Mobilibus pomaria rivis.
Albus [18]) ut obscuro deterget [19]) nubila caelo
Saepe Notus; neque parturit [20]) imbres
Perpetuos: sic tu sapiens finire memento
Tristitiam, vitaeque labores
Molli [21]), Plance, mero; seu te fulgentia signis [22])
Castra tenent, seu densa tenebit

Peloponnesi, et Argos Hippium dictum erat, quod agros haberet pascendis equis idoneos, eapropter dicitur etiam, aptum equis, alendis nempe. Ibi quoque maxime Juno colebatur, quod etiam de Mycenis valet, urbe itidem Peloponnesi non longe ab Argis, ubi regnavit Agamemnon. Ea de causa addit poëta: in honorem Junonis, id est: ad honorandam Junonem, quod ambae urbes illi essent sacrae et acceptissimae.

12) Lacedaemon, alio nomine Sparta dicta, patiens, id est, pueros ad patientiam instituens. In hac urbe Peloponnesi Lycurgus floruit, et Menelaus regnavit. Cives porro severissima disciplina a teneris annis instituebantur, ad omnium laborum in civili pariter, ac militari vita patientiam.

13) Larissa, civitas in Thessalia; unde Achilles oriundus fuit. Campus Larissae opimae id est: ager circa Larissam opimus seu frugifer.

14) Percussit: animum meum movit, adfecit; non tam mihi placuit, quam etc.

15) Albuneae: nomen est fontis et sylvae juxta Anienem fluvium; domus hic posita est pro fonte antro Nymphae ejusdem fluvii Fons enim cujus ue fluvii, Dei vel Nymphae ejusdem fluvii sedes est, ut pervulgatum.

16) Anio fluvius, per Tiburtinorum fines decurrens, et in Tiberim defluens.

17) Tiburnus Tibur, civitatem Italiae, condidit, in amoenissimo loco ubi luci, et pomaria rivis errantibus rigata. Tiburni lucus, est lucus Tiburno, tamquam heroi vel Deo indigeti consecratus.

18) Sensus: in hac amoenissima regione, genio indulgendo, curarum, quibus te nunc maceras, obliviscere; perpetuo enim ne moerore te conficias, ipsa rerum natura ac vicissitudo hortatur, vides enim serenam tempestatem succedere nubilae. Albus Notus, id est, caelum serenum ac candidum efficiens.

19) Deterget, id est: fugat, pellit nubila.

20) Parturit, pro, parat, adducit.

21) Molli, id est, dulci vino, vel vetusto.

22) Signis, id est vexillis militaribus. Sensus: seu militiae seu domi tuae fueris.

Tiburis umbra tui [23]). Teucer [24]) Salamina, patremque
Quum fugeret [25]), tamen uda Lyaeo
Tempora [26]) populea [27]) fertur vinxisse corona,
Sic tristes affatus amicos:
Quo nos cunque feret melior [28]) fortuna parente,
Ibimus, o socii comitesque.
Nil desperandum Teucro duce, et auspice [29]) Teucro;
Certus [30]) enim promisit Apollo,
Ambiguam [31]) tellure nova Salamina futuram.
O fortes, pejoraque [32]) passi

---

23) Tiburis tui; forte in ea regione villam Plancus habebat.

24) Sequitur hic exemplum, jam in argumento supra commemoratum, Teucri, qui fuit Telamonis filius, Ajacis frater; cum Troja capta rediret in patriam Salamina, insulam et urbem maris Aegei, eregione Atticae, indignatus Telamon, quod Teucer Ajacis, fratris sui, qui inimicorum injuriis exagitatus, et in furorem versus violentas sibi manus intulerat, necem non ultus esset, eum Salamina expulit; unde in Cyprum navigans ibi consedit, urbemque condidit, quam Salamin etiam adpellavit.

25) Sensus: quum a patre in exsilium pulsus mare exsul pererraret; tamen tantum abfuit, ut hocce infortunium animum ejus frangeret, ut potius, vino (Lyaeus enim cognomen Bacchi ex Myth.) exhilaratus, socios suos pristinorum malorum, quae fortiter tulissent, recordatione erigeret, et ad nova subeunda, vino invitatos, excitaret. Inducit deinde ipsum loquentem Teucrum.

26) Uda tempora: nam vino hausto tument, incalescunt ac madent sudore tempora, seu caput.

27) Populus arbor Herculi sacra erat, quapropter a viris fortibus, aut ab iis, qui rem periculosam susciperent, adhiberi solebat, quasi ad invocandum Herculem. Is, devicto Cerbero, ab inferis populum arborem ex Acheronte secum attulisse, eaque se coronasse fertur; unde illius exemplo victores populea fronde coronati fuerunt.

28) Melior, id est: mihi amicior, indulgentior, benignior, quam ipse pater, a quo pellimur patria.

29) Id est: meo ductu et auspicio. Auspex ille dicebatur a Romanis, qui sumebat auspicia; vel cujus ductu, nomine, auspiciis aliquid gerebatur. Erant autem auspicia signa quaedam Deorum voluntatis, et favoris, et praesagia futurorum, sumta ex avium cantu, volatu, pastu. Vide Antiquitates.

30) Certus Apollo, qui vera, exitum habentia oracula edit, fuit enim Deus vaticiniorum. Myth.

31) Ambiguam, id est: ambiguum erit et dubium, cum sermo fuerit de Salami, utrum vetus illa, ubi pater meus regnat, an nova a me in alia regione condenda intelligi debeat, quia ambae idem habent nomen.

32) Sensus: o qui tam fortiter praesentia mala toleratis, imo his pejora, graviora tamquam viri jam perpessi estis; unde sperare licet, vos et leviora, quae nobis forte superanda sint, aequo animo laturos, pellite nunc curas etc.

Mecum saepe viri, nunc vino pellite curas:
Cras ingens iterabimus [33]) aequor.

Ode VII.

Ad Lydiam.

Occasio et argumentum.

Lydia, cujus passim meminit Horatius, Sybarin ita amore corruperat, ut omissis omnibus, quae ingenuum adolescentem Romanum decerent, studiis atque exercitationibus, totum se mollitiei traderet, atque apud se, tamquam Achilles in Lycomedis gynecaeo, delitesceret. Poëta igitur, ut Sybarin ab hoc amore avocet, mores ejus, generosamque indolem nunc deflexam atque in pejus mutatam, picturis quibusdam vivide delineatam, ei ob oculos ponit, ita tamen, ut hujus rei culpam in Lydiam, quae eum, illecebrarum suarum laqueis constrictam teneat, totam transferat, eamque tamquam fontem calamitatis ideo objurget. Sub Sybaris nomine nobilem aliquem Romanum, forte equestris ordinis, latere, probabile esse videtur.

Metrum Sapphicum majus.

– ⏑ ⏑ | – ⏑ | – ⏑̄
– ⏑ | – – | – ⏑ ⏑ – | – ⏑ ⏑ | – ⏑ | – ⏑̄

Lydia [1]) dic, per omnes
Te Deos oro, Sybarin cur properas amando
Perdere [2])? cur [3]) apricum
Oderit [4]) campum patiens [5]) pulveris, atque solis?

33) Iterabimus, h. e. cursum in mari repetemus, iterum navigabimus.

1) Lydia et Sybaris probabiliter nomina ficta sunt.

2) Properes perdere, id est: cur perditum is, corrumpis, dum eum amando, id est, amore irretitum tenes.

3) Exitiosi amoris istius vim atque effecta egregie per partes declarat poëta: Sybaris animum, et mores prorsus immutatos ac pejores inde factos esse; deditum eum olim fuisse campestribus ac militaribus, quae generosum adolescentem decerent, studiis, vacasse eum natationi, palaestrae, et sic porro: nunc contra omnem eum laborem subterfugere, atque mollitiae diffluentem in Lydiae sinu delitescere.

4) Id est: cur non veniat in campum, cur non vacet laboribus, exercitationibus in campo usitatis? per campum autem intellige Campum Martium, qui erat ingens quaedam planities, Marti sacra, sub maenibus Romae, ubi juventus Romana se exercebat in illis exercitationibus, quas mox subjungit poëta.

5) Patiens, id est: qui pati potest solem et pulverem, vel qui deberet

Cur neque militaris [6])
Inter aequales [7]) equitat, Gallica [8]) nec lupatis [9])
Temperat ora frenis?
Cur timet flavum Tiberim tangere [10])? cur olivum [11])
Sanguine viperino
Cautius vitat? neque jam livida [12]) gestat armis
Brachia, saepe disco [13]),
Saepe trans finem jaculo nobilis expedito?
Quid [14]) latet, ut marinae
Filium dicunt Thetidis sub lacrimosa Trojae

pati, ob aetatem et robur. Sensus igitur est: Cur nunc defugit exercitationes in Campo Martio, quasi solis aestum atque pulverem ferre nequeat?

6) Militaris, id est: militari more, ut hominem militarem decet.

7) Inter aequales pro, inter ejusdem aetatis adolescentes, qui adeo iisdem studiis militaribus vacare deberet.

8) Sensus: neque equorum Gallicorum, erant enim hi praestantissimi, ora habenis flectat ac regat, seu temperet.

9) Lupatum vel lupatus est frenum asperrimum, ab lupinorum dentium similitudine dictum, qui acuti sunt et inaequales; est enim ejusmodi frenum, cui aculei ferrei inserti sunt.

10) Timet tangere: tactum refugit, tamquam nimis periculosum, pro, non tangit, non intrat Tiberim. Erat nempe Campus Martius prope Tiberim, in quo se abluebant, ad abstergendum sudorem, in illis exercitationibus collectum.

11) Olivum. Luctaturi nuda corpora oleo tingebant, vel unguento quodam ex oleo et cera facto, quod ceroma vocabatur; ut essent robustiores, nitidiores, et minus idonei captantibus. Ad Sybaris igitur animum ab his studiis palaestrae quam maxime alienum declarandum, cautius eum vitare ait, id est, sibi magis cavere, ne olio inungatur, ac si sanguine seu veneno viperino, quod efficacissimum putabatur, inficeretur.

12) Livor est color pallidum inter et sanguineum. Sensus est: cur non amplius gestat seu habet brachia livida facta a gestatione armorum, qui tam saepe jaculum aut discum expedivit, id est, projecit trans finem, pro, ultra metam; et qui hac arte nobilis fuerat, hoc est: spectandus ob eam rem cum magna roboris et industriae laude.

13) Discus erat circulus vel orbis quidam solidus, e plumbo, aere, ferro: quem ope lori circumvoluti ad certum terminum vibrabant.

14) Sensus: cur abditus domi sedet, ut Achilles, qui sub, id est, paulo ante bellum Trojanum, quo Troja excisa est, et exstincta, delituit muliebri veste occultatus in aula Lycomedis, regis insulae Scyri in mari Aegeo, ne virilis vestis eum proderet, atque ita protraheretur ad bellum Trojanum, ubi cum Lyciis cohortibus dimicaret. Abdiderat autem eum mater Thetis, maris Dea, cum in fatis esse cognovisset, periturum, si Trojam peteret. Detexit porro Achilles Ulyssem in hunc modum: venit nempe in aulam Lycomedis, habitum usque mercatoris gerens, et inter taenias,

Funera; ne virilis
Cultus in caedem, et Lycias [15]) proriperet [16]) catervas.

Ode VIII.

Ad Thaliarchum.

Occasio et argumentum.

Probabile est, Thaliarchum, amicum Horatii, ad quem hoc carmen est, fuisse Graecum juvenem, divitem et nobilem, qui Romae viveret, haberetque villam in Faliscis, haud procul monte Soracte; et in hac ipsa villa Horatium hanc oden fecisse. Igitur ab hiemis regioni isti, in quam e villa Thaliarchi prospectus erat, attemperata descriptione exorsus poëta Thaliarchum ad conviviorum, quae hiemali tempori aptissima sint, hilaritatem exhortatur. Hinc ad generale de vita suaviter ac sine curis transigenda praeceptum delatus, eundem monet, ne anxia futuri solicitudine praesentis temporis fructum intercipi, sicque juvenilem aetatem, lusibus jocisque aptissimam, temere sibi elabi patiatur, quum eam mox senectus morosa, omnisque hilaritatis expers, sequatur.

Metrum Alcaicum.

— — | ⏑ — — | — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏓
— — | ⏑ — — | — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏓
⏑̄ — | ⏑ — | ⏑̄ — | ⏑ — | ⏓
— ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | — ⏑ | — ⏓

Vides [1]), ut alta stet [2]) nive candidum
Soracte [3]); nec jam sustineant [4]) onus

---

armillas, et alias id genus merces, puellis idoneas, ensem et arma miscuit, quae Achilles cum avide arripuisset, agnitus est. Vide etiam Myth.

15) Lycia est regio Asiae minoris, cujus populi opem tulere Trojanis contra Graecos. Lyciorum duces erant Sarpedon et Glaucus, ab Homero celebrati. Lycii ponuntur pro Trojanis in genere.

16) Proriperet, hoc est, cogeret proficisci in caedem, ad pugnam.

---

1) Vides ut: nota ac satis frequentata poëtis forma, qua orationi vigor conciliatur, legentisque animus erectior fit.

2) Stet, id est: totum sit opertum et candidum multa nive.

3) Soracte mons est non procul Roma in Etruria.

4) Id est: nec, jam prope ferre amplius possint onus nivis arbores la-

Silvae laborantes; geluque
Flumina constiterint [5]) acuto?
Dissolve [6]) frigus, ligna super foco
Large reponens; atque benignius [7])
Deprome [8]) quadrimum Sabina [10]),
O Thaliarche, merum diota [9]).
Permitte [11]) Divis cetera, qui [12]) simul
Stravere ventos aequore fervido
Depraeliantes; nec cupressi,
Nec veteres agitantur orni.
Quid sit futurum cras, fuge [13]) quaerere; et
Quem sors dierum cunque dabit, lucro
Appone; nec dulces amores
Sperne [14]) puer, neque tu choreas;

---

borantes, id est, ponderi aegre obnitentes; laborare enim dicuntur ea poëtis, quae grave aliquod onus sustinent.

5) Id est: immota sint, acrique frigore constricta non fluant.

6) Sensus: mitiga et pelle frigus, igne multo congestis ac accensis in foco lignis; calor enim solvit et laxat ea, quae frigus constringit.

7) Idem ac largius, liberalius.

8) Deprome, pro, funde tibi vinum quadrimum, id est, quatuor jam annos natum, et conditum, vetustum diota Sabina.

9) Diota, a Graeco διωτον, est vas duabus ansis, quasi duabus auribus, instructum.

10) Sabina: putant hic aliqui intelligendum esse vas, quia vasa fictilia maxima fiebant apud Sabinos in Italia; alii autem non vas, quod esset in Sabinis factum, sed diotam subaudiunt, quae contineat vinum Sabinum, solemni epithetorum translocatione.

11) Sensus: indulge igitur genio, et ceterarum rerum omnium curam a te alienam puta; Dii de iis viderint, qui omnia regunt numine suo.

12) Qui simul — orni. In his providentiam Deorum notat: qui statim, atque compressere, composuere ventos antea decertantes inter se in mari turbido; alta quoque pax terras tenet, ut nequidem arbores amplius moveantur. Ex omnibus autem arboribus tantum cupressos et ornos commemorat, quia ob celsitudinem suam prae ceteris vento exagitantur.

13) Id est: noli anxie cogitare de crastino die, ipsumque diem, quem tibi sors seu fatum fruendum dedit, laetus transige, in lucro habe, ita, quasi praeter exspectationem vitae tuae termino adjectus sit.

14) Id est: indulge, vaca amoribus et choreis, dum adhuc puer es, et juveni tibi senectus nondum obtigit. Adeoque sensus est: Iis adeo, quae aetati tuae juvenili consentanea sunt, fruere, jucunde vive, dum per aetatem licet. In specie autem in amoribus et choreis, juvenili aetati consentaneis, poni possunt Musae et studia literarum, quae omnino oblectationes parant honestae juventuti.

Donec virenti canities abest
Morosa. Nunc [15]) et campus [16]), et areae [17]),
Lenesque sub noctem susurri [18])
Composita repetantur [19]) hora.

Ode IX.

Hymnus ad Mercurium.

Occasio et argumentum.

Hymnus erat cantus de Deo aliquo, nonnunquam etiam cum precibus conjunctus, in quo plerumque origo, nomen, attributa, officia, facta et merita de genere humano commemorabantur. Ex hoc genere igitur est etiam praesens ode ad Mercurium in cujus laudem poëta dicit: Tu, divina origine clarus, es informator hominum, eosque, qua Deorum nuntius, voluntatem horum cognoscere doces; lyrae inventione hominum delectationi prospexisti; bobus dolose abstractis prudentiae exemplum iisdem dare voluisti; in Priamo porro per castra Achivorum ducto propulsatorem periculorum illis te praestitisti, et tandem animarum ad infera loca deducendarum officio etiam post mortem de genere humano bene mereris.

Metrum Sapphicum, ut in Oda II.

Mercuri, facunde nepos Atlantis [1]),
Qui feros cultus [2]) hominum recentum

---

15) Nunc: dum per aetatem licet etc.

16) Campus Martius. Vide odam VII. not. 4.

17) Intellige hic porticus, in quibus deambulabatur sole nimium urente, conventicula amicorum fiebant, et nonnunquam etiam praelectiones atque disputationes philosophicae habebantur.

18) Intellige confabulationes vespertinas cum amicis composita, id est, constituta vel pacta hora sub noctem, seu crepusculi tempore.

19) Repetantur, iterentur, frequententur.

---

1) Nepos Atlantis a Maja, Plejadum una, Atlantis filia; erat enim Mercurius Jovis et Majae filius, eloquentiae, commercii et furum praeses. Myth. Frequentatum autem hoc antiquissimis poëtis, imprimis in hymnis, ut Deos a genere ipsorum designent, quo augustiorem iis speciem addant.

2) Sensus: qui mores barbaros hominum recens natorum in mundi primordiis formasti:

Voce [3]) formasti catus [4]), et decorae
More [5]) palaestrae [6]):
Te canam magni Jovis, et Deorum
Nuntium, curvaeque lyrae parentem [7]);
Callidum [8]), quidquid placuit, jocoso [9])
Condere furto.
Te [10]), boves [11]) olim nisi reddidisses
Per dolum amotas, puerum minaci
Voce dum terret, viduus pharetra
Risit Apollo.
Quin et Atridas [12]), duce [13]) te, superbos,

---

3) Id est: eloquentiae arte, quae est ars vocis et sermonis.

4) Catus, id est: cate, prudenter, sapienti consilio, qui intelligeres, agrestes hominum cultus ita optime emendari posse.

5) More i. q. usu, exercitatione palaestrae.

6) Palaestrae: intelliguntur hic exercitationes et certamina agonistica, quae fingunt corpora ad motus decoros et habiles. Itaque animos hominum eloquentia, corpora vero palaestra formavit Mercurius.

7) Parentem, i. q. inventorem. Construxit enim Mercurius ex incurvo seu convexo testudinis tergo lyram, cui nervos ovium intendit. Vide Myth.

8) Callidum condere, est Graeca constructio, pro callidum, ingeniosum ad condendum, occultandum furto; subintelligitur: canam.

9) Jocoso: id est, quidquid libuit furari per jocum; non quia indigeres rebus quas furaris; sed quia sic ingenium et calliditatem ostendis. Omnino enim haec de furtis Mercurii notio e summa antiquitate repetenda videtur, ubi doli ac fraudes non tam in vetitis haberentur, quam potius ab ingenii solertia commendationem haberent; quam cum maximam Mercurio tribuerent, sane proclive erat, ut hanc eadem simplicitate eloquerentur ac declararent per furta ac fraudes, quibus Mercurius aliis illuderet.

10) Adfert jam poëta duo fraudulenti ejus ingenii exempla, alterum de bobus Apollini surreptis, alterum de pharetra eidem clam detracta. De his vide Myth. Sensus autem est: Apollo, cum olim te puerum asperioribus verbis terrere conaretur, minitans aliquid mali, nisi sibi redderes vaccas, quas ipsi furto amoveras, abdideras, non potuit risum continere, cum se quoque viderit exutum sagittis et pharetra sua, quam ipsi clam surripueras.

11) Apollo iratum Jovem fugiens in terras venit, ubi cum premeretur inopia, coactus est, boves Admeti regis Thessaliae mercede pascere.

12) Atridae sunt Menelaus et Agamemnon, Atrei filii, qui si vidissent Priamum Graecorum castra subeuntem, gravius aliquid in eum certe statuissent.

13) Priamus, ut Hectoris filii sui, ab Achille caesi, corpus pretio redimeret, duce Mercurio, qui eum obscura nebula sepsit, profectus est in Graecorum castra, et per medias excubias ad Achillis tentorium penetrans, eum precibus inflexit, eodemque duce quo venerat, Trojam incolumis se recepit. Vide Hom. Iliad. Lib. ult.

Ilio [14]) dives [15]) Priamus relicto,
Thessalosque [16]) ignes, et iniqua [17]) Trojae
Castra fefellit [18]).
Tu pias [19]) laetis animas reponis [20])
Sedibus, virgâque [21]) levem [22]) coërces [23])
Aurea turbam, superis [24]) Deorum
Gratus et imis.

Ode X.

Ad Leuconoën.

Occasio et argumentum.

Leuconoë probabilius nomen fictum est; interim tamen ex hac oda concludere licet: Intelligi debere sub hoc nomine matronam quamdam Romanam, quae ex superstitione tunc temporis vigente hariolos, alias etiam Mathematicos, Astrologos aut Genethliacos adpellatos, de morte sua consuluit. Observabant autem hi Mathematici, quo habitu, quaque forma, quaque positura stellarum aliquis

14) Troja in Asia minori.

15) Dives, id est: aurum et munera, redemtionis pretium, secum gerens.

16) Thessalos ignes, id est: Graecos excubitores; solent enim vigiles, ubi excubant, ignem excitare et incendere. Thessalia autem est regio Graeciae; et in specie hos Thessalos memorat pro Graecis in genere, quia eorum excubiae Priamo, Achillem Thessalum, Myrmidonum ducem, petenti, transeundae erant. De ignibus porro vigiliarum mentio fit, quia iternoctu fiebat.

17) Iniqua, id est: infesta, inimica Trojanis castra Graecorum.

18) Fefellit, id est: latuit Atridas superbos seu fortes; a nemine visus detectusque penetravit. Graeco enim more fallere sumitur pro, ignorari.

19) Animas piorum corporum solutas, morte obita.

20) Reponis, id est: collocas, deducis ad beatas sedes, seu in Elysium, piorum sedem; in Elysio enim pii laetantur. Vide de Elysio Myth.

21) Virga, est caduceus, id est, bacillus quidam medius inter duos angues hinc inde implexos, et sibi obversos; habetur autem pro insigni pacis. Reliqua vide in Myth.

22) Levem turbam: animas corporis mole exutas.

23) Coërces: id est: cogis et compellis in eundem quasi gregem; ut pastor oves pedo congregat et compellit.

24) Superis, id est, Jovi reliquisque Diis superis, et imis, seu Plutoni et ceteris Diis inferis gratus et acceptus es, utrisque serviendo.

---

nasceretur; tum deinceps ab inuente vita fortuna ejus, et mores et ingenium, et circumstantiae rerum negotiorumque, et postremum etiam finis vitae exspectabatur; eaque omnia, ut usu venerant, literis, quae ephemerides mathematicae dictae sunt, mandabantur. Composita ex ista, longo tempore continuata, observatione disciplina dicebatur genesis, genitura, cum iis, qui eodem habitu eademque forma astrorum nati fuissent, eadem etiam, quae ceteris, eventura existimarentur. Inspectio autem hujus disciplinae horoscopus, adpellata fuit. Horatius igitur, ut deterreret Leuconoën, ne genthliacis istis artibus uteretur, impium esse ait, in ea inquirere velle, quae prudenti quodam consilio Dii nobis occultaverint; contra multo satius esse, iis quae fato nobis impendeant, tolerandis parem fortemque adeo animum offerre, atque in iis adquiescere. Quumque, quam brevis vita sit, etiam absque Babyloniis istis numeris perspici possit, multo sapientius esse, praesentis temporis, quod certissimum sit, usura, quantam largiatur maximam, frui; quam in crastinum, quod admodum incertum sit, eam differre.

Metrum Asclepiadeum majus.

— — | — ⏑ ⏑ — | — ⏑ ⏑ — | — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏓

Tu ne quaesieris [1]), scire nefas [2]), quem mihi, quem tibi
Finem [3]) Dî dederint, Leuconoë: nec Babylonios
Tentaris numeros [4]). Ut melius [5]), quidquid erit, pati!

---

1) Id est: cave, ne curiose inquiras, noli inquirere, sollicita esse.

2) Scire nefas; legendae sunt hae duae voces intra parenthesim: impium enim est, ea scire conari, scisciturí, quaerere, quae Dii nobis occultarunt.

3) Finem, id est: qualem vitae exitum, quod genus mortis Dii nobis vivendum constituerint, decreverint.

4) Id est: noli adhibere numeros et calculos, quibus utuntur Babylonii mathematici, ad astrorum cursus metiendos, et suas divinationes hinc desumendas. Numeri enim sunt computationes ex ephemeridibus, seu tabulis astrologicis, in quibus conjunctiones planetarum, et positiones siderum ad quemvis diem descriptae erant. Babylonios autem vocat, quia Astrologia e Babylonia, provincia et urbe Asiae antiquae, Romam advecta erat. Hinc ii qui hanc artem profitentur simpliciter etiam Chaldaei vel Babylonii dicti sunt. Chaldaea enim pars imperii Babylonici fuit, quapropter et Chaldaei promiscue pro Babyloniis usurpantur.

5) Ut melius: id est: quanto melius, quanto satius est, pati et ferre aequo animo, quidquid erit, seu quodcunque tandem acciderit, quaecun-

Seu plures [6]) hiemes, seu tribuit Jupiter ultimam,
Quae [7]) nunc oppositis debilitat pumicibus mare
Tyrrhenum. Sapias [8]), vina liques [9]), et spatio [10]) brevi
Spem longam reseces. Dum loquimur [11]) fugerit invida
Aetas; carpe diem [12]), quam minimum credula postero.

---

que fato nobis impendeant, quum sollicitudo futuri praesentem quoque laetitiam turbet.

6) Sensus: seu Jupiter, id est, fatum tibi plures, quos vivas, annos adsignaverit, sive hunc ultimum esse jusserit etc. Hiemes positi sunt pro annis, quia carmen confectum est hieme. De hieme illa porro, tunc saeviente, pluribus disserit Horatius, quod, cum esset forte asperior, ab ea sibi Leuconoë magis timeret, quae vivendi desiderio tenebatur, et astrologos de suae vitae diuturnitate consuluerat.

7) Quae nunc etc. Per pumices intellige scopulos marinis fluctibus exesos, instar pumicis, et excavatos. Sententia est: quae hiems frangit fluctus maris Tyrrheni, qui alliduntur, et concidunt ad oppositos scopulos. Porro Italia porrigitur intra duo maria Tyrrhenum et Adriaticum. Tyrrhenum est illud, quod est ab occidente, atque Galliam et Hispaniam respicit, vocatur etiam mare inferum, Adriaticus vero sinus illi oppositus ab oriente mare superum.

8) Sensus: quin tu potius meliorem vitae rationem, quaeso, ineas, et vita rectius utaris.

9) Liques, id est: percoles. Percolare autem vina, est ea per colum, hoc est, sacculum, seu tenue linum transmittere, ut quidquid est crassius secernatur, ita fiebant vina leniora et delicatiora. Quum enim vini defaecandi artem parum cognitam haberent veteres, oportebat illud hoc modo a faecibus purgare, ut liquidius fieret. Jam, etsi hoc muliebre esset negotium, poëta tamen non tam hoc agere videtur, ut Leuconoën ab astrologicis rationibus ad operas femineas traducere velit, quam potius, ut futuri sollicitudinem missam faciat, eamque vinum bibendo animo ejiciat. Neque vero morari quemquam debet, quod feminae hoc poëta praecipiat, vinum enim curis pellendis aptissimum videtur poëtae.

10) Sensus: cogitatione tam brevis spatii, ad vivendum nobis concessi amputa spem longioris vitae et felicitatis, vel: in tam brevi spatio vitae noli sperare diuturnam esse posse voluptatum usuram, cum vita brevis adeo sit.

11) Sensus: dum haec tecum loquor; dum haec ad te scribo, aetas et tempus invidens nostrae felicitati jam effugit, vitae pars aliqua transiit, mors propior est facta. Invida dicitur aetas, quae tam cito elabendo sui fructum nobis invidere videtur.

12) Carpe: fruere hoc die, ejusque voluptatibus, nulla interposita mora, parum fidens diei crastinae, quae admodum incerta est, seu, quum admodum incertum sit, an crastino vivas.

Ode XI.

Ad Caesarem Augustum.

Occasio et argumentum.

Poëta enthusiasmo excelsiore, et impetu, magni alicujus argumenti canendi, correptus, plenus sublimium sensuum ambigit, quod illud argumentum sit. Quare exemplo et imitatione Pindari e Musa sciscitatur, quis ille sit vir, aut heros aut Deus, quem se canere velit. A Jove igitur, Deorum maximo exorsus ad ejus liberos transit. Memorantur adeo Pallas, Diana, Apollo; tum ex heroibus Hercules et Dioscuri. Deinde ad viros progressus, ut ad primarium carminis argumentum transitum sibi pararet, in summis suae gentis viris commemorat Romulum, Numam, Tarquinium Priscum, et Catonem Uticensem. Tum sequuntur priscae aetatis venerabiles viri nonnulli: Regulus, Scauri, Paullus, Fabricius, Curius et Camillus, fortitudine bellica, patriae caritate, generoso spiritu, gravitate et constantia clarissimi, disciplinae antiquae continentiaeque ac morum severitatis servantissimi. Facta de hinc magnifica transitione ad Marcellum juvenem, Augusto et populo Romano carissimum, gentemque Juliam, inde ad ipsum Augustum a Jove secundum, divisumque cum eo imperium habentem, enthusiasmi impetus defertur. Scripta vero est haec ode u. a. 731. Vivente adhuc Marcello, bellumque Augusto contra Parthos parante.

Metrum Sapphicum ut in Oda II.

Quem [1]) virum, aut herva, lyra [3]), vel acri [4])
Tibia sumis [5]) celebrare, Clio [2])?

---

1) Ordo est: o Clio, quem virum, quem heroa, quem Deum tibi celebrandum sumes lyra vel tibia?

2) Clio est una e Musis. Myth.

3) Lyra vel tibia, id est: carmine, quod ad lyram vel tibiam canatur, lyrico inde adpellato.

4) Acri, id est: acutum aut vehementem sonum edente, qualem reddere poterat illa, quae in Poëtica describitur: Orichaleo vincta, tubaeque consimilis.

5) Sumis: eligis celebrare, graece, pro, celebrandum, canendum.

Quem Deum? cujus recinet jocosa
Nomen imago [6]),
Aut in umbrosis Heliconis [7]) oris,
Aut super Pindo, gelidove in Haemo?
Unde [8]) vocalem temere insecutae
Orphea silvae,
Arte [9]) materna rapidos morantem
Fluminum lapsus, celeresque ventos,
Blandum [10]) et auritas fidibus canoris
Ducere quercus.
Quid prius [11]) dicam solitis Parentis
Laudibus? qui res hominum ac Deorum,
Qui mare ac terras, variisque mundum
Temperat [12]) horis [13])?
Unde [14]) nil majus generatur ipso,

6) Jocosa imago: echo, quae imago quaedam vocis est, eam reddens et remissam repraesentans: quasi ludendo, et garriendo cum eo, qui loquitur. Recinet ergo idem, quod: canendo iterabit.

7) Helicon est mons Boeotiae in Graecia, Musis sacer; ut Pindus et Haemus, ille in Thessalia, hic in Thracia. Ad exornandam Echus imaginem montes hos memorat, a quibus lyrae ac vocis sonus reflectatur. Quumque Musae canendi partes injungat, ex montibus cum delectu ponit Heliconem et Pindum, Musis sacros; Haemum vero, quod is olim nobilissimi poëtarum Orphei cantibus insonuisset.

8) Sensus: unde, seu, quo ex Haemo voce suavissima canentem Orpheum silvae temere, id est, certatim, ordine nullo, et confusa festinatione secutae sunt. Orphea accus. Graecus.

9) Ars materna est musica, fuit enim Orpheus filius Calliopes, unius e Musis, quae canendi peritissima.

10) Blandum ducere, est Graeca constructio, pro: blande ducentem, seu, potentem ducere blanda voce, et canorae citharae nervis quercus auritas, hoc est, sentientes vocis suavitatem, ac si quasi auribus fuissent praeditae. Pervulgata enim est, fabula de Orpheo: illum tanta suavitate cecinisse cithara, ut arbores, saxa, lapides, et ferae ad eum audiendum commoverentur, fluvii cursum stiterint et venti a flando conquieverint. Myth.

11) Sensus: quem prius celebrem quam Jovem? Ab hoc enim carminis initium facere decet, hujus laudes primum dicendae sunt. Respexit Horatius haud dubie antiquorum poëtarum morem, quo carminibus prooemio aliquo, in Deorum, maxime Jovis, laudibus occupato, praeluderent. Hinc Jovis laudes solitas vocat, quae primo loco a poëtis memorari solent.

12) Temperat: moderatur, regit.

13) Horae significant quatuor anni tempora: unde Homerus adpellat horam veris, pro, vere.

14) Quare, quum in Deos hominesque imperium exerceat, universumque terrarum orbem regat, nihil generatur, nihil existit, quod majus, praestantius, potentius sit ipso Jove.

Nec viget [15]) quidquam simile, aut secundum [16]):
Proximos [17]) illi tamen occupavit
Pallas honores.
Proeliis [18]) audax, neque te silebo
Liber [19]), et saevis inimica virgo [20])
Belluis; nec te metuende certa [21]),
Phaebe, sagitta.
Dicam [22]) et Alciden, puerosque [23]) Ledae;
Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem: quorum [24]) simul alba nautis
Stella refulsit,
Defluit [25]) saxis agitatus humor,
Concidunt venti, fugiuntque nubes:
Et minax [26]), Dî sic voluere, ponto
Unda recumbit.

15) Nec quidquam ei simile, id est: nemo ei aequalis floret, dignitate et potentia nemo ei par est.

16) Aut secundum, id est: quod statim eum sequatur, quod ejus potentiam prope attingat: imo omnes reliqui Dii Jove longe inferiores sunt.

17) Sensus: etsi omnes infinito prope intervallo distent a Jove, tamen post illum proxime et maxime laudatur Pallas seu Minerva. Myth.

18) Vulgaris continuandae orationis ordo ferebat: Canam etiam Bacchum, Dianam, Apollinem; sed docte hunc variavit poëta, orationique ad Deos ipsos, e priscorum hymnorum forma, eam convertendo novum vigorem adjecit. Proeliis audax dicitur Bacchus, quia celebratur apud poëtas ejus contra gigantes pugnantis audacia et fortitudo. Myth.

19) Liber, cognomen Bacchi. Vide Myth.

20) Virgo: Diana, quae venatione ferarum delectatur. Myth.

21) Sagitta dicitur certa, quae scopum attingit, et nunquam aberrat. Et ob hanc artem metuendus dicitur Apollo.

22) Jam ad heroum laudes descendit poëta, et memorat ex his Alciden seu Herculem, Alcei nepotem, et pueros Ledae.

23) Hi sunt Castor et Pollux, Ledae Tyndari uxoris filii; ita tamen, ut Castor patrem Tyndarum, Pollux Jovem haberet. Hic, nempe Castor, nobilis fuit superare, id est, celebris fuit, quia superabat omnes equestri et curuli certamine: ille vero, nempe ejus frater Pollux, cestu et pugnis, crudos enim pugnos ad luctam adhibebant Graeci pugiles. Myth.

24) Vide Odam III. notam 3. Sensus: Quamprimum adparet alba, lucida, stella nautis, statim tempestas sedatur, et mare tranquillum fit, quod graphice hic exornatur et describitur.

25) Id est: aqua, vi tempestatis agitata, et scopulis injecta, ex illis defluit.

26) Minax, id est, intumescens, ac naufragium veluti minitans unda residet, sternitur, ac in mare recidit.

Romulum [27]) post hos prius, an quietum
Pompili [28]) regnum memorem, an superbos
Tarquinî [29]) fasces, dubito, an Catonis [30])
Nobile letum.
Regulum [31]), et Scauros [32]), animaeque magnae
Prodigum Paullum [33]), superante Poeno [34]),

27) Sequuntur viri, qui Romam magnam reddiderunt, quorum multitudine ita obruitur poëta, ut quem maxime laudet, nesciat, et sic praetereundo omnes extollat. Romulus autem ex Hist. antiqua satis notus.

28) Numa Pompilius rex secundus Romanorum fuit, qui, partum armis, imperium, pacis artibus, legibus ac religionum cura corroboravit.

29) Duo fuerunt Tarquinii, reges Romani, alter Priscus sive senior dictus; alter superbus, et regum Romanorum ultimus, homo crudelis, quem proinde Horatius hic laudatum nolit. De Prisco igitur sermo est, qui cum reges Etruscorum vicisset, ab iis sumsit regiae dignitatis insignia, trabeam, fasces, et Romanis regibus utenda dedit. Superbos vocat fasces, quia regiae potentiae ac majestatis insignia erant, ac proinde idem, ac, splendidos. Sunt autem fasces collecti in fasciculum bacilli, in quibus media exstat securis; praeferrebantur a lictoribus Romanis regibus, Consulibus et Praetoribus. Vide Antiquitates.

30) Catonem Uticensem intelligit, M. Porcii Catonis nepotem, ita dictum ab Utica, urbe Africae, ubi manus ipse sibi violentas attulit, ne veniret in manus Caesaris; postquam audivit, Pompejanos ab eo profligatos. Ejus letum nobile adpellat, quod, quum in republica ei amplius vivere non liceret, mori decrevisset. Atque hunc inter magnos viros memorare poëtam nihil vetuit, quum et Augustus libertatis propugnatores magni faceret, seque amicum pristini reipublicae status profiteretur.

31) Regulus dux fuit Romanorum, qui captus a Carthaginiensibus, et Romam de captivis permutandis missus, suasit, ne id fieret, ipseque, ut promiserat, rediit ad Poenos, a quibus nihil quam dira exspectabat supplicia, quae fortissime tulit.

32) Scaurorum gens multos dedit Romanae reipublicae magnos ac nobiles viros, in quibus eminent M. Aemilius Scaurus, vir gravissimus et princeps senatus; ejusque filius M. Scaurus, aedilitatis magnificentia clarus; uterque autem consilio, gravitate, constantia clarissimus.

33) Paullus Aemilius Consul, in funesta, vitio collegae Terentii Varronis, Cannensi clade quum fortissime pugnasset, nolens tantae ignominiae, cujus unus insons erat, superstes esse, maluit perire cum reliquis Romanorum caesis, quam fuga vitam servare. Hinc prodigus, contemtor ac profusor animae seu vitae dicitur, quae eatenus magna habetur, quatenus generosum est, sic animum suum prodere.

34) Poeno, id est: Hannibale.

Gratus [35]) insigni referam Camena,
Fabriciumque [36]).
Hunc [37]), et incomtis Curium [38] capillis
Utilem bello tulit, et Camillum [39])
Saeva paupertas [40]), et avitus [41]) apto
Cum lare [42]) fundus.
Crescit [43]) occulto, velut arbor, aevo

35) Gratus, id est: grata pietate illorum memoriam recolens insigni Camena, id est, carmine referam, celebrabo; quo ipsi insignes reddantur, ipsorum virtus posteris innotescat.

36) Fabricius Luscinus, quum contra Samnites et Pyrrhum bellum consul gereret, munera hostium sprevit, et difficilius ab honestate, quam sol a cursu suo, averti potuit.

37) Jam ea, quae sequuntur, praeclare frugalitatem et continentiam, quibus res Romana in tantum fastigium excrevit, exprimunt. Hunc, subintelligitur: Fabricium. Et simpliciter sic habetur: Fabricium, Curium impexum et Camillum, parvis paternis aedibus, et fundo his congruente contentos, paupertas rigida bello fecit aptissimos, seu utiles bello tulit; et sic ad reipublicae gloriam educavit.

38) Curius unus e priscis Romanis fuit; insigni abstinentia, et frugalitate, aurum a Samnitibus oblatum repudiavit, cum diceret: malle se divitibus imperare, quam divitem esse. Retinuit etiam Curius morem veterem, et crines incomtos, intonsos atque impexos aluit, uti militares decet.

39) Camillus Gallos, incensa Roma capitolium obsidentes, fugavit; et eosdem Romam redeuntes magna strage ad fluvium Anienem cecidit; quintus Dictator fuit.

40) Paupertas, sensu Romano, non egestas et omnium rerum inopia; sed fortunarum mediocritas ea, unde dure, parce vivendum sit. Illa et corpus duratur, et animus roboratur, et sic magni et fortes viri finguntur, quapropter et saeva, id est, fortis et aspera dicitur, quae nos non emolliat; sed ad quaevis dura et perpessu gravia idoneos reddat adeunda.

41) Avitus fundus: agellus a majoribus acceptus, nullis accessionibus dilatatus.

42) Apto lare, id est: cum tecto, quod aptum erat et conveniebat fundi seu praedii exiguitati, adeo modico, exiguo. Lar enim positus est pro domo, qui proprie est Deus domesticus tutelaris. Vide Myth. et Antiquit.

43) Sensus: Crescit, augetur gloria et fama Marcelli occulto aevo, id est, procedente tempore occultis sensim incrementis: ut arbor, in qua, quoties adspiciamus eam, nova germina ac folia, novosque ramos emicuisse videmus etiam, quin eorum occultum et successivum incrementum a nobis observatum sit.

Fama Marcelli [44]): micat [45]) inter omnes
Julium [46]) sidus, velut inter ignes
Luna minores.
Gentis humanae pater [47]), atque custos,
Orte Saturno, tibi cura magni
Caesaris fatis [48]) data; tu secundo
Caesare regnes.
Ille [49]), seu [50]) Parthos [51]) Latio imminentes
Egerit justo domitos triumpho,
Sive subjectos Orientis oris
Seras [52]) et Indos,
Te minor latum reget aequus orbem;

44) Marcellus hic intelligendus est sine dubio Octaviae filius, nepos Augusti, qui, cum vix 17um aetatis annum attigisset, omni tamen virtute ornatissimus esset, sensim, ut arbor, ad veterum Marcellorum gloriam et famam surgebat. Summa enim erat de eo et Augusti, et omnium Romanorum, quorum delicias eum fuisse constat, exspectatio, ut ejus mortem a. u. 731 post pugnam Actiacam insequutam universus populus communi luctu prosequeretur.

45) Jam a Marcello transitus erat facilis ad familiam Juliam, unde ille per matrem ortus erat, inque eam postea etiam insertus. Vulgaris sententia est: omnino gens Julia ad summum nunc gloriae fulgorem pervenit.

46) Julium sidus est familia seu gens Julia, quae inter ceteras omnes stellas, hoc est, familias Romanas emicat, uti luna reliquos ignes seu stellas obscurat. Desumta autem est haec allegoria a crinita stella, quae sub Caesaris mortem per septem dies adparuit, et anima ejus esse credita est caelo recepta.

47) Hic Jovem intelligit, Saturni filium. Haec invocatio Jovis autem ita cum prioribus conjungenda est: Atque ex hac gente Julia est, eamque fulgentissimam fecit Augustus, quem tueatur Jupiter, quaesumus. Fac igitur o qui generis humani pater, et conservator es, maxime vero regum tutelam geris, ut Caesar regnet secundus a te, ut sit te solo minor, major vero ceteris regibus omnibus.

48) Fatis data, id est: a fatis commissa; Fato enim subesse Jovem credebant.

49) Graviter hic preces in vaticinationem transeunt: quemadmodum tu in caelo, ita Caesar in terra orbem universum, subactis ejus reliquiis, reget.

50) Seu etc. Sensus: Postquam Parthos, Romano imperio, cujus nempe prima sedes Roma in Latio, imminentes, seu, illud continuo lacessentes, bello devictos et domitos, una cum Indis et Seris, adhuc magis versus Orientem habitantibus, justo, id est, quo vindicentur injuriae populo Romano ab ipsis illatae, triumpho ante se egerit etc.

51) De Parthis vide Odam II. notam 42.

52) Seres populi erant ubi nunc fere Sina ponitur, apud eos bombyces multi, hinc telae sericae. Indi veteres iidem cum hodiernis.

Tu gravi curru quaties [53]) Olympum;
Tu parum castis inimica mittes
Fulmina lucis [54]).

Ode XII.

Ad Rempublicam.

Occasio et argumentum.

Monet atque obtestatur hoc carmine Horatius Romanos, ne denuo in bella civilia irruant, id quod perpetua allegoria persequitur. Scilicet rempublicam jam tot tantisque calamitatibus labefactatam et convulsam navi, procellis laceratae, omnibus praesidiis orbatae, ac nihilominus iterum mare ingredi paranti comparat, eamque, ut portum attingere studeat, enixe rogat. Mala illa varia et innumerabilia, quibus civitas laborabat, et pericula quibus eam nova bella civilia objectura essent, enumerandis singulis quassatae navis partibus repraesentat; in his tamen exigendis non ita anxie inhaerendum est, ut singulae ad rem significatam adplicentur. Probabilius scripta est ode a. u. 722 quo hostilitates inter Augustum et Antonium novum bellum civile minabantur.

[Metrum Asclepiadeo - Pherecratico - Glyconium.

— — | — ⏑ ⏑ — | — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏓
— — | — ⏑ ⏑ — | — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏓
— — | — ⏑ ⏑ | — ⏓
— — | — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏓

O navis [1])! referent in mare te novi
Fluctus [2])? o quid [3]) agis? fortiter occupa

53) Quaties, id est: fulminabis, tonabis. Simpliciter: Tu autem in caelo regnabis.

54) Lucis: silvis sacris, quas impii profanas fecerint.

---

1) Praeclare poëta, periculi metu perculsus, subita exclamatione orditur: O navis! ergo altum repetes, in altum proveheis, ut iterum tempestatem experiaris?

2) Novi fluctus, id est: nova bella civilia in nova te pericula abripient?

3) Quid agis? Quae ista temeritas, amentia, mari se iterum credere velle, unde tanta calamitas acciderit?

Portum [4]). Nonne [5]) vides, ut
Nudum [6]) remigio latus,
Et malus celeri [8]) saucius [7]) Africo,
Antennaeque gemant [9])? ac sine funibus [10])
Vix durare [11]) carinae [12])
Possint imperiosius [13])
Aequor? Non tibi sunt integra lintea [14]),
Non Dî [15]), quos iterum pressa voces malo;
Quamvis pontica [16]) pinus,
Silvae filia nobilis,

4) Imo fortiter, summa virium contentione hoc age, ut occupes portum, adeoque in tranquillo et tuto sis. Per portum hic pax et concordia designatur.

5) Rempublicam bellis civilibus plane exhaustam, praesidiisque suis orbatam servata allegoria declarat poëta per navem tempestate graviter adflictam.

6) Nudum remigio latus, id est: quod remos amiserit navis, vel quod proprie dicitur, remi detersi sint fluctibus aut ad scopulos. Potest autem allegoria hic explicari: Destituti sitis militibus, ut navis remigibus.

7) Saucius: fractus, labefactus.

8) Celeri: a praecipiti vento, seu vehementi Africo.

9) Gemant, id est, laborent; res enim dicuntur gemere, quae vi aliqua incumbente graviter adfliguntur, ob strepitum quem edunt.

10) Per funes hic intelliguntur retinacula ancorarum, quibus navis procellis exposita figitur, ne tanta vehementia jactari atque circumagi queat.

11) Durare: perferre diutius.

12) Carinae: trabes, e quibus ima pars navis conficitur, pro ipsis navibus sumuntur.

13) Imperiosius: imperiosum, saevum, quod in navem crudele imperium exercet, eam hinc inde jactando. Alludit simul hoc epithetum ad tyrannidem, quam respublica Romana aegre tulit.

14) Lintea, id est: vela.

15) Habebat nimirum quaeque navis Deum aliquem tutelarem, cujus simulacrum cum ara in puppi solebat statui. Sensus ergo est: non habes amplius Deos, quos invoces, quorum auxilium implores, novis malis oppressa, ubi iterum cum tempestate colluctandum tibi sit. Per nova mala intelligi debet novum bellum civile, quod Dii aversantur, et propter quod reipublicae non sunt amplius propitii.

16) Pontus est regio Asiae minoris, in qua optimae arbores ad naves construendas nascebantur. Sensus est: licet sis navis optima, et facta ex arboribus silvae celeberrimae, et glorieris hac praerogativa; tamen contra tempestatis vim nihil ista tua nobilitas valet. Alludit hic ad originem civitatis Romanae nobilem, quae per Romulum ex Marte, per Aeneam autem a Venere ortum suum deducit. Et sensus allegoriae est: non augusta tua, atque ab ipsis Diis deducta origo, quam jactas, neque vetusta gloria, tot rebus praeclare gestis parta, prohibebit, quin novo bello civili prorsus intereas.

Jactes et genus, et nomen inutile.
Nil pictis [17]) timidus navita puppibus
Fidit. Tu, nisi ventis
Debes [18]) ludibrium, cave.
Nuper [19]) sollicitum quae mihi taedium,
Nunc desiderium, curaque non levis,
Interfusa nitentes
Vites aequora Cycladas [20]).

Ode XIII.

Nerei vaticinium de excidio Trojae.

Occasio et argumentum.

Sunt quidam, qui forte superioris carminis spiritu pleni, in hoc etiam allegoriam sibi reperisse videntur, il-

17) Sensus: neque ornamenta tua in puppi, quibus adeo fidis, te ab interitu servabunt. Instantem tempestatem poëta innuit per nautam timidum, qui tum nil fidit, nullam spem salutis in picturis, quibus navis sua decorata est, reponit. More enim antiquo naves, imprimis puppes, coloribus ustis speciose pictae atque ornatae erant extrinsecus, puppes etiam intus. Innuit vero hic poëta reipublicae opes ac splendorem, aedificiis, templis, ac luxurioso vitae genere proditum.

18) Sensus: quum igitur, remis excussis, malo fracto, antennis labefactatis, ancora perdita, velisque diruptis, nihil prorsus in te amplius habeas praesidii, quo te adversus tempestatem tuearis; cave, tibi prospice, adeoque altum ne pete, nisi ventis ludibrio esse velis. Debes ludibrium, est loquutio Graeca. Illi debere risum et ludibrium a Graecis dicuntur, qui ridendi et illudendi sunt.

19) Sensus: o navis, quae mihi nuper eras taedio, nunc es mihi desiderio et curae, fuge scopulos et Cycladas aequoris! Misera navis conditio erat ei taedii, molesta, sollicitum eum faciebat, quapropter: sollicitum taedium; nunc vero, eam, utcunque adfectam, naufragium evasisse videns, iterum ejus desiderio tenebatur, eam iterum amare occepit. Explicatio allegoriae sequens est: taedebat eum vivere in republica, ubi omnia omnium miseriarum essent plenissima, nunc, quum sub Caesare Augusto iterum florere inciperet, renovabatur ejus desiderium, iterum curae cordique ei erat, timebat de ea, ne navis intestinis motibus iterum labefactata penitus prosterneretur.

20) Cyclades insulae sunt maris Aegei, sic dictae, quia in orbem et circulum videntur esse dispositae; sunt autem scopulis plenae, ad quos allisi fluctus edunt spumam albicantem, hinc nitentes dicuntur. Recte autem de Cycladibus et Aegeo meminit, pro omni mari; non solum, quia

ludque referunt ad Antonium et Cleopatram. Sed quum difficile fuerit similitudinem Paridis cum Antonio, Helenae cum Cleopatra ostendere, Porphyrionem sequemur, qui dicit: Hac ode Bacchilidem, Graecum poëtam, imitatur Horatius; nam ut ille Cassandram facit vaticinari futura belli Trojani, ita hic Proteum. Totius igitur carminis argumentum eo redit: Proteus, marinus Deus, praeterna-viganti Paridi in patriam reduci vaticinatur excidium Trojae, ob raptam Halenam Menelai Spartae regis uxorem, quod vividissimis coloribus depingit.

Metrum Asclepiadeo - Glyconium ut in ode V.

Pastor [1]) quum traheret [2]) per freta navibus
Idaeis [3]) Helenen [4]) perfidus [5]) hospitam;
Ingrato [6]) celeres obruit [7]) otio
Ventos, ut caneret fera [8])
Nereus [9]) fata: Mala [10]) ducis avi domum,
Quam multo repetet Graecia milite,

pars ista maris est admodum periculosa propter scopulos; verum etiam, quia Graeciae adjacet, ubi prima belli civilis alea quasi jacta fuerat. Interfusa autem idem, ac: aequora fusa et currentia inter nitentes Cycladas.

1) Pastor: Paris, ita vocatur hic ab Horatio, quia Priamus eum in silvis exponi jusserat, cum admonitus fuisset, ipsum aliquando patriae exitialem fore; tamen Hecuba, ejus mater, clam illum inter pastores educari, et servari jussit; jam grandior a patre agnitus et acceptus, in Graeciam missus est; ubi humanissime hospitio exceptus a Menelao Spartae rege, Helenam ejus conjugem rapuit, et per mare abduxit Trojam.

2) Traheret: Trojam abduceret.

3) Idaeis: quarum materies in Ida, monte prope Trojam, excisa esset, et ad has naves exstruendas adhibita. Praeterea plur. pro sing.

4) Helena Jovis, seu Tyndari et Ledae filia fuit, Menelai regis Graecorum uxor, a Paride rapta, et Trojam abducta, uti jam e praemissis adparet.

5) Perfidus dicitur Paris, quia, cum fuisset acceptus amice a Menelao, uxorem illi suam blandiciis deceptam abstulit.

6) Ingrato, id est: otio molesto Paridi festinanti.

7) Obruit, id est: silere jussit et quiescere.

8) Fera seu luctuosa, saeva, horrenda fata ut vaticinaretur.

9) Nereus, Deus maris, Oceani et Tethios filius, Doridis maritus, pater Nympharum maris, quae ab eo Nereides vocantur. De ejus facultate vaticinandi, qua praeditus erat, vide Myth.

10) Incipit hic vaticinium ipsum: Mala avi (inducitur Nereus loquens)

Conjurata [11]) tuas rumpere nuptias,
Et regnum Priami vetus.
Eheu [12])! quantus equis, quantus adest viris
Sudor! quanta [13]) moves funera Dardanae
Genti! Jam galeam Pallas [14]), et aegida [15])
Currusque, et rabiem [16]) parat.
Nequidquam [17]), Veneris [18]) praesidio ferox [19]),
Pectes caesariem; grataque [20]) feminis

id est: malo omine vehis in patriam tuam feminam, quam tota Graecia reddi sibi postulabit multo milite, seu, magno exercitu etc.

11) Conjurata rumpere, Graeca constructio, pro, quae conjuravit se rupturam, dissoluturam tuas cum Helena nuptias, et eversuram Trojam, ubi Priamus jam diu regnat. Aulide in Boeotia concilium habuerunt Graeci, ubi inter se convenerunt, non prius se redituros esse domum, priusquam Helena recuperata et Troja diruta sit.

12) Hic cum summo vaticinationis spiritu rem futuram tamquam praesentem narrat et depingit. Ad graves labores bellicos declarandos autem memoratur sudor, quo perfusi sunt viri, seu milites et equi curru juncti, sensus ergo est: quantum laboris subeundum erit in proeliis!

13) Sensus est: quanta clade adfligetur res Trojana! Graviter et cum indignatione poëta cladem istam ad Paridem, tamquam ultimam belli causam, referens ait: quanta funera moves; quantorum funerum, quantae caedis auctor es genti Dardanae, id est, Trojanae, a Dardano rege sic dictae.

14) Pallas, Minerva scientiarum et belli praeses. Graecis praecipue favebat, ut Venus Trojanis. Myth.

15) Aegis erat scutum caprinis pellibus obductum, in cujus medio visebatur caput Medusae, horridum anguibus. Tribuitur vulgo Diis, et maxime Minervae; maxima autem huic scuto vis, ad terrorem hostibus incutiendum, inesse credebatur. Vide Myth.

16) Rabiem parat, id est: concipit bellicum furorem, se exacuit adbellandum. Sensus ergo est: Minerva Galeam adponit, Aegidem lateri suo adplicat, currum praeparat ascensura illum (temporibus enim heroum e curribus pugnatum est) et vehementissimam iram pectore suo concipit atque desiderium bellandi.

17) Pro vulgari; nequidquam pulchritudinem tuam jactabis, ornatius erat, parte tantum pulchritudinis memorata dicere: coma tua pulchra nequidquam superbies, et pro hoc: caesariem tuam pectes, ornabis, eleganter compones. Imago hominis imbellis, ac in medio belli tumultu desidentis, et de coma fingenda solliciti.

18) Orta inter Deas, Junonem, Palladem et Venerem controversia de praestantia formae, Paris adhuc inter pastores degens, judex adhibitus, causam Veneri adjudicavit. Hinc odium Junonis et Palladis in Trojam, et Veneris praesidium atque favor erga eandem.

19) Ferox, id est: animosus, audax, fortis, fretus.

20) Grata carmina divides, id est: in medio feminarum circulo sedens modo huic, modo illi dulcem cantilenam ludes, quam cuivis maxime placere scias, cithara imbelli, nonnisi amorem ac mollitiem sonante.

Imbelli cithara carmina divides;
Nequidquam [21]) thalamo graves
Hastas, et calami [22]) spicula Gnosii
Vitabis, strepitumque [23]), et celerem [24]) sequi
Ajacem [25]): tamen [26]), heu! serus adulteros
Crines pulvere collines.
Non [27]) Laërtiaden [28]), exitium tuae
Gentis; non Pylium Nestora respicis?
Urgent [29]) impavidi te Salaminius
Teucer, te Sthenelus [30]) sciens

21) Sensus: frustra declinabis, in thalamo te abscondens, exitiales hastas hostium et jacula.

22) Spicula calami Gnosii: tela seu sagittae e calamo Gnosio factae. Gnosus est autem urbs in Creta insula, sagittae porro ex arundine Cretae confectae praestantissimae habebantur.

23) Strepitum, id est: tumultum belli, et stridentem conflictum telorum.

24) Celerem sequi, graece pro: celerem in persequendo hostem; vel celeriter, acriter persequentem hostes.

25) Ajax duplex est, alter a patre Telamone, dictus Telamonius, qui cum Achillis, a Paride caesi, arma peteret, victus est Ulyssis eloquentia; et in furorem actus, gladio se confodit. Alter, ab Oileo patre Oileus cognominatus, rex Locrensium erat, velox pedibus, et peritus hastae vibrandae. Hic ob violatam Cassandram, vatem Apollinis, domum repetens fulmine exustus est in mari cum sua navi. Posteriorem hic intelligendum esse satis adparet.

26) Sensus: Etsi diu vitaveris mortem, tamen, sero ad Trojae utilitatem, crines adulteros, id est, eleganter comtos, unguentis delibutos capillos tuos, hominis quippe nimis mulierosi, collines, poliues, foedabis pulvere, hoc est: tu quoque occumbes. Paris autem a Pyrrho, Achillis filio, interfectus est.

27) Sensus: non vides instantes tibi ac minantes duces Graecorum? quorum aliquos exhibet poëta.

28) Laërtiades est Ulysses, Laërtae filius, qui ad expugnandam Trojam momenti plurimum attulit suis consiliis et dolis, ut Nestor rex Pyli, urbis in Peloponneso, sapientia. Exitium vero Trojanis Ulysses parabat potissimum adducendo Achillem, surripiendo Palladium, equique lignei aedificandi consilio dato.

29) Urgent, id est, instant tibi Teucer, oriundus e Salamina, insula et urbe prope Athenas. Vide Ode VI. not. 24.

30) Sthenelus dux unus Graecorum, filius Capanei, Diomedis socius, et vir fortissimus in proelio, eapropter dicitur, sciens pugnae; pugnabant autem Graeci vulgo e curribus, alter in curru stans, alter equos flectens ac regens. Utrumque a Sthenelo egregie fieri Nereus dicit, sive pugnandum e curru sit, sive equis imperitandum. Auriga non piger, ergo idem ac, strenuus, qui adeo in mediam hostium aciem currum immittat.

Pugnae; sive opus est imperitare equis,
Non auriga piger. Merionem [31]) quoque
Nosces. Ecce furit te reperire atrox
Tydides [32]), melior patre;
Quem [33]) tu, cervus uti vallis in altera
Visum parte lupum graminis immemor,
Sublimi [34]) fugies mollis anhelitu,
Non [35]) hoc pollicitus tuae.
Iracunda [36]) diem proferet Ilio,
Matronisque Phrygum, classis Achillei:
Post certas hiemes [37]) uret Achaicus
Ignis Pergameas domos.

Ode XIV.

Palinodia ad Amicam.

Occasio et argumentum

Puellae, quam jambis prosciderat, excusat se hoc carmine Horatius. Facti se nunc poenitere, ipsique puellae

31) Merionem, vide Ode V. not. 17. nosces, id est, malo tuo experieris, senties, qui vir sit.

32) Tydides, Diomedes, patre Tydeo fortior. Fuit rex Aetoliae, qui ad Trojam cum Aenea congressus, Venerem adjuvantem Aeneam percussit, quapropter illa multas ei miserias attulit. Nam uxorem ejus adulteram fecit; quod audiens Diomedes domum redire noluit, sed in Apuliam profectus Arpos condidit. Vide etiam Ode V. not. 18. Furit te reperire, id est: furenti animo te requirit, ardet tecum congredi atrox, saevus, bellicosus, fortis.

33) Sensus: quem tu vel e longinquo conspicatum ea virium, quas in pedibus habes, contentione fugies, ac si jam tuo tergo immineret: quemadmodum cervus statim in pedes se conjicit, ubi lupum non ad se accedentem, sed e longinquo tantum, in extrema vallis parte, ipsi ne visus quidem, conspicit.

34) Sublimi anhelitu: id est: e sublimi ducto, spiritu ex alto tracto, graviter anhelans; ut solent cursu fatigati, aut valde irati et metuentes.

35) Sensus: hoc, ut fugeres, timidum te gereres, non es pollicitus Helenae, uxori tuae, cui potius insignem tuam virtutem bellicam jactaveras.

36) Moram quidem excidio patriae tuae faciet Achillis ira, qua aliquantisper a pugna abstinebit. Achilli Briseidem eripuerat Agamemnon: hinc Achillis ira, et otium a bellando. Cum tamen amicum suum Patroclum ab Hectore interemtum vidisset, ad bellum se retulit, Hectorem occidit, quo caeso capta et incensa fuit Troja.

37) Id est: Post certum annorum numerum tamen comburet ignis Graecorum Ilium seu Pergamum. Achaja autem est pars Graeciae.

jambos istos, quos iratus olim scripsisset, abolendos tradere, statim in fronte carminis declarat. Tum omnem de ira, a qua excusationem repetit, locum poëtice pertractat: Ira nimirum nihil esse vehementius, praepedire eam, atque conturbare penitus sanae mentis statum, adeo, ut furorem, quem Cybele Gallis, Apollo sacerdotibus, Liber Maenadibus, et Corybantes pulsis tympanis immittant, longe superet; nullo adeo eam terrore cohiberi, atque ab ulciscendi studio posse reprimi. Nec mirum quum animus humanus ad iram tam propensus sit natura, ut vel invitus ea corripiaris, ejusque explendae quovis modo, vel cum maximo tuo malo, cupiditate incendaris maxima. Hinc enim repetendum Thyestae exitium, tot hominum caedes, tantarumque urbium ruinae. Eadem adeo irae insania me, ipsa aetate juvenili ad eam proniorem, ad istos jambos scribendos impulit, quos nunc, ut amica mihi iterum fias, omni modo deletos cupio. De puella hac, cum ejus nomen consulto omiserit poëta, nil certi potest statui. Quidam autem commentatores, ut Acron et Porphyrion, eam Tyndariden adpellant.

Metrum Alcaicum, ut in ode VIII.

O matre pulchra filia pulchrior [1]),
Quem criminosis cunque voles modum
Pones jambis [2]); sive flamma,
Sive mari libet Hadriano.
Non [3]) Dindymene [4]), non adytis [5]) quatit [6])

1) Ab initio statim pulchritudo puellae, ipsa matris, etsi pulcherrimae, praestantior extollitur. Sensus est: Pulcherrima amica, abolebis, quacunque voles, poena scriptos in te jambos; criminosis, contumeliosis, injuriosis jambis, quibus probra tibi ingessi, ponas, constituas licet modum seu finem quemcunque voles; sive igne, sive aqua eos abolere placet; pro aqua autem positum est mare Adriaticum, tanquam impetuosius, de quo vide Ode X. not. 7.

2) Carmine jambico Archilochus, auctor ejus, usus est, ad alios maledictis proscindendos; hinc jambi etiam aptissimi reputantur scribendis contumeliosis carminibus.

3) Naturalis ordo carminis hoc sententiarum nexu procedere deberet: Ira abreptus eo insaniae processi, ut carmen istud in te facerem; at quanta irae est vehementia, quanta ejus vis, vel maximam insaniam exsuperans! non enim ita suos sacerdotes Cybele, Apollo, Bacchus agitant, ut iracundia homines quatit.

4) Dindymene est Cybele, sic dicta a Dindymo Phrygiae monte; sacra

Mentem sacerdotum incola Pythius,
Non Liber [7]) aeque, non acuta
Si geminant Corybantes [8]) aera,
Tristes ut irae; quas neque Noricus [9])
Deterret [10]) ensis, nec mare naufragum,
Nec saevus [11]) ignis, nec tremendo
Jupiter ipse ruens tumultu [12]).
Fertur [13]) Prometheus addere principi
Limo coactus particulam undique
Desectam, et insani [14]) leonis
Vim stomacho apposuisse nostro.

ejus erant enthusiastica, cum tripudiis, discursibus inter tympanorum, tibiarumque sonos, quibus in furorem agerentur sacerdotes, celebrari solita. Sacerdotes hujus Deae sunt Galli.

5) Adytis: in adytis. Adyta sunt templi penetralia, quae profanis hominibus adire non licet. Intelligitur templum Delphicum, quod incolebat, et ubi reddebat oracula Apollo. Pythius dictus a serpente Pythone, quem interemerat. Hinc Apollo dicitur hic: incola Pythius. Myth. Apollinis sacerdotes sunt Pythia et Sibyllae.

6) Quatit, id est: in furorem agit; Pythia enim, quotiescunque vaticinabatur in furorem acta est.

7) Liber est cognomen Bacchi. Myth.

8) Corybantes iidem sunt ac Galli, etiam Curetes nominati, Cybeles sacerdotes, de quibus jam supra. Hi mentem audientium non aeque conturbant, feriunt, si geminant, iteratis ictibus pulsant cymbala aerea; ac id faciunt tristes, saevae, vehementes irae, quas nihil omnino reprimere potest.

9) Noricum, regio Germaniae, quae hodiernam Austriam, Styriam, Salisburgum et partem Bavariae in se complectebatur. Ferrum hujus regionis praestantissimum habebatur, et enses inde cusi; etiam hodie adhuc ferrum Styriae magni valde aestimatur.

10) Deterret: exterret, sistit ac retinet. Iratum hominem non retardat metus periculi et mortis.

11) Saevus ignis pro: timendus ignis, idem ac, fulmen.

12) Tumultu, quem tonitru excitat.

13) Sensus vulgaris: ac in hoc quidem adcusare licet animi humani naturam atque indolem, ita comparatam, ut ira facillime commoveamur atque excandescamus; unde maxima mala ac damna oriantur necesse est. Hanc sententiam vulgarem autem poëta ita exprimit: dicitur Prometheus, cum formam humanam e luto composuisset, neque amplius haberet, unde humanam indolem effingeret, hanc ex omnibus animalibus decerptam homini insevisse; coactus ergo fuisse addere ad lutum illud princeps, sive primigenium, unde illorum corpora compegerat, particulam ab omnibus animalibus desectam et decisam; et a leone sumsisse vim, id est iracundiam et rabiem, eamque in hominis stomacho seu pectore posuisse.

14) Insani, id est: furiosi, praeter modum iracundi.

Irae [15]) Thyesten exitio gravi
Stravere, et altis [16]) urbibus ultimae
Stetere causae, cur perirent
Funditus, imprimeretque muris
Hostile aratrum exercitus insolens.
Compesce [17]) mentem: me [18]) quoque pectoris
Tentavit in dulci [19]) juventa
Fervor, et in celeres jambos
Misit [20]) furentem: nunc [21]) ego mitibus
Mutare quaero tristia; dum mihi
Fias recantatis [22]) amica
Opprobriis, animumque reddas.

15) Generalem sententiam, irae effectus esse perniciosissimos, graviter declarat, atque exornat fraterni discidii exemplo poëta. Irae nimirum inter Atreum et Thyestem, fratres, de regno ortae dejecere de statu suo Thyesten atque immersere gravi exitio. Thyestes enim vindictae studio inflammatus, quod pacto de regno Mycenarum alternatim gubernando non staret Atreus, hujus uxorem seduxit; quod hic aegre ferens, filium illius occidit et coctum patri epulandum adposuit. Myth.

16) Altis etc. Sensus: eadem iracundia fuit causa postrema, et gravissima, cur celeberrimae urbes penitus everterentur, et victor miles ac insolens aratrum duci, et sulcos imprimi juberet in eo loco, ubi moenia illarum steterant. Ita eversae sunt Troja, Numantia, Carthago etc. Idcirco autem jubebant urbis eversae solum arari, ut intelligeretur, ibi non amplius fore urbem, sed agrum, ut spes omnis restituendae urbis tolleretur.

17) Compesce mentem: id est, mitiga igitur iram tuam erga me.

18) Nam me quoque ira, qua juvenilis aetas, in qua ego nunc constitutus sum, facilius excondescere solet, eo usque provexit, ut jambos illos insanus scriberem.

19) Perpetuum epithetum oppositum senectuti morosae, tristi, nihil suavitatis habenti.

20) Misit, abripuit, impulit me, ut scriberem etc.

21) Sensus: cupio nunc tristia, amara, jambos tristes, acerbos seu acres commutare cum mitibus versibus, qui te mitem reddant; dummodo, ut mihi iterum amica fias, animumque, a me isto carmine abalienatum, reddas, amore me tuo iterum amplectaris, recantatis, revocatis opprobriis, id est: postquam falsa declaravero ista opprobria.

22) Recantare interdum est: eadem canere iterum; interdum, ut hoc in loco: contraria cantare, et prius dicta condemnare.

Ode XV.

Ad Tyndaridem.

Occasio et argumentum.

Habuit Horatius villam in Sabinis, quam a Maecenate dono acceperat. Hujus amoenissimam facit descriptionem, enumerando omnes amoenitates ejus, quae sunt: Agelli suavitas, caeli salubritas mitisque temperies, omninoque regionis felicitas, tranquillitas, ubertas. Jam poëta harum amoenitatum cupit participem esse Tyndaridem, puellam doctam, praeclaroque ingenio praeditam, quam et poëtriam fuisse e carmine ipso colligi potest. Itaque invitat eam rus suum, ut a virorum violentia tutam praestet, atque ibi otio et securitate perfrui posset aptissima.

Metrum Alcaicum carminis VIII.

Velox [1]) amoenum saepe Lucretilem
Mutat Lycaeo Faunus [2]), et igneam
Defendit [3]) aestatem capellis
Usque meis, pluviosque ventos.
Impune [4]) tutum per nemus arbutos [5])

1) Amoenitates villae suae descripturus poëta, eas non a fontium praeterlabentium susurro, a nemorum umbris, vallium, gregumque ibi pascentium laeto aspectu, in quorum descriptione nostri fere poëtae luxuriantur, repetit; sed ut vividius eas declaret, totique picturae vitam quasi tribuat, exquisito utitur phantasmate, dum Faunum, villae suae deliciis invitatum, posthabito Lycaeo eam invisere, ibique saepius commorari dicit; poëtae enim, quas amoenissimas describere vellent regiones, eas Diis frequentatas repraesentabant. Sensus ergo est: velox Faunus saepe relicto monte Arcadiae Lycaeo venit in Lucretilem, Sabinorum in Italia montem, quem pro villa, in vicinia montis hujus, ponit; epithetum, amoenum, ad totam villam pertinet.

2) Faunus, idem ac Pan, Satyrorum ac Deorum rusticorum princeps; velox dicitur, quia caprinos habebat pedes, cursuque ac saltu delectari ferebantur Fauni et Satyri.

3) Defendit, id est: arcet prohibet usque, seu semper, ne aestas immodico aestu, aut venti pluviam adferentes meis capellis noceant.

4) Aliud praesentia Fauni effectum est agelli securitas, quam hac simplici notione expressit: securae per nemus pascuntur caprae, quod Fauni praesentia tutum est.

5) Arbutos, quae sunt arbores minusculae, et propterea in silva facile latent; ac thymum libenter carpunt, depascunt caprae.

Quaerunt latentes, et thyma deviae [6])
Olentis uxores mariti;
Nec virides metuunt colubras [7]),
Nec Martiales [8]) haeduleae [9]) lupos;
Utcunque [10]) dulci, Tyndari [11]), fistula
Valles, et Usticae [12]) cubantis
Laevia [13]) personuere [14]) saxa.
Dî me tuentur: Dîs [15]) pietas mea,
Et Musa cordi est. Hic [16]) tibi copia
Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu [17]).
Hic in reducta [18]) valle Caniculae [19])
Vitabis aestus, et fide [20]) Teïa

6) Deviae, id est: huc illuc per nemus errantes uxores. Hirci male olentis, qui Virgilio adpellatur vir gregis. Uxores ergo idem, ac capellae.

7) Nec est quod metuant serpentes virides etc. Colubras feminino genere posuit, vulgari poëtarum usu.

8) Martiales lupos, id est, Marti sacros.

9) Haeduleae, id est: parvae capellae. Aliqui etiam legunt, haedilia et haedulia, id est: stabula haedorum.

10) Utcunque etc. prioribus adhuc addenda sunt: dum, vel quia Faunus eas custodit, Faunus adest. Pro hoc autem ponit poëta: dum Faunus fistula canit; seu poëtice: dum fistula Fauni, suaviter resonante, valles et saxa Usticae collis resonant; his enim praesentem tutelam Fauni indicat poëta.

11) Tyndari, indicat apostrophen ad Tyndaridem.

12) Ustica mons seu collis fuit, Lucretili vicinus, cubans dicitur; hoc est, leniter declivis, et fere jacens. Altissimi enim montes videntur stare, humiles et demissi jacere.

13) Laevia, polita atque adeo ad vocem fistulae geminandam idonea.

14) Personuere, ut in Graeco aoristi, pro praesenti positum est.

15) Diis pietas, integritas mea, et facultas poëtica cordi ac curae est; ego innocens et vates amor ab iis. Addi nunc debet sententia: venias ergo ad me, et fruere mecum hac Deorum gratia et tutela.

16) Hic in mea villa fluet tibi ad plenum, id est, ad sacietatem copia et abundantia omnium frugum et fructuum, veluti ex uberrimo Amaltheae cornu; hi fruges enim et fructus intelliguntur per opulentam copiam honorum ruris.

17) Cornu. Designatur hic cornu copiae Amaltheae caprae, cujus lacte Jupiter nutritus est. Myth.

18) Vallis reducta est, quae in longinquum recedit, se retrahit, sinuosa, inflexa.

19) Canicula, Sirius, stella in Cane majori, quae aestate una cum sole oritur; dies eapropter, quibus maximus calor regnare solet, ab illa nomen traxerunt.

20) Fide Teja: fidibus Tejis, lyra Anacreontis Teji, seu carmine Anacreontico dices, id est, canes etc. Poëtriam fuisse Tyndaridem ex his versibus adparet.

Dices laborantes [21]) in uno
Penelopen [22]), vitreamque Circen [23]).
Hic innocentis pocula [24]) Lesbii
Duces sub umbra: nec Semeleïus [25])
Cum Marte confundet Thyoneus
Proelia; nec metues protervos [26]).

Ode XVI.

Ad P. Quinctilium Varum.

Occasio et argumentum.

Quinctilius Varus magnis muneribus, etiamque Consulatu Romae perfunctus, in Germania tandem attritus magna clade est, Variana idcirco dicta, et lamentabilis Augusto judicata. Contigit ea clades, Horatio dudum mortuo, a. u. 762. An autem idem Varus sit, de quo hic agitur, affirmari non potest. Id tamen constat Varum hujus carminis fuisse Horatii amicum. Itaque laudem vini celebraturus poëta rem sub speciales notiones revocat, ita, ut

21) Laborantes in uno, id est, unius Ulyssi amore flagrantes.

22) Penelope uxor Ulyssis, quo ad bellum Trojanum profecto, 20 annis constantissimo amore illum prosequuta est, licet a multis procis sollicitaretur.

23) Circe filia Solis et Persae nymphae, quae habitans in monte Circeo, tunc insula circa Campaniam, homines ad se venientes carminibus, et veneficiis mutabat in varias bestias, sicut etiam fecit Ulyssis sociis, quos transformavit in porcos, sed iterum rogante Ulysse restituit. Amavit etiam Ulyssem. Vitrea autem dicitur, quia erat Nereis Circe, et mari vicina habitabat, ac proinde tantum, ac, marina, caerulea, viridis; maris, ac divinitatum maris haec perpetua sunt epitheta, et vitri color apud veteres vulgaris erat viridis et caeruleus.

24) Pocula Lesbii, vinum Lesbium, quod erat e praestantioribus, et dulcissimis. Innocens idem est ac, innoxium, non inebrians, quod adeo puellam bibere deceret. Duces, hauries, bibes.

25) Semelejus vocatur Bacchus, quia ejus mater fuit Semele, idem etiam Thyoneus ab eadem Semele, cujus cognomen Thyone. Sententia est: Mars non confundet, committet cum Baccho proelia; non venietur a poculis et ebrietate ad arma et vulnera.

26) Protervos; viros parum modestos et continentes.

Varum ad plantandas in agro Tiburtino, in quo is villam habebat, vites adhortetur, quum vini usu vita demum suavis atque jucunda reddatur, nihilque ad curas animo expellendas eo reperiatur efficacius. Modice tamen eo uti oportere; effecta enim vini, immoderate poti, esse gravissima atque perniciosissima.

Metrum Asclepiadeum majus odae X.

Nullam, Vare, sacra [1]) vite prius severis arborem
Circa mite solum [2]) Tiburis, et moenia Catili [3]):
Siccis [4]) omnia nam dura Deus proposuit; neque
Mordaces aliter diffugiunt sollicitudines.
Quis post [5]) vina gravem militiam, aut pauperiem crepat?
Quis [6]) non te potius, Bacche pater, teque decens [7]) Venus?
At [8]) ne quis modici transiliat [9]) munera Liberi,
Centaurea monet [10]) cum Lapithis [11]) rixa super mero

1) Nullam arborem prius severis, plantes, in agro tuo Tiburtino, quam vitem sacram Baccho.

2) Mite solum dicitur ob aëris temperiem, quod ideo vitibus serendis idoneum sit.

3) Moenia Catili, hoc est, circa Tibur. Catilus enim, Amphiarai Thebani filius, hanc Italiae urbem fundavit, cum fratribus Tiburno vel Tibure et Corace. Tiburnus natu maximus nomen urbi dedit. In ea Varus habitabat, aut villam habebat non procul.

4) Siccis, sobriis, abstemiis, qui vino non utantur, Deus omnia gravia proposuit, constituit; neque aliter, nisi vino hausto, curae mordaces, quae animum consumunt, diffugiunt, animo pelluntur. Sententia est: vino enim uti decet, ad animum exhilarandum, et ad curas abigendas.

5) Quis post vina, vino hausto, crepat, queritur, cum dolore commemorat etc.? Sensus: ea enim, quae vitam aerumnosam atque molestam efficiunt, leviora fiunt vino hausto.

6) Quis non te potius, subauditur, crepat. Id est: quis non potius laudat Bacchum etc. Crepare enim aliquid, est de illa re loqui cum vehementiori cupiditate et affectu, seu doloris, seu laetitiae. Pater est commune Deorum epithetum.

7) Decens, ad gratiam refer, quae e decenti habitu, motu oritur.

8) Sensus: modus tamen in bibendo vino adhibendus est; quum innumera ex ebrietate oriantur mala, rixae, pugnae, arrogantia, insolentia, et alia. Pro vino autem posuit poëta munera Liberi, Bacchi.

9) Transiliat, id est: modum excedat, in bibendo nempe.

10) Monet: absterrere eum possunt illa, quae ebrietatem sequuntur mala, a Baccho poenae quasi loco inflicta, pro quibus malis memorat pugnam Centaurorum cum Lapithis, seu, rixam Centauream debellatam, pugnatam, cum Lapithis super mero, inter vina et pocula.

11) Lapithae et Centauri erant populi Thessaliae; qui, cum Pirithous,

Debellata; monet [12]) Sithoniis non levis Evius [13]),
Quum [14]) fas atque nefas exiguo fine libidinum
Discernunt avidi. Non [15]) ego te, candide Bassareu [16]),
Invitum quatiam [17]); nec variis obsita frondibus

rex Lapitharum, Hippodamiam duceret, invitati ad epulum, rixam ebrii moverunt, in qua multi utrinque periere.

12) Monet: Docet etiam nos, modice vino utendum esse, Evius, id est, Bacchus non levis, gravis, noxius, exitialis Sithoniis, Thraciae populis. Sithonii positi sunt hic universe pro Thracibus, quorum compotationes nonnisi caede finiri solebant. Mala ergo per vinum Thracibus importata nos admonent, cavendum esse ab ebrietate.

13) Evius Bacchus vocatus est a gemina voce Graeca, quae significat: euge fili, quam a Jove tum pronunciatam volunt, cum Bacchus in Gigantes rem strenue gereret, eosque, mutatus in leonem, e caelo detruderet. Evoe Bacche! est etiam communis exclamatio bacchantium. Myth.

14) Cum fas etc. Cum illi, Thraces nempe, ebrii et avidi explendarum libidinum, discernunt exiguo fine fas et nefas; ponunt exiguum limitem inter fas, quod est licitum, et nefas, quod est illicitum; id est, honestum et turpe confundunt, et exiguo limite utrumque separant. Quod iterum inter effecta ebrietatis referendum est.

15) Non ego: sensus: o Bacche, non movebo tuas statuas, ac deripiam e suo loco, te invito, ac repugnante.

16) Bassareus est cognomen Bacchi a voce Thracia vel Afra βασσαρις, quam Hesychius et Suidas explicant: αλωπηξ. Pelles enim imprimis hinnulorum et vulpium gestasse et Bacchas (inde Bassarides dictas) et ipsum Bacchum patet ex Eurip. Bacch. 24. etc. Quidam autem deducunt hoc cognomen a vocabulo Hebraeo, Bassar, quod sonat, amputare, vindemiare. Candide, id est, sincere, verax; in vino enim veritas. Alii deducunt hoc epithetum a perpetua Bacchi juventute, orisque pulchritudine.

17) Quatiam. Quatere, movere, commovere sacra, uti interpretes notant, est, sacra Deorum e templis proferre. Cum enim pararetur alicui Deo sacrificium, proferebantur ex templi adytis mysteria quaedam ejus numinis, atque hoc adpellabant, movere sacra. Quia porro Bacchi sacrificia extra urbem in montibus celebrabantur, necesse erat, eo deportari hujus Dei sacra: vannum, thyrsos, phallos, et haud dubie aliquam numinis effigiem. Hoc vero cum a Bacchis fieret, furiosis feminis, et quidem in cista solis pampinis et hederae frondibus tecta; sacrificari Baccho non poterat, quin ejus sacra non tantum moverentur, quod Diis omnibus commune erat; sed etiam graviter concuterentur; imo, quin saepe eversa cista effunderentur, et omnibus ostenderentur, quae arcana esse debuerant; quod invito certe Baccho, et contra ritum ac morem sacrorum fiebat. Sensus ergo ex his sequens erit: ego non illas Bacchas imitabor, non indulgebo ebrietati praeter modum, ut contra voluntatem tuam, invito te, tua sacra graviter concutiam, quatiam, et cistis abdita, atque obsita frondibus varii coloris, id est, tecta frondibus hederaceis et pampinis sub divum rapiam, in apertum proferam, patefaciam, quae tamen praeter initiatos nemini patefacienda fuissent. Hoc est: ego non abutar vino.

Sub divum rapiam. Saeva tene [18]) cum Berecynthio [19])
Cornu tympana, quae subsequitur caecus [20]) Amor sui,
Et tollens vacuum [22]) plus nimio Gloria [21]) verticem,
Arcanique Fides [23]) prodiga, perlucidior vitro.

Ode XVII.

Ad Maecenatem.

Occasio et argumentum.

Quo tempore, quave potissimum occasione hoc odarion scriptum sit, etsi ex ipso vix commode elicias; magnam tamen veri speciem habet quorumdam opinio, Maecenatem, quum in Apuliam profecturus esset, Horatio significasse, se in ejus villa Sabina deversurum, existimantium. Horatius ei respondet hac schedula poëtica, gratissimum sibi fore talem hospitem, sed aequi bonique illum facturum vinum id, cujus adponendi sibi copia sit.

Metrum Sapphicum carminis II.

Vile [1]) potabis modicis Sabinum
Cantharis [2]), Graeca [3]) quod ego ipse testa

18) Tene, comprime, cohibe. Sensus: noli me ad furorem et ebrietatem incitare, pulsando tua cornua, et tympana; quae tympana, quam ebrietatem sequitur amor sui caecus, inanis gloria sublime caput attollens, et temeritas in prodendis arcanis.

19) Berecynthium Bacchi cornu dicitur, quod furiosos perinde faceret eos, qui sonitum ejus audirent: quemadmodum faciebant cornua, quae adhibebantur in sacris Cybeles matris Deorum in Berecyntho Phrygiae monte. Saeva tympana ergo sunt, in furorem agentia.

20) Caecus amor sui dicitur, quia se solum respiciens, et sibi cum ipsis vitiis placens est.

21) Gloria, id est: jactantia, insolentia; hic ergo in malam partem sumenda.

22) Vacuum; quatenus ipsa Gloria, vacua, inanis est. Alii ipsum etiam verticem vacuum cogitant, cui nulla laurea, aut aliud honoris insigne impositum sit.

23) Fides arcani prodiga, quae temere arcana revelat, id est, infidelitas, loquacitas damnosa, quae silenda prodit, et perspicua est magis quam vitrum, quod res ita non tegit, quin trans illud adpareant.

1) Hospitium frugale, quo Maecenatem excepturus sit, statim ab initio declarat Horatius, in eo tamen libenter illum acquieturum confidit. Vile, vulgare, non optimae notae vinum, quale ager meus Sabinus, producit; Sabina regio autem non procul Roma erat, ubi vinum leve ac vile nascebatur. Ibi villam habebat Horatius.

2) Cantharis, scyphis, poculis minoribus, pro: modice, quantum mihi

Conditum levi [4]), datus in Theatro
Cum tibi plausus [5]),
Care Maecenas eques [6]); ut [7]) paterni
Fluminis [8]) ripae, simul et jocosa [9])
Redderet laudes tibi [10]) Vaticani
Montis imago.
Caecubum [11]) et praelo domitam [12]) Caleno
Tu bibes uvam: mea nec Falernae [13])

pro modica mea facultate adponere licet. Est autem Cantharus vas ansatum in conviviis apud Romanos adhiberi solitum.

3) In vasis fictilibus vina apud Romanos condita fuisse, satis notum est. In usu erant maxime Graeca, a Graeco artifice facta; nam cum in ipsa Graecia multis locis, tum in coloniis Graecis Campaniae, maxime Cumis, eximia ejusmodi vasa facta sunt; qualia hodie adhuc superstant, vasorum Etruscorum nomine insignia. Cum in iis nonnisi nobiliora vina conderentur, eadem mox vilioribus etiam, ut haec ex illis aliquid traherent suavitatis, implere solebant. Quare ejusmodi Graeca testa forte usus fuerat Horatius, ut Sabino suo generosi quid conciliaret.

4) Levi, praeteritum est, a lino. Solebant Romani suas amphoras oblinere, et inducere pice, vel cera, in eaque imprimere nomen Consulis et anni, quo vinum in dolia vel amphoras fundebant.

5) Eo die, quo Populus Romanus te theatrum ingressum plausu excepisset. Quo sane Maecenati nihil blandius dici, aut major vino accedere poterat commendatio. Theatrum hic Pompeji intelligendum esse patet ex v. 7. nam illud erat juxta Tiberim Vaticano monti oppositum. Cum autem vir aliquis populo gratus in theatrum accedebat, solebat illi populus plaudere voce ac manu. De theatro vide praec. eloqu.

6) Eques. Gaudebat hac appellatione Maecenas, quae ipsius modestiam significabat; in equestri enim ordine constiterat, cum ad altiorem ordinem ascendere facile potuisset. Epithetum, care, valde adposite, cum plausus ille amorem totius populi in eum prodidisset.

7) Ut, id est: ita, ut etc.

8) Paterni fluminis, Tiberis, qui fluit ex Etruria Maecenatis patria.

9) Jocosa imago. Echo, quae laudes tibi a populo plaudente, cum in theatrum subires, datas reddebat ac geminabat. Jocari porro videtur Echo, cum extrema verba repetit.

10) Tibi: quasi Tiberis et Vaticanus mons populi plausibus sese adjungere cuperent.

Sensus: tuum est generosa vina bibere; meae res non tam lautae sunt, ut talia in meis horreis condita servarem.

11) Caecubum vinum optimum a cognomine loco dictum in Campania.

12) Domitam uvam, id est: vinum pressum praelo Caleno, a Calibus, urbe Latii sic dicto. Vinum autem Calenum etiam generosum.

13) Falernus ager in Campania est, ubi vites optimae. Formiae itidem oppidum in Italia, vino suo nobile, quod in vicinis collibus erat laudatissimum.

Temperant [14]) vites, neque Formiani
Pocula colles.

Ode XVIII.

Hymnus ad Dianam et Apollinem.

Occasio et argumentum.

Est ode ista hymnus in honorem Apollinis et Dianae, qui probabilius religioso usui destinatus fuerat, et a choro nobilium juvenum atque puellarum decantabatur. Ejus modi chori enim praesertim in sacris Dianae et Apollinis apud antiquos in usu erant. Fingit poëta virgines et pueros se invicem hortari, ut, Apollinis et Dianae cantandis laudibus, obtineant populo Romano et Caesari pacem, et rerum omnium copiam cum valetudine atque imperii incolumitate conjunctam. Putant aliqui hoc carmen referendum esse ad a. u. 731; quod hoc anno fame ac pestilentia Roma laboraret, et Apollo ac Diana peculiares populi Romani custodes et conservatores, atque Dii averrunci, qui malum ab hominibus averterent, habiti ac venerati sint. Verum Dii averrunci omni tempore orari poterant et solebant, mala ut averterent, adeo, ut de tempore hujus odae nihil certi statui possit.

Metrum Asclepiadeo - Pherecratico - Glyconium, ut in carm. XII.

Dianam [1]) tenerae dicite virgines;
Intonsum, pueri, dicite Cynthium [2]),

---

14) Jam proprie vinum in poculis temperatur, aqua admixta diluitur ac praeparatur, dum pocula temperantur vino infuso; et pro hoc exquisitiori forma: vites et colles pocula temperant, dum praebent vina in iis temperanda, iis infundenda. Sensus: at ego in poculis meis, nec a Falerno monte, nec a Formianis collibus acceptum vinum tempero, id est: aqua misceo.

---

1) Forma hujus odae est ea, qua chori se invicem alternatim provocant, et quidem juvenes ad laudandam Dianam puellas, puellae vero juvenes ad canendum Apollinem. De Diana vide Myth.

2) Cynthius vocatur Apollo a monte Cyntho in insula Delo. Intonsus etiam semper pingebatur, imberbis, ac juveni similis, tum ad venustatem indicandam, tum quia promissa caesaries solis radios belle exprimit.

Latonamque [3]) supremo
Dilectam penitus [4]) Jovi.
Vos laetam [5]) fluviis et nemorum [6]) coma,
Quaecunque [7]) aut gelido prominet Algido [8]),
Nigris [9]) aut Erymanthi [10])
Silvis, aut viridis Cragi:
Vos Tempe [11]) totidem tollite laudibus,
Natalemque [12]), mares [13]), Delon Apollinis,
Insignemque pharetra,
Fraternaque [15]) humerum [14]) lyra.
Hic [16]) bellum lacrimosum [17]), hic miseram famem
Pestemque, a populo, et principe Caesare, in

---

3) Latona mater Dianae et Apollinis. Hujus laudes igitur ab utroque choro prolatas esse, adsumi potest. Quum enim in hymnis Deorum laudes etiam ab eorum claro ortu repeterentur, magnum sane nomen Latona in hymnis ad Apollinem et Dianam habuerit oportet. De Latona Myth.

4) Penitus, id est: intime amatam a Jove, fuit enim Jupiter Apollinis et Dianae pater.

5) Laetam: Dianam nempe, amantem fluvios et montes. Peculiare enim erat hymnis, etiam loca illa commemorare, in quibus Dii aut Deae praecipue commorati sunt, et divinis honoribus culti. Supplendum porro hic est: dicite, vel, laudibus tollite.

6) Nemorum coma, pro ipsis nemoribus.

7) Quaecunque. Sensus: quaecunque coma, quaecunque frondes arborum prominent, germinant ex arboribus, ac prodeunt, sive in Algido, sive in Erymantho, sive in Crago.

8) Algidus est silva et mons, non procul a Roma distans, Dianae sacer, a frigore ita vocatus; montes enim fere sunt frigidiores.

9) Nigris, umbrosis propter arborum densitatem.

10) Erymanthus est mons Arcadiae in Graecia; Cragus Lyciae in Asia minori: ambo celebres poëtarum figmentis, et Dianae sacri.

11) Tempe vallis erat amoenissima in Thessalia Apollini sacra, quia post occisum Pythonem serpentem, eo secessit, ac sacrificia piacularia fecit. Erat ibidem ara eidem Deo dicata, indidem laureae coronae petebantur coronandis victoribus in Pythiis ludis.

12) Natalem terram, id est: patriam; in Delo enim, insula maris Aegei, natus est Apollo.

13) Mares, id est: vos pueri.

14) Humerum Apollinis insignem, decorum, ornatum pharetra, id est: pharetram gerentem, et lyram, uti fere in monumentis occurrit.

15) Fraterna, quam ipsi Mercurius frater, lyrae inventor et artifex, dedit.

16) Hoc, quod sequitur, probabilius uterque chorus cecinit; pronomen, hic, autem tam ad Apollinem quam ad Dianam referendum est, ut adeo singularis pro plurali, hi, positus sit.

17) Bellum lacrimosum, funestum, exitiosum.

Persas [18]) atque Britannos [19])
Vestra motus aget [20]) prece.

Ode XIX.

Ad Aristium Fuscum.

Occasio et argumentum.

Ex priscorum hominum opinione poëtae in singulari Deorum tutela erant; quoniam nullis sceleribus contaminati, nugis tantummodo suis dediti, ac paupertate sua contenti vitam agerent, et hinc innocentes homines ac Diis imprimis cari putati sint. Jam Horatius magnum vitae periculum feliciter effugerat, cum lupo cuidem in silva obviam factus, ab hoc non laederetur: ita facile antiquae, quam diximus, opinionis acrior, ut fit, ac vividior animum poëtae sensus tangebat. Igitur hinc oden orditur: Vir innocens, id est, vates illa innocentia sua ubique tutus est. Tum periculum, quod evasit, narrat, atque auget. Denique ubivis terrarum tutum se sua integritate, eaque fretum tranquillo animo fore profitetur, idque divine eloquitur. Fuscus Aristius, ad quem carmen scriptum est, erat Grammaticus et Rhetor non contemnendus, familiarissimus atque amicissimus Horatii, jocosus idem et facetus homo.

Metrum Sapphicum carminis II.

Integer [1]) vitae scelerisque purus
Non eget Mauris [2]) jaculis, neque arcu,

---

18) In Persas, populum Asiae Romanis infestum. Vide Od. II. not. 42.

19) Britannos. Angliam a Romanis nondum domitam.

20) Aget: a populo Romano et Augusto avertet, convertetque in hostes Romani nominis, Persas nempe et Britannos.

---

1) Integer vitae: vir vitae integrae, animi integri, innocens. Graeci, et Latini eos imitati, solent genitivos cum adjectivis quibusdam jungere. Sic dicitur, felix animi, fortunatus laboris.

2) Mauri, populi sunt Africae, in mittendis jaculis exercitatissimi. Sensus: tutus est ipsa innocentia sua, non eget armis, quibus se tueatur, illa satis munitus. Alii autem sic explicant: non eget, tamquam Maurus, si in Mauritania versetur, jaculis; haec regio enim serpentum aliarumque ferarum frequentia quam maxime infestabatur, ut ibi sine jaculis vix tuto iter facere licuerit.

Nec venenatis gravida [3]) sagittis,
Fusce, pharetra:
Sive per Syrtes [4]) iter aestuosas,
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum [5]), vel quae loca fabulosus
Lambit Hydaspes [6]).
Namque [7]) me silva lupus in Sabina [8]),
Dum *sequor calles dubios*, et ultra
Terminum [9]) curis vagor expeditis [10]),
Fugit inermem.
Quale [11]) portentum neque militaris
Daunia in [12]) latis alit aesculetis [13]),
Nec Jubae [14]) tellus generat, leonum
Arida [15]) nutrix.

---

3) Nec eget etiam pharetra gravida, plena, referta sagittis venenatis, pro sagittis in genere; solebant autem ferrum sagittae, et acumen imbuere veneno.

4) Syrtes sunt duo sinus in Africae litore ad mare mediterraneum, major et minor. Sunt loca periculosa propter aestus. Sed hic non sunt intelligendi tractus illi arenosi quos vada brevia secant in mari; Horatius enim de terrestri itinere loquitur, non de navigatione, in qua arcu et jaculis non est opus contra feras. Sunt ergo Syrtes istae, Libiae solitudines mediterraneae, ardentibus arenis aestuantes, aut loca marinis illis Syrtibus propinqua.

5) Caucasus mons inter Caspium et mare nigrum situs, mons ergo Scythiae antiquae. Inhospitalis dicitur propter immanes solitudines ac feras in iis commorantes.

6) Hydaspes Indiae fluvius, de quo multa fabulosa narrantur v. g. de immanibus belluis atque monstris Indiae. Lambit, id est, adluit, rigat.

7) Sensus: hoc meo ipsius exemplo edoctus sum; nam lupus mihi paullo longius evaganti obviam venit, meque, etsi inermem, fugit.

8) Silva Sabina, quae adjacebat villae suae Sabinae, ad eamque pertinebat.

9) Ultra terminum, ultra fines mihi notos, ac vias tritas; ultra terminum solitae deambulationis. Calles dubii, sunt semitae ignotae.

10) Curis expeditis, id est: missis, finitis; seu animo, curis expedito.

11) Qualem lupum, monstri et portenti similem, neque Daunia ferox et bellicosa in silvis quercuum plenis nutrire solet; nec Mauritania, in qua Juba regnavit.

12) Daunia, est pars Apuliae in Italia inferiori, a Dauno rege sic dicta, nobilis viris fortibus gignendis.

13) Esculetum est silva esculis seu quercubus frequens.

14) Juba fuit rex Mauritaniae in Africa, Pompejanis partibus addictissimus. Superato Pompejo sibi necem conscivit; de eo Jul. Caesar triumphavit.

15) Arida, sitiens, aestu solis torrida.

Pone [16]) me, pigris [17]) ubi nulla campis
Arbor aestiva recreatur aura;
Quod latus [18]) mundi nebulae, malusque
Jupiter [19]) urget [20]):
Pone sub curru [21]) nimium propinqui
Solis, in terra domibus negata.
Sola me virtus dabit [22]) *usque tutum,*
Sola beatum.

Ode XX.

Ad P. Virgilium Maronem.

Occasio et argumentum.

Quinctilius hic longe diversus ab illo odae XVI. neque Varus, ut ille, sed Cremonensis a patria cognominandus. Fuit poëta, Virgilio familiarissimus, ipsique Horatio valde amicus; cujus mortem, quia Eusebius consignat a. u. 730, intelligimus, eodem anno scriptam esse hanc oden consolatoriam. Consolaturus itaque Virgilium poëta Melpomenen invocat, ut se moerore prostratum, modos tanto dolori aptos edoceat, doloremque Virgilii, etsi immodicum, dum suum prorsus facit, tantum abest, ut improbet, sapientique viro indignum judicet, ut potius justissimum eum, virtutibusque Quinctilii quam maxime debitum pro-

---

16) Praesentissimo hoc periculo liberatus poëta, jamque animosior factus, se ubique terrarum, vel in desertissimis regionibus secure commoratum confidit. Pro incultis regionibus ponit duas Zonas, quae ex aetatis suae opinione inhabitabiles habebantur, frigidam et torridam, quas poëtice circumscribit. Pro hoc: sive sim etc. dicit: pone me, id est: colloca me sedem, mihi adsigna in Zona frigida vel torrida, ubique tutus et felix ero.

17) Pigris: ubi omnia inerti frigore constringuntur, et ne levis quidem aura calidior aspirat.

18) Latus, pro, parte, Zona vel etiam regione orbis terrarum.

19) Jupiter malus; aër inclemens, frigidus, nebulosus.

20) Urget: vexat, contristat.

21) Curru: sub Zona torrida, ubi sol hominum vertici velut incumbit; ubi nullae sunt domus propter gravitatem aestus.

22) Sola innocentia, virtus mea me usque, id est, ubique vel semper securum atque felicem reddet.

---

nunciet. Parato sic ad Quinctilii laudes transitu, extollit ejus modestiam, justitiam, fidem, animi candorem; non mirum adeo videri debere ait, quod mors ejus bonis omnibus acciderit luctuosissima, maxime vero ipsi, qui amico eo usus sit integerrimo. Munita sic, qua se in Virgilii pectus insinuaret, via, hortatur eum, ut tandem luctui, nihil quippe pro futuro, modum figat, patienterque jacturam ferat, quam nullo modo reparare possit.

Metrum Asclepiadeo-Glyconium carm. V.

Quis [1]) desiderio sit pudor, aut modus
Tam cari capitis? Praecipe [2]) lugubres
Cantus, Melpomene [3]), cui liquidam [4]) Pater [5])
Vocem cum cithara [6]) dedit.
Ergo Quinctilium perpetuus sopor [7])
Urget [8])! cui [9]) Pudor, et Justitiae soror,
Incorrupta fides [10]) nudaque Veritas [11]),
Quando ullum invenient parem?
Multis ille bonis flebilis [12]) occidit:
Nulli flebilior, quam tibi, Virgili.

---

1) Quem pudeat aut dedeceat lugere tam carum caput, id est: hominem, qualis fuit Quinctilius? vel quis in deflenda morte ejus modum servet? sententia vulgaris: in jactura tam cari amici nullus dolor videri debet aut indecorus, aut immodicus.

2) Invocatio Musae multum hic dignitatis habet, quasi metuat, ut ipse, dolore praepeditus, graviter satis tristissimi animi sensa eloquatur. Praecipe, id est, doce me, impera mihi.

3) Melpomene, una Musarum, lugubris cantus dea.

4) Liquidam vocem, id est: puram, dulcem, canoram.

5) Pater, est Jupiter, qui fuit pater Musarum.

6) Cum cithara, id est: et citharam; ut simul caneres voce et cithara. Melpomene vero vocem et citharam Jovi acceptam refert, quatenus omnia, quae singulis Diis attributa sunt, a Jove ipsis concessa putantur.

7) Sopor: somnus aeternus: ita mortem poëtae adpellant.

8) Urget, premit, ei incumbit.

9) Sensus: quo pudentior (id est, verecundior aut modestior) fidelior ac verior seu candidior homo nunquam erit.

10) Fides incorrupta, quae neque gratia, neque muneribus corrumpi, mutari potest; hinc soror Justitiae dicta, ei perpetuo juncta, quatenus homo justus idem est fidelis.

11) Nuda veritas; simplex, aperta, quae nihil adsciticii habet, quo aliis fucum faciat, quae et incomta maxime placet.

12) Magnum quidem apud omnes bonos et cordatos viros desiderium sui reliquit Quinctilius; nulli tamen mors ejus tristior accidit, quam tibi,

Tu frustra [13] pius, heu! non ita creditum [14])
Poscis [15]) Quinctilium Deos.
Quod [16]) si Threïcio blandius Orpheo [17])
Auditam moderere arboribus [18]) fidem [19]),
Non vanae redeat sanguis imagini [20]),
Quam [21]) virga semel horrida [22]),
Non lenis [23]) precibus fata recludere,
Nigro compulerit [24]) Mercurius gregi.
Durum [25])! Sed levius fit patientia [26]),
Quidquid corrigere est nefas.

---

qui amico eo utebaris, eum diligebas; licet hac pietate, hoc amore justo et lacrymis tuis nihil sis illi profuturus vel tibi.

13) Frustra, quia eum non revocabis ab interitu.

14) Non ita creditum: non ita commissum tibi a Diis, id est, ea conditione, ut perpetuo eum possideres, et nunquam moreretur; vita enim nulli propria ac perpetua data est.

15) Poscis Deos, id est, rogas, ut eum vitae ac tibi reddant.

16) Sensus: enimvero lamentis tuis nihil proficies, nunquam eum in vitam revocabis. Poëtice: licet caneres suavius Orpheo Thraciae vate, quem ipsae arbores canentem audierunt, ac secutae sunt, non tamen vitam reddes umbrae inani.

17) De Orpheo vide Odam XI. not. 10.

18) Arboribus, id est: ab arboribus.

19) Fidem modereris, pro, lyram, seu lyrae, citharae, chordam pulses.

20) Imagini vanae, inani, corpore destitutae nunquam amplius redibit sanguis et vita. Umbrae enim mortuorum vento seu fumo similes, ac imagines tenues hominum viventium esse credebantur; ita ut corpori, in quo antea fuisset ejusmodi anima seu umbra, exacte responderet, et vulnera quoque, quae vivum corpus accepisset, referret.

21) Mythica accedit exornatio sententiae vulgaris: quae vita perfuncta est, quae semel loca infera intravit.

22) Virga horrida, est caduceus Mercurii. Vide Odam IX. not. 21. et Myth.

23) Non lenis: non facile exorabilis ad recludenda fata, id est, ad ea solvenda et resignanda, quae fatorum lege ac decretis veluti clausa et obserata sunt. Ex antiqua enim opinione loca infera munita atque clausa finguntur porta ferrea; jam qui vitae suae portionem fato sibi datam emensus est, is fato functus Orcum petere dicitur; cui eidem, si exinde reditus ad supera loca patet, ut denuo vitam degat, recte fata recludi dici possunt.

24) Compulerit; addiderit nigro gregi, conjecerit in turbam umbrarum et mortuorum; omnia enim, quae ad umbrarum regnum pertinent, poëtae nigro colore depingere solent.

25) Durum certe est, quod lamentis tuis fata flectere nequeas; igitur patienter te ferre decet, quod mutare nequeas, quod corrigere fas non est.

26) Patientia, id est, patienter ferendo.

Ode XXI.

Ad Musam de Aelio Lamia.

Occasio et argumentum.

Venustissimum hoc carmen in Aelii Lamiae, nobilissima et antiquissima gente orti, rebusque Cantabrico bello gestis clarissimi, versatur laudibus. Poëta nimirum in Musarum consortio ceterarum rerum, quae animum adfligant ac perturbent, curam a se alienam putare, seque studiis poëticis vacantem, nihil nunc antiquius habere profitetur, quam Lamiae laudes celebrare. Quas quidem dum ipse non exsequitur, sed Musis canendas delegat, splendidissimo Lamiam condecorat elogio, dignum, quem ipsae Musae extollant, judicando. Scriptum esse videtur hoc carmen a. u. 731, quod e versu 5 odae deducere libet. Cantabri autem, cum quibus bellum gesserant Romani, de quo supra mentio facta est, sunt populus Hispaniae.

Metrum Alcaicum ut in ode VIII.

Musis [1]) amicus, tristitiam et metus
Tradam protervis [2]) in mare Creticum [3])
Portare ventis: quis [4]) sub Arcto [5])
Rex gelidae metuatur orae,
Quid Teridatem [6]) terreat, unice

---

1) Musis etc. Dum ego Musis carus esse, id est, scientiis vacare potero, deponam omnem tristitiam, et metus meos dabo ventis deportandos in mare, id est: longe amandabo, oblivioni tradam sollicitudines.

2) Protervis: lascivientibus, petulantibus, adeoque rapidis, vehementibus.

3) Creta est insula in mari mediterraneo, prope Peloponnesum. Mare Creticum positum est pro mari in genere quovis longinquo.

4) Quis sub etc. Sententia est: securus, seu nihil admodum sollicitus scire, quis nam rex in oris septemtrionalibus metuatur, et quid illud sit, quod maximum Teridati metum incutiat.

5) Arctos vox Graeca, ursam significans; est autem Ursa sidus septemtrionale.

6) Teridates, a. u. 724 rex creatus a Parthis (pulso ab illis in exilium Phraate, ipsorum legitimo rege, ob ejus saevitiam), Romam venit 731, suppetias ab Augusto petiturus contra eundem Phraaten, qui restitutus a Scythis fuerat in regnum. Augustus Teridatem Romae retinuit, et apud se esse jussit. Phraatis filium adolescentem, quem ab anno 724 obsidem Ro-

Securus. O [7]), quae fontibus integris [8])
Gaudes, apricos [9]) necte flores,
Necte meo Lamiae coronam,
Pimpleï [10]) dulcis: nil sine [11]) te mei
Prosunt honores. Hunc [12]) fidibus novis [13]),
Hunc Lesbio sacrare plectro,
Teque, tuasque decet sorores.

Ode XXII.

Ad sodales convivas.

Occasio et argumentum.

Leve hujus carminis argumentum in convivii, cui Horatius interfuisset, descriptione versatur, illudque ita repraesentavit poëta, ut coram nobis omnia peragi videantur. Quum in eo convivae, vino largius hausto incensi ad rixandum et tumultuandum consurrexissent, Horatius magistri bibendi personam sumens, intemperantiam atque insolentiam eorum castigat, eosque ad saniorem mentem re-

---

mae habebat, remisit patri, ea lege, ut signa militaria, Crasso et Antonio erepta, Romanis restitueret, quod ille tamen non praestitit, nisi triennio post. Adparet inde per regem metuendum orae gelidae intelligendum esse regem Scytharum.

7) Nexus: Musis amicus, Lamiam mihi canendum sumam, sed quum illi canendo minus idoneus mihi videar, tu Musa eum celebra etc.

8) Integris: quae amas fontes integros, puros, intactos.

9) Apricos, id est, ad solem se explicantes flores in coronam necte; flores enim soli expositi pulchriores sunt, quam qui in umbra crescunt. Solent autem poëtae flores et coronam ponere pro carmine, quo aliquem laudare volunt.

10) Pimpleae vel Pimpleides Musae dictae sunt a Pimpla Thraciae monte et fonte Musis sacro.

11) Sine te etc. Sine tuo numine, mei versus, quibus honorem Lamiae impertio, nihil prosunt, vim nullam habent ad celebritatem illi conciliandam.

12) Hunc Lamiam decet te, et tuas sorores, nempe alias Musas, celebrare novis fidibus et Lesbio plectro.

13) Novis fidibus, id est, novo carminis genere, a Graecis ad Romanos a se primum traducto. Hinc et plectrum Lesbium vocat, quo Alcaeus olim lyram percussisset, Lesboum barbiton.

---

vocare studet. De magistro, seu rege convivii vide Odam IV. not. 24. et Antiquitates.

Metrum Alcaicum carminis VIII.

Natis [1]) in usum laetitiae scyphis
Pugnare, Thracum est. Tollite barbarum
Morem, verecundumque [2]) Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.
Vino [3]), et lucernis Medus acinaces
Immane [4]) quantum discrepat! impium [5])
Lenite clamorem, sodales,
Et cubito remanete presso [6]).

Ode XXIII.

Nauta et imago Archytae Tarentini.

Occasio et argumentum.

Communem moriendi necessitatem, tritam illam ac vulgarem sententiam novo artificio ita nobilitavit poëta, ut eam in drama conversam illustri Archytae Pythagorei philosophi, in Geometria, Astronomia atque arte bellandi

---

1) Natis etc. sensus: convenit tantum barbaris, quales sunt Thraces, uti scyphis, hoc est, cyathis et poculis, tamquam armis ad pugnam committendam; nata enim sunt pocula et instituta ad hilaritatem, non ad bellum.

2) Verecundum: Bacchus modestus, qui rixas odit, positus est pro compotatione verecunda, ad modestiam composita, adeo, ut sensus sit: rixae sanguineae et cruentae absint, quae comissationem dedecent.

3) Vino etc. Mirum quantum est discrimen inter vinum et arma, hoc est: alienus est a compotatione armorum usus. Pro armis posuit poëta acinacem, gladium incurvum, Medis et Parthis proprium; et pro compotatione ad multam noctem protracta, posuit: vinum et lucernas.

4) Immane; incredibile dictu est, quantum discrepet.

5) Clamor impius, id est, indecens, furiosus.

6) Cubito presso; pulvillis impresso, innixo, non erecto, ad ictus, et rixam non sublato. Jacebant enim in lectulis Romani, cum adcumberent mensae, et laevo cubito, ac sinistra manu nitebantur, caputque sustentabant, altera manu cibos ori admovebant. Igitur presso cubito remanere, est, quiete ad mensam adcumbere, non stare, non expedire manus, ut fit in rixa.

aeque versatissimi, qui prope Apuliae litus naufragio periisset, exemplo ostenderet. Inducitur itaque nauta, qui ex veteri navigantium more litus Matinum, in quo Archytae corpus fluctibus ejectum jaceret, forte praetervehens, eo conspecto, talem tantumque virum fato quoque obnoxium fuisse miratur, idque ipsum, ut fert commotioris animi natura, oratione ad ipsum mortuum directa, eloquitur. Archytas itaque, ut nauta se mortuum non miraretur amplius, eandem virorum se longe praestantiorum sortem fuisse, mortemque adeo, cujus tamen non unum genus sit, ad omnes pertinere ostendit. Exposita hinc fati sui ratione, sicque ad se iterum delatus, eundem enixe precatur, atque, ne insepultum se jacere sinat, maximopere obtestatur.

Metrum Alcmanium carminis VI.

Te [1]) maris, et terrae, numeroque carentis arenae
Mensorem [2]) cohibent [3]), Archyta [4]),
Pulveris [5]) exigui prope litus parva Matinum [6])
Munera: nec quidquam [7]) tibi prodest
Aërias tentasse domos, animoque rotundum
Percurrisse polum, morituro.

1) Nauta loquens inducitur quasi subsistens ad aspectum cadaveris Archytae. Sensus: tu qui antea universum terrarum orbem emetiebaris, tantillum arenae corpore tuo nunc occupas, pauxillum terrae spatium mortuus complecteris.

2) Mensorem: sic Geometram vocat, cujus est terram, maria et litora metiri. Mensorem arenae autem vocat, quia etiam de numero arenae disputabant mathematici.

3) Cohibent te, habent te, scilicet terra, regio; locus nos tenere dicitur, in quo versamur, quem occupamus.

4) Archytas fuit patria Tarentinus, et uti jam dictum, celeberrimus philosophus et mathematicus. Quamvis autem ille ante hanc oden ab Horatio scriptam, tribus fere jam saeculis obiisset, fingi tamen ab Horatio potuit nauta ejusdem, quo vixit Archytas, temporis haec dixisse. Accedit, quod Horatius forte Graecum aliquem poëtam imitatus sit in hoc carmine.

5) Pulveris exigui parva munera etc. id est, portio exigua pulveris, arena exigua, locus exiguus, in quo jacet corpus. Sepulchra enim etiam munera dicebantur, quia beneficia mortuis esse credebantur, cum corporis, inhumati et insepulti, umbra ad Stygem oberrare 100 annis debuerit, quin transferretur. De muneribus, Antiqu.

6) Matinum est promontorium in litore orientali Calabriae, confine Apuliae.

7) Nec quidquam etc. sententia est: neque caelestium rerum studium prohibuit, quin morti succumberes, a moriendi necessitate te exemit. Pro

Occidit [8]) et Pelopis genitor [9]), conviva Deorum,
Tithonusque [10]) remotus in auras,
Et Jovis arcanis Minos [11]) admissus: habentque
Tartara Panthoiden [12]), iterum [13]) Orco [14])
Demissum; quamvis clypeo Trojana refixo
Tempora testatus, nihil [15]) ultra
Nervos atque cutem Morti concesserat atrae;

caelo positae sunt aëreae domus, quas ille tentare dicitur, qui scrutando eas accedere conatur; synonymum huic est: percurrere polum. Pertinent ergo haec ad Archytae declarandum philosophiae studium, et maxime ad eam pertem, quae in Deorum natura inquirit.

8) Hinc usque ad finem loquens inducitur Archytae umbra, quae ad priora respondere fingitur. Ad communem moriendi necessitatem declarandam, virorum se praestantiorum, qui mortem non magis effugerint, exempla adfert. Sensus: Noli, o bone, mirari, quod ego mortuus sim: mortuus est ipse Pelopis genitor, Tantalus, qui Deos convivio exceperat, mortuus Tithonus etc.

9) De Tantalo, rege Lydiae, et patre Pelopis, qui antequam Jovis iram provocasset, tentando Deorum omniscientiam, pietatis laude florebat, vide plura Myth.

10) Tithonus, Laomedontis filius, ob pulchritudinem adamatus Aurorae, a qua vitali succo perfusus diutissime vixit, tandemque senio confectus in vaporem tenuem evanuit, ut hic indicat Horatius iis verbis: remotus in auras; vel, ut alii fabulantur, in cicadam mutatus est.

11) Minos, Cretae rex, de legibus ferendis, quo majorem iis auctoritatem conciliaret, ipsum Jovem in consilium adhibuisse ferebatur; fuit severissimus justitiae cultor, ac post mortem inferorum judicio ab eodem praefectus.

12) Panthoiden: hoc est, Pythagoram, Mnesarchi filium, qui hic Panthoides adpellatur, quod ex doctrina sua de aminarum transmigratione in varia corpora, adfirmaret, se septingentis circiter ante annis fuisse illum ipsum Euphorbum, Panthoi filium, qui ad Trojam occisus fuerat, cum antea exstitisset, Athalides Mercurii filius, subindeque in alios et alios mutatus esset, donec Pythagoras fieret. Cui rei ut fidem faceret, clypeum, qui in Junonis templo haud procul Mycenis inter alia arma adfixus esset, forte eo veniens, fuisse Euphorbi clypeum contendebat, quem Menelaus Euphorbo, a se interfecto, ereptum ibidem suspenderat seu fixerat; hocque ipsum nomen re ipsa ei inscriptum mox, detracto vel refixo eo, repertum esse ferunt.

13) Iterum: nempe primo, cum esset Euphorbus, secundo cum esset Pythagoras.

14) Orco demissum, id est: mortuum. Pars inferorum piis destinata erat, et Elysios campos vocabant; pars impiis, Tartarus dicebatur.

15) Nihil ultra etc. Corpore solo mortuus veluti erat, anima superstite, et in aliud corpus transeunte.

Judice [16]) te, non sordidus auctor
Naturae, verique. Sed omnes una manet [17]) nox [18]),
Et calcanda semel via leti.
Dant [19]) alios Furiae torvo [20]) spectacula Marti:
Exitio est avidum [21]) mare nautis:
Mixta [22]) senum ac juvenum densentur funera; nullum
Saeva caput Proserpina [23]) fugit [24]).
Me quoque devexi [25]) rapidus comes Orionis

16) Judice te: tu ipse non ignoras illum Pythagoram non sordidum, id est, non contemnendum, optimum auctorem seu magistrum philosophiae, quae naturalium rerum veritatem indagat. Tum celebris enim fama Pythagorae, et doctrina erat, ut hoc etiam nauta, licet alioquin imperitus, scire posset. — Totius ergo loci ordo naturalis, atque sententia haec est: Pythagoras ipse, qui rerum naturalium, ut nosti, scientissimus, atque philosophus peritissimus fuerat; quamvis, detracto e poste templi clypeo Euphorbi, testatus se Trojani belli temporibus Euphorbum fuisse, nihil dederat morti praeter nervos et cutem, id est, corpus; tamen iterum descendere in Orcum est jussus.

17) Manet, exspectat, omnibus imminet.

18) Nox, id est, mors, tenebrosa tota. Sensus: Enimvero moriendi ista necessitas ad omnes pertinet, omnes mori oportet, quamvis diversa mortis sit ratio. Posterius membrum Archytas subjicit, ut ad mortis genus, quo ipse perierit, transitum sibi aperiat, et pro hoc generali: diversa mortis ratio, duo genera mortis adducit.

19) Dant alios: Alii moriuntur in bello, in quo eos Furiae praebent quasi ludibrium et spectaculum Marti, qui cruenta ista tragoedia gaudet; Furiae enim ex antiquissima idea ipsae in proeliis versantur, pugnantesque ad mutuam caedem impellunt.

20) Torvo Marti, id est: immiti, fero, qui tali adspectu laetetur.

21) Avidum mare, propter naufragiorum frequentiam.

22) Mixta, promiscue, nullo discrimine senum et juvenum funera densentur, acervantur, senes ac juvenes confertim cadunt, id est, cujusvis aetatis homines morti obnoxii sunt.

23) Proserpina, Plutonis uxor, quae jus quoddam habet in mortuos, utpote inferorum regina. Myth.

24) Fugit, praeterit, excipit, omnes sacrificio parat, nulli parcendo; hinc etiam saeva dicta Proserpina.

25) Devexi, id est: devexa caeli parte conspicui; cadentis, quia ad occasum vergit, occidit. Est enim Orion sidus in vicinia frontis Tauri, quae e septem stellis dignoscitur, versus meridiem conspicuum; quod cum oritur et occidit, id est, hibernis temporibus nocte conspicitur, ventos et procellas excitare dicitur, quia tunc frequentes esse solent, hinc etiam Notus, qui fluctibus Illyricis seu Dalmaticis, id est, mari Adriatico, maxime tempestuosus est, ejus comes nuncupatur. Sensus: quid mirum ergo, si et ipse naturae debitum persolverim, et fluctibus Adriatici maris, a rapido Noto excitatis, obrutus fuerim?

Illyricis Notus obruit undis.
At [26]) tu, nauta, vagae ne parce malignus arenae
Ossibus, et capiti inhumato
Particulam dare: sic [27]), quodcunque minabitur Eurus
Fluctibus Hesperiis [28]), Venusinae [29])
Plectantur silvae, te sospite; multaque merces [30]),
Unde potest, tibi defluat aequo
Ab Jove, Neptunoque sacri custode Tarenti [31]).
Negligis [32]) immeritis nocituram
Postmodo te natis fraudem committere? Fors [33]) et
Debita jura, vicesque [34]) superbae
Te maneant ipsum: precibus [35]) non linquar inultis;
Teque piacula [36]) nulla resolvent.

26) Sequuntur preces atque obtestationes Archytae de justis corpori suo impertiendis. Omnium scilicet populorum sensu atrocissimum, quod homini post mortem accidere posset, hoc habebatur, si corpus sepultura privaretur. Sensus: tu nauta, ne parce, non intermitte vagae seu mobilis, quae hinc illuc volvitur, arenae particulam dare, id est, aliquid pulveris, terrae, injicere ossibus et capiti, seu, corpori inhumato, quod nondum est sepultum. Malignus, id est, avarus, parcus.

27) Sic: particula ista precantis est. Ita faxint superi, inquit Archytas, ut quamcunque procellam Eurus, Orientalis ventus, minabitur se excitaturum in mari Italo, ea procella omnis recidat, ac detonet in silvas Venusinas, te salvo, ac tuis navibus.

28) Hesperiis: Italia vocata est Hesperia magna, ab Hespero, quia Graecis ad Occidentem jacebat.

29) Venusium, est civitas Apuliae. Silvae Venusinae, pro omni silva.

30) Merces etc. Maximumque lucrum e navigatione tibi obtingat! Poëtice: Magnum lucrum, unde potest, id est, ex omnibus partibus ex quibus possibile sit, aequo, favente Jove et Neptuno tibi adfluat!

31) Tarenti maxime colebatur Neptunus, quia urbis hujus custos et tutor, a Taro filio ejus aedificatae, habitus est. Est autem Tarentum civitas Italiae in Calabria.

32) Negligis etc. Preces sequuntur minae: An tu id non curas, quod ego te oro? negligis arenam injicere meo corpori? non vereris fraudem, id est, flagitium committere, quod ex te natis, hoc est, filiis tuis, postmodo, id est, longo post intervallo nociturum putas?

33) Fors: fortasse tu ipse adhuc poenas lues crudelitati tuae, superbiae tuae, debitas; fiet, ut vicissim ab aliis insepultus superbe negligaris, ut nunc me negligis. Jura vocat debita, quia jus est, ut ita cuique eveniat; uti de aliis est meritus, et suo ipse exemplo puniatur.

34) Vices superbae: poena facinori superbo et crudeli vicissim debita.

35) Precibus: Eveniet illud, quod imprecor: me superi ulciscentur.

36) Piacula etc. Nulla sacrificia impedient, quominus poenam luas; ea

Quamquam [37]) festinas, non est mora longa, licebit
Injecto ter pulvere curras.

Ode XXIV.

Ad Iccium.

Occasio et argumentum.

Quum Augustus, et Arabiae felicis divitiis illectus, utque novam in Parthos viam experiretur, exercitum eo, duce Aelio Gallo, Aegypti praefecto, mittere in animo haberet; quod et, quamquam malo exitu a. u. 730 factum est, Iccius Horatii familiaris, omisso philosophiae studio, praeter omnium opinionem ad militiam se contulit, praedaeque faciundae cupiditate expeditioni isti se adjunxit. Poëta igitur hoc Iccii consilium suaviter ridens de rebus, quas in hac expeditione novus iste heros confecturus sit, facete jocatur, mox vero serio cum eo agit, eique, quod philosophiae studium intermiserit, exprobrat.

Metrum Alcaicum carm. VIII.

Icci, beatis nunc Arabum [1]) invides [2])
Gazis [3]), et acrem militiam [4]) paras
Non ante devictis [5]) Sabaeae
Regibus, horribilique [6]) Medo

te non solvent ac liberabunt. Piaculum significat crimen, et sacrificium etiam, quod fit ad illud expiandum.

37) Quamquam etc. Poteris navigationem institutam absolvere, et quamvis festinas, id te non diu morabitur, si ter, id est pauxillum, pulverem meo cadaveri injeceris. Licebit curras, id est, porro naviges.

1) Arabia est regio Asiae, ad mare rubrum, quae dividitur in petraeam, felicem et desertam; remotior pars meridionalis nempe est Arabia felix, quae etiam Sabaea dicta est, ab urbe primaria Sabae.

2) Invides: adpetis gazas.

3) Gazis beatis: pro ipsa Arabia, quae his gazis seu opibus beata vel felix est.

4) Militiam paras: id est, militatum abis; quasi dux istius in Arabas expeditionis electus, aut rem maximam in isto bello confecturus sit Iccius; hinc etiam ridens acrem, ferocem, adpellat ejus militiam.

5) Non ante devictis: In Arabiam felicem nondum penetrarunt armis Romani, in petraea tantum partes quasdam ditioni suae subjecerunt. Salse admodum ergo innuit poëta: a te scilicet nunc domandis.

6) Horribili, id est, tam timendo hucusque Romanis hoste Medo seu Parthis nectis catenas, id est, triumphum de iis acturus es, servitutem iis paras.

Nectis catenas. Quae [7]) tibi virginum,
Sponso [8]) necato, barbara serviet?
Puer [9]) quis ex aula capillis
Ad cyathum [10]) statuetur unctis [11]),
Doctus sagittas tendere Sericas [12])
Arcu paterno? Quis [13]) neget arduis
Pronos [14]) relabi posse rivos
Montibus, et Tiberim reverti;
Quum tu coëmtos undique nobiles
Libros Panaetî [15]), Socraticam et domum [16]),
Mutare loricis Hiberis [17]),
Pollicitus [18]) meliora tendis [19])?

Parthos vero Arabibus adjunxit poëta, quia etiam ad hos atque Indos spectare videbatur Galli expeditio. De Parthis vide od. II. not. 42.

7) Continua irrisione Iccio praedam poëta adnumerat, fortitudini ejus praemii loco cessuram. Generalem praedae notionem in specialem convertit, virginem ac puerum captivos ei adsignando. Sensus: Bellum infers Parthis praedae, seu, virginis, ac pueri nobilis potiundi causa.

8) Sponso necato, a te scilicet: per hoc feritatis ac truculentiae notam adspergit philosopho, et modum quo virgo in servitutem ejus adseritur declarat.

9) Puer ex aula; e nobilioribus suae gentis, cujus pater in aula Persica est.

10) Ad cyathum: ut vina tibi in poculum fundat; cyathus enim poculi genus.

11) Unctis: delibutis odorato unguento.

12) Serica, regio in Asia. Seres sunt Indiae populi, ad mittendas sagittas egregie instituti. Significat igitur illum puerum peritum esse jaculandi; et sericas sagittas ponit pro quibuslibet aliis. Multum vero pretii in eo posuerunt veteres, ut haberent pueros aut servos nobiles, et in artibus gentis suae bene institutos.

13) Mutato sententiarum colore aperte jam Iccio poëta exprobrat, quod philosophiae studio relicto miles factus sit.

14) Pronos relabi: qui ante proni et praecipites decurrebant de montibus arduis, nunc mutato cursu retro posse labi ad ipsa montium cacumina. Sententia est: Nihil est tam arduum, tam praeter naturam ordinemque rerum, quod fieri jam posse non credamus; cum te videamus e philosopho militem esse factum.

15) Panaetius fuit stoicus philosophus celeberrimus, Scipionis et Laelii praeceptor.

16) Domum: familiam, scholam, philosophos a Socrate derivatos; eorum libros intelligit. Socrates porro fuit Atheniensis philosophus, Platonis magister.

17) Hiberis, in Hispania fabricatis, ubi ferrum praestans, ergo, e ferro praestantissimo factis.

18) Pollicitus etc. qui meliorem vitae rationem instituisses, philosophiae studiis intentus, nunc pejora iis sequutus, militiam.

19) Tendis, cogitas, paras

Ode XXV.

Ad Venerem.

Occasio et argumentum.

Quum ex antiquissima opinione Dii sacris adesse putarentur, Horatius usus prisco hoc figmento, Venerem rogat, ut se ad sacrum in Glycerae aedibus faciendum conferat.

Metrum Sapphicum carm. II.

O Venus, regina Gnidi [1]), Paphique,
Sperne [2]) dilectam Cypron, et vocantis
Thure te multo Glycerae decoram [3])
Transfer in aedem.
Fervidus tecum Puer [4]), et solutis
Gratiae [5]) zonis, properentque [6]) Nymphae,
Et parum [7]) comis sine te Juventas [8]),
Mercuriusque [9]).

Ode XXVI.

Ad Apollinem.

Occasio et argumentum.

Cum semper sibi propitium Apollinem credidisset Augustus, praecipue nuper in pugna Actiaca, ne ingratus videretur, templum in Palatio ei exstruxit; cujus solennis

1) Gnidus est urbs Doridis in Caria, in meridionale parte Asiae minoris, Veneris religione, ejusque simulacro a Praxitele sculpto celeberrima; uti et Paphus, oppidum in insula Cypro, Veneris cultu celebris.

2) Sperne: Desere, et veni in sacellum elegans, seu domum Glycerae, te vocantis, multo thure incenso. Glycera probabilius nomen fictum.

3) Decoram, id est, eleganter ornatam.

4) Fervidus Puer, id est, Amor, filius Veneris.

5) Gratiae, perpetuae comites Veneris, pingebantur vestibus discinctis. Vide Myth. uti etiam de Nymphis.

6) Properent, id est, adsint tecum, veniant.

7) Parum comis, id est: minus suavis, hilaris, sine te; quae per te majus decus, majorem venustatem adquirit.

8) Juventas. Dea, praeses juventutis. Hebe. Myth.

9) Mercurius, Deus eloquentiae, ponitur in comitatu Veneris, quia nihil est eloquentius amore.

---

dedicatio cum a. u. 726 perageretur, solennitatem hujus diei poëta privata religione prosequutus, preces pro se, ut vate, facit. Quarum quidem rationem ac modum ita circumscribit, ut, quum alii divitias omninoque lautioris vitae delicias summam votorum suorum isto die faciant, lautitias istas, ut consentaneum erat, aspernatus, tenuem contra victum, tum animum, qui ab augendi cupiditate alienus partis secure fruatur, rectamque valetudinem cum mente sana, quaeque ad extremam senectutem vegeta permaneat, haec unice ab Apolline precetur.

Metrum Alcaicum carm. VIII.

Quid [1]) dedicatum [2]) poscit Apollinem
Vates [3])? quid orat, de patera novum [4])
Fundens liquorem [5])? Non [6]) opimas
Sardiniae [7]) segetes [8]) feracis;
Non aestuosae grata Calabriae [9])
Armenta [10]); non aurum, aut ebur Indicum [11]);
Non rura, quae Liris [12]) quieta
Mordet [13]) aqua, taciturnus amnis.

---

1) Orditur statim poëta, quasi dubitet, ac secum ipse deliberet, quae maxime sibi hoc festo die ab Apolline expetenda sint: Post tot aliorum preces, quibus fatigatur hodie Apollo, quid tandem orabit vates?

2) Dedicatum, id est: nova aede consecratum, dedicato templo ornatum.

3) Vates: Horatius de se loquitur in tertia persona.

4) Novum, id est: recens haustum e doliis, vel recens ex uvis pressum.

5) Liquorem: effusio vini vel liquoris, libatio dicebatur, eratque sacrificii genus, quo, sicut hostiae in honorem Deorum mactatae interibant, ita liquores effusi peribant. Effundebantur autem vel in aram, vel in mensam, quae arae loco erat, vel in locum, qui habebatur sacer, vel in mare pro Diis marinis, vel in alia loca.

6) Sensus: Non optat poëta divitias, quod per enumerationem, desumtis a suo populo divitiarum generibus, declarat.

7) Sardinia est insula prope Siciliam frumenti ferax.

8) Segetes opimas: uberem proventum.

9) Calabria est Italiae regio, prope Siciliam, hodie pars regni Neapolitani, ubi multa sunt pascua. Aestuosa dicitur, quia calore solis fervet, aestuat.

10) Grata, id est: armenta grata adspectu, laeta, nitida, pinguia.

11) Indicum; ex India deportari solitum in Europam.

12) Sensus: Non rura, quae Liris praeterfluit. Est autem Liris fluvius in finibus Latii et Campaniae, quiete fluens, et sine strepitu. Erant in illa regione fertilissima rura ob caeli temperiem, et amoenissimae villae, tum etiam nobilissimae in collibus Formianis et monte Massico vineae.

13) Mordet: adluit, lambit.

Premant [14]) Calena [15]) falce, quibus dedit
Fortuna, vitem; dives [16]) et aureis
Mercator exsiccet culullis [17])
Vina Syra reparata [18]) merce,
Dîs [19]) carus ipsis; quippe ter et quater
Anno [20]) revisens aequor Atlanticum [21])
Impune. Me [22]) pascunt olivae,
Me cichorea, levesque [23]) malvae.
Frui [24]) paratis, et valido [25]) mihi,
Latoë [26]), dones, et precor, integra [27])

14) Premere falce, id est, falcem imprimere in vitem, in ramos, adeoque amputare, pro: colere vineam.

15) Cales est oppidum Campaniae, cujus in agro vina erant optima. Sensus: Aliis non invideo vineas istas Campanas.

16) Sensus: Patior etiam, ut mercator dives exhauriat aureis poculis vina, quae comparavit, sive emit mercibus Syris, e Syria ab ipso advectis. Syria est regio Asiae continens Phoeniciam, Palaestinam, Judaeam, Idumaeam etc. omnium rerum ferax.

17) Cululli proprie erant calices fictiles, quibus Pontifices, Virginesque Vestales in sacris utebantur; erant autem sat magni, et ansis instructi. Exsiccet vina in culullis, hoc est, ebibat; bibendo enim vasa vacua fiunt et sicca.

18) Reparata, id est: parata, emta, acquisita; posset vero hoc etiam ad iteratam mercium permutationem trahi, mercatore suas cum Syriis, tum has cum vino commutante. Merces Syriae autem sunt, aromata et unguenta, ex India atque Arabia in Syriae ac Phoeniciae maritima oppida convecta, et inde Romam delata.

19) Sensus: Eumque ipse Dii tueantur, dum toties quoties in mari navigat, et divitias sibi congerit. Per Deos hic intelliguntur, Dii marini: Neptunus, Dioscuri etc.

20) Anno revisens, id est, per annum, in unius anni spatio navigans mare impune, absque jactura, sine naufragio.

21) Mare Atlanticum, mare ad litora occidentalia Africae et Europae, ita dictum, ab Atlante monte in septemtrionali parte Africae versus Occidentem, ubi finis orbis Romani ponebatur.

22) Sensus: Ego facili ac tenui victu corpus alens, istas delicias non adpeto, fastidio; sed oliva, cichorea, nostris Endivie, et malvis contentus sum.

23) Leves: salubres, quod levant corpus, alvum molliter solventes.

24) Sequitur solemnis conversio ad Apollinem cum votorum expositione. Sententia est: Opibus et bonis (quae paravi, seu quae facile parari possunt, quae obvia sunt, et parvi sumtus, atque adeo semper parata et promta) o Latoë, sine me frui; dones mihi etiam valido, et mente integra fruenti, precor, ne quondam degere debeam senectam turpem, aut citharae expertem.

25) Valido mihi et integra cum mente: id est, ut mente et corpore valeam.

26) Apollo, Latonae filius.

27) Integra mens, quae non laborat curis, cupiditatibus, vanis studiis etc.

Cum mente; nec turpem [28]) senectam
Degere, nec cithara carentem.

Ode XXVII.

Ad Lyram.

Occasio et argumentum.

Odarii hujus initium ludentem potius, quam argumento alicui intentum ac praeparatum poëtam prodit. Animo enim remissiori atque otioso indulgens poëta solenni ritu lyram invocat, ut carmen sibi suppeditet, et in hac ipsa statim omnes suas cogitationes subita conversione defigit; dumque hujus vim ac virtutes exponit, totius simul poëseos, maxime lyricae laudes complectitur. Dum vero eosdem modos, quos olim Alcaeo suggesserit, poëta lyram poscit, haud obscure se, et Alcaei imitatorem, et poëseos lyricae inter Romanos auctorem profitetur.

Metrum Sapphicum carm. II.

Poscimur [1]): — si quid [2]) vacui [3]) sub umbra
Lusimus tecum, quod et hunc in annum
Vivat, et plures; age, dic [4]) Latinum,
Barbite [5]), carmen, barbitos m.
Lesbio primum modulate [6]) civi;

28) Turpem, id est, tristitia deturpatam, tristem, morosam; adeoque intelligitur hic senectus hilaris, suavis, jucunda.

---

1) Poscimur, poscor, impellor; impelli me sentio ad canendum, canere jubeor.

2) Si quid olim cecini tecum, tuas fides pulsando, quod in hunc et in plures annos vivat; dignum adeo, quod ad posterorum memoriam perveniat, quod perpetuo placeat etc.

3) Vacui: id est, soluti omni cura.

4) Dic: id est, ede carmen latinum, seu Romanum, novum, a me inventum, cum olim Graeca funderes, a Lesbio cive, id est, Alcaeo pulsatus. Sententia ergo est: Si unquam carmina feci bona ac diu placitura, nunc imprimis tale mihi contingere cupio, cum te canere jubeor, cui ista debeo Barbite!

5) Barbitos, vox Graeca, significat lyram.

6) Modulate, pulsate. Tu, quem pulsavit et modulavit Alcaeus. Indicat autem Alcaeum primum inter Graecos poëtam lyricum fuisse; se primum inter Latinos. Alcaeus Mitylenis in Lesbo insula oriundus. Fuit hic vir eximie

Qui [7]) ferox bello, tamen inter arma,
Sive jactatam religarat [8]) udo
Litore navim,
Liberum [9]), et Musas, Veneremque, et illi
Semper haerentem [10]) Puerum canebat,
Et Lycum [11]), nigris oculis, nigroque
Crine decorum.
O decus Phoebi [12]), et dapibus supremi
Grata [13]) testudo [14]) Jovis, o laborum
Dulce lenimen [15]), mihi cunque [16]) salve [17])
Rite vocanti.

Ode XXVIII.

Ad se Ipsum.

Occasio et argumentum.

Horatius, quum sereno caelo tonuisset, cujus phaenomeni naturales causas adsequi non liceret, eo gravissime perculsus ad ipsos Deos auctores illud refert, quasque de Diis animo concepisset notiones, Epicureorum placitis simillimas, nunc retractare, providentiamque adeo, quam

---

fortis, ac patriae amans, pro cujus libertate multa egit, passusque est; quae versu descripsit, moriensque civibus suis reliquit ad posteritatis memoriam.

7) Qui ferox. Sensus: Qui quamvis esset bello adsvetus, quod homines feroces et a Musis alienos reddere solet; tamen sive inter arma degeret, sive post longam et periculosam navigationem versaretur in otio et pace, barbito utebatur; et jam docte aliquot Alcaei carminum argumenta enumerat, in lusibus et amoribus occupata.

8) Religarat: in litore, in portu post tempestatem ligarat; sive in portu quiescebat.

9) Liberum: Bacchum.

10) Haerentem Puerum: Cupidinem Veneri adfixum, perpetuum ejus comitem.

11) Lycus, Alcaei amicus. Nigri oculi et crines in pretio erant apud veteres.

12) Decus Phoebi est lyra, quam Apollo gestat, quae eum decorat.

13) Dapibus grata, id est, quae exhilaras convivium supremi Jovis, utpote adhibita in conviviis Deorum.

14) Testudo, lyra. Primum enim lyram e squama, et dorso testudinis, et chordis aliquot compegisse fertur Mercurius. Myth.

15) Dulce lenimen, consolatio laborum, curarum, molestiarum.

16) Cunque, id est, semper, ubicunque aut quandocunque te vocavero rite, decenter, recte.

17) Salve mihi: Propitia mihi sis tamquam Dea, id est: modos ac carmina mihi suppedites quandocunque illa, vel auxilium a te postulavero.

---

aliquando negasset, amplecti iterum se coactum manifesto hoc argumento fatetur. Neque vero poëtam, ad tempus certe, ista re commotum fuisse, mirum videbitur ei, qui, quam superstitiosa religione alligati Romanorum animi omnium rerum insolitarum causas in Deos verterint, meminerit.

Metrum Alcaicum carm. VIII.

Parcus [1]) Deorum cultor [2]), et infrequens [3]),
Insanientis dum sapientiae [4])
Consultus erro [5]), nunc retrorsum [6])
Vela dare, atque iterare cursus
Cogor relictos. Namque [7]) Diespiter [8])
Igni corusco [9]) nubila dividens
Plerumque, per purum [10]) tonantes [11])
Egit equos, volucremque currum:

---

1) Sensus: Ego, qui ceteris hominibus rectius mihi sapere videbar, inveteratam illam, ac penitus insitam de Diis, eorumque in res humanas vi atque effectu opinionem tamquam vanam atque insulsam irridendo, nunc demum intelligo, quam perverso mentis acumine hoc fecerim, et in quo impio errore versatus sim. Prius membrum per consequens extulit poëta: qui Deorum cultum neglexi, templa eorum non frequentavi. Nam qui Deorum providentiam tollit, is et cultum ipsorum negligat necesse est.

2) Parcus cultor, id est: qui vilia et pauca illis munera tuli.

3) Infrequens est, qui templa Deorum non frequentat, non adit, ut sacra iis faciat.

4) Consultus sapientiae, professus sapientiam, hoc est: deditus opinionibus, quibus repertis vel adscitis sapere mihi videbar, et quas pro verissimis amplectebar, Deorum providentiam tollendo. Propterea hanc sapientiam dicit insanientem, quia nonnisi insanus ac vecors providentiam negare audet.

5) Dum erro, id est, sum; et propter allegoriam a navigatione desumtam: dum a recto cursu deferor, aberro.

6) Nunc retrorsum vela dare, retro navigare cogor, et repetere cursus relictos, viam, a qua aberraveram per insanientem sapientiam.

7) Sensus: Jovem enim prospicere terrarum orbi, ejusque vim ad omnes res pertingere, evidentissimo argumento deprehendi; quod argumentum poëta desumit a tonitru, sereno caelo exaudito. Censebant autem veteres philosophi, praecipue Epicurei, fulmina omnia ex collisione nubium fieri, nec bene ex fulminibus probari, deos esse. Horatius autem e contra, se expertum affirmat, puro nubibus caelo tonitrua fieri, mittique fulmina, quorum cum nulla causa naturalis adpareret, concedendum erat ea a Deo proficisci, ad homines terrendos et commonendos.

8) Diespiter, Jupiter, diei pater.

9) Igni corusco: fulmine, nubila seu nubes dividente, findente.

10) Per purum: per caelum serenum.

11) Equos tonantes et volucrem, alatum, seu celerem currum; sunt synonyma, per quae tonitru et fulmen designatur.

Quo [12]) bruta [13]) tellus, et vaga flumina,
Quo [14]) Styx, et invisi horrida Taenari [15])
Sedes, Atlanteusque [16]) finis
Concutitur. [17]) Valet [18]) ima summis [19])
Mutare, et insignem attenuat [20]) Deus
Obscura [21]) promens. Hinc [22]) apicem [23]) rapax
Fortuna [24]) cum stridore [25]) acuto
Sustulit; hic posuisse [26]) gaudet.

---

12) Sententia ita efferenda erat: Quum tonitru ventorum ac nubium, conflictu oriri creditum sit; Jupiter, quo fulmen sibi ereptum vindicaret, sereno caelo tonuit, sicque vim suam ostendit, totam naturam perterrefaciendo.

13) Bruta tellus, id est: gravis, immobilis, iners; ex antiqua opinione, qua credebatur, solem circa terram moveri.

14) Styx: fluvius Tartari. Myth.

15) Taenari sedes. Inferi. Est Taenarus promontorium ad antrum quoddam in Laconia, ex quo poëtae fingebant descendi ad inferos. Itaque pro ipsis inferis sumitur. Invisi, pro non visi, obscuri, qui iter tenebricosum pandit.

16) Finis Atlanteus, pro fine terrarum. Atlas enim mons Africae in Mauritania, ubi finem orbis ponebant veteres.

17) Certissimum hoc providentiae divinae argumentum! Deorum numine omnia per universum terrarum orbem geri atque administrari, nunc plane persuasus sum. Pro hoc generali specialem et luculentissimam rei ideam posuit poëta, rerum humanarum vicissitudines ad Deos auctores referendo, ipsisque imperium in reges adeo vindicando.

18) Valet, id est, potest. Sensus: Est omnino Deus aliquis, qui humana gubernat.

19) Summis etc.: Potest, quae infimo loco posita sunt, summis, id est in summum mutare; et quae in summo, in infimum locum reponere, ac retrudere.

20) Attenuat: abjicit, tenuem et contemtum facit, id est, honoribus insignem obscurat.

21) Obscura promens, id est, in lucem proferens: obscuros homines et ignotos in luce bonorum collocat, e tenebris educit. Docta ratione invertit ac variavit genera poëta: ima, insignem, obscura; cum pedestris sermo masculino genere totam sententiam extulisset.

22) Sensus: Deus huic imperium auffert, atque in illum transfert. Est igitur ulterior sententiae antecedentis amplificatio et exornatio.

23) Pro imperio est ejus insigne, diadema, et pro hoc paullo audacius, apex positus. Nam regum Persarum omninoque Orientis regium insigne erat diadema, apice munitum, tiara.

24) Fortuna posita est pro Deo, et dicitur rapax, quia rapaciter, subito, celeriter, praeter spem rapit bona.

25) Cum stridore acuto: id est, gravi et procelloso, quasi cum strepitu, nempe alarum.

26) Posuisse, id est: imponit apicem, imperium defert; et inde voluptatem capit.

Ode XXIX.

Ad Fortunam.

Occasio et argumentum.

Quod Augustus duo bella, alterum in Britannos, quo ipse exercitum ducturus erat, alterum in Arabiam ductu Aelii Galli gerendum a. u. 727 adpararet, faustas has populo Romano expeditiones adprecaturus poëta, vota in preces convertit, ac Fortunae pro Augusti exercitusque incolumitate supplicat. Facta hac augusta ad Fortunam conversione, consentaneum erat, ut carmen hymni naturam indueret, et in celebrandis Deae ejusque potentiae laudibus occuparetur, atque his demum solemni conclusionis formula preces subjungerentur. Rogat autem Fortunam, ut servet Augustum cum exercitu, ex flore juventutis Romanae adversus Britannos collecto, neve ob praecedentia bella civilia irascatur Romanis. Destinatus fuisse videtur hic hymnus religioso usui in templo Fortunae Antii, quia preces poëtae ad Fortunam Antiatem directae sunt, quae Romanorum praeprimis fautrix, iisque propitia esse credebatur, et peculiaria quaedam adtributa habebat.

Metrum Alcaicum carm. VIII.

O Diva, gratum quae regis Antium [1]),
Praesens [2]) vel imo tollere de gradu
Mortale [3]) corpus, vel superbos [4])
Vertere funeribus triumphos:

---

1) Antium, Latii quondam civitas maritima, templo Fortunae, portu et multis procerum Romanorum, qui saepe illuc secedebant, palatiis clara; propterea dicitur gratum, amoenum Antium. Fortuna illud regere dicitur, hoc est, illi praeesse, ibi coli praecipue. Invocat autem hanc Fortunam poëta, quia forte sortes Antiatinae de suscipienda expeditione consultae, aut sacra Fortunae Antiati pro felici successu ab Augusto facta sunt.

2) Praesens, id est: potens tollere, constructio Graeca, pro, ad tollendum, promovendum.

3) Mortale corpus, id est, hominem ex infimo gradu, vel statu.

4) Superbos, splendidos, magnificos triumphos funeribus, seu in funera vertere, hoc est: pompam triumphalem in funebrem convertere, mutare, ut adeo pro triumpho, quem acturus erat victor, funus ejus ducatur. Sensus vulgaris: De summo gloriae fastigio ad perniciem deturbare.

Te [5]) pauper ambit [6]) sollicita prece
Ruris [7]) colonus; te dominam [8]) aequoris,
Quicunque Bithyna [9]) lacessit
Carpathium [10]) pelagus carina.
Te [11]) Dacus [12]) asper, te profugi Scythae [13]),
Urbesque, gentesque, et Latium [14]) ferox,
Regumque matres [15]) barbarorum, et
Purpurei [16]) metuunt tyranni;
Injurioso ne pede proruas [17])
Stantem columnam; neu populus frequens [18])

5) Sententia est: Potentia tua quaquaversum patet; totus terrarum orbis a tuo nutu pendet; pro hoc autem dicit poëta: Vim tuam, numen tuum omnes sentiunt et venerantur, et illud, omnes, per enumerationem declarat.

6) Ambire precibus, est, rogare supplicando, ut solebant candidati, qui honores ambiebant.

7) Ruris colonus, agricola.

8) Te dominam aequoris, subintelligitur, ambit: id est, Mercator implorat te, ut navigatio sua salva sit; navigatio enim omnino dubia et incerta est.

9) Bithyna carina, id est, navis, Bithyna merce onusta, nam Bithynia florebat mercatura, et maxime Romanis frequentabatur.

10) Carpathium mare, mediterranei pars, ad Aegyptum vergens; ita dicitur ab insula Carpatho, inter Rhodum et Cretam sita. Hic positum est, pro mari in genere.

11) Poëta imaginum, quibus Fortunae imperium in universum terrarum orbem ulterius exornet, ac repraesentet, ubertate quasi tumens et confusus specialibus notionibus generales subjicit; tum iterum per species rem declarat, iisque immoratur.

12) Dacus: Gens bellicosa, ferox, ubi nunc Moldavia, Servia et Bulgaria.

13) Scythae profugi, vagi, sedem perpetuo commutantes. Populi septemtrionales, quorum plaustra vagas rite trahunt domos; in sua patria velut exsules et profugi.

14) Latium ferox, pro universo populo Romano, cujus maxima gloria armis quaesita, atque parta.

15) Matres principum barbarorum, quae liberis timere solent; nam praeter Phryges Persae maxime Graecis barbari dicti sunt. Alii etiam interpretantur de Phraate ejusque matre, vide od. XXI. not. 6.

16) Purpurei tyranni, id est, reges purpura induti; pertinet omnino ad splendorem atque luxum regalem, qui de Persarum regibus satis notus est.

17) Ne proruas: metuunt, ne evertas suum imperium, et Rempublicam florentem, ac instar columnae firmae stantem. Cave putes esse hanc Horatii precationem; ea enim odae extremae adservatur, estque pro Caesare tota. Locus namque hic sic est intelligendus: Daci, Scythae, Romani metuunt, ne incolumem regni sui statum pessumdes; tyranni autem, ne seditione civium imperio exuantur.

18) Frequens, congregatus ad seditionem conspiret, et ceteram multitudinem cessantem, alios cessantes, concitet, instiget ad arma (quod cum vi repetitum, quasi adclamatio sit, ad arma, cives, ad arma!) in tyrannum capessenda, sicque imperium, id est, imperii statum frangat, evertat abolita tyrannide.

Ad arma cessantes, ad arma
Concitet, imperiumque frangat.
Te [19]) semper anteit saeva Necessitas,
Clavos trabales [20]), et cuneos [21]) manu
Gestans aëna [22]); nec severus [23])
Uncus abest, liquidumque [24]) plumbum.
Te [25]) Spes, et albo [26]) rara Fides colit [27])
Velata panno; nec comitem abnegat [28]),
Utcunque [29]) mutata potentes
Veste domos inimica linquis.
At vulgus [30]) infidum, et meretrix retro
Perjura cedit: diffugiunt cadis [31])

19) Declarata per partes Fortunae potentia, nunc, quae illa in homines constituat, certissimum eventum habere, neque precibus ea averti, aut vi propulsari posse, vivida pictura ostendit; quapropter etiam dicit, Necessitatem praecedere Fortunam.

20) Clavi trabales sunt, quibus trabes compinguntur, ac proinde majores et crassiores.

21) Cunei, in latum acumen desinentes, inseri solent, ut validius adstringerent atque continerent.

22) Ahena, forti, dura, instar aeris.

23) Severus uncus, tenax, vi impactus, quo lapides aliaque consolidantur

24) Liquidum, seu liquefactum plumbum, unco, quo firmior saxis inhaereret, circumfusum. Sunt autem haec mera adtributa Necessitatis, ad indicandam immutabilitatem Fortunae.

25) Specialibus jam ideis immoratur poëta, et, quam vim Fortuna adversa ad animos hominum habeat, exponit. Vulgarem sententiam: In adversa fortuna restare misero spem et fidem, hoc est, fidos amicos, animat poëta, Fortunae attribuendo, quae proprie ad eum spectarent, qui malignam eam experitur.

26) Albo etc. candidis induta vestibus, Fides enim pura et simplex debet esse. Rara autem dicitur, quia paucorum est vera fidelitas.

27) Colit, id est, amat ac sequi gaudet.

28) Abnegat etc. Te comitem non aspernatur, semper te comitantur Spes et Fides.

29) Utcunque etc.: Quandocunque mutata veste, pro albis nigris vestibus induta, relinquis domos potentium, et divitum; per Fortunam enim abeuntem et avolantem indicatur fortuna adversa.

30) Vulgus: Major pars amicorum. Sensus: Fideles Amici domus a fortuna relictas, et amicos infelices non deserunt: sed populus, qui solam utilitatem suam spectat, discedit. Meretrix, id est, pellex inconstans, etiamsi jure jurando se ad fidelitatem obstrinxerit, tamen cum fortuna abit.

31) Cadis siccatis: Ubi vident exhaustos ad imam usque faecem cados,

Cum faece siccatis amici,
Ferre jugum pariter dolosi.
Serves [32]) iturum Caesarem in ultimos [33])
Orbis Britannos, et juvenum recens
Examen [34]), Eois [35]) timendum
Partibus, Oceanoque [36]) rubro.
Eheu [37]) cicatricum et sceleris [38]) pudet
Fratrumque. Quid nos dura refugimus
Aetas? quid [39]) intactum nefasti [40])
Liquimus? unde manum juventus [41])
Metu Deorum [42]) continuit? quibus
Pepercit aris? O utinam [43]) nova

nihil superesse, quod rapiant et liguriant, vel, unde utilitatis aliquid capiant; auffugiunt amici falsi, jugum, id est, adversam fortunam ferre dolosi, seu, in ferendo jugo pariter una cum amico, perfidi, se subducentes calamitatibus.

32) Exposita Deae potentia, nunc jam ad preces se convertit poëta. Serva igitur Caesarem etc.

33) Ultimos etc.: Angliam, et vicinas quasdam Angliae insulas, esse orbis finem a septemtrione veteres putaverunt.

34) Examen etc.: Exercitum recentibus copiis collectum et ad bellum eductum. Metaphora ab apibus desumta.

35) Eois: Orientalibus regionibus. Parthos et Medos intelligit, qui exercitum hunc ducendum in Orientem contra se arbitrabantur ob Crassum a se ante annos aliquot interfectum. Non autem ivit Augustus in Angliam; quia egatos Angli misere ad illum de pace in Galliam.

36) Oceano rubro: Mari Erythraeo, Arabico, pro Orientis populis, Arabibus et Parthis. Meditabatur enim etiam in Arabes bellum Augustus, quod iis anno post tertio intulit; hic intelligenda est Aelii Galli expeditio, de qua vide Odam XXIV. Argum.

37) Ex eo, quod ducat Caesar exercitum in Barbaros et disjunctos populos, occasionem sumit poëta belli civilis deflendi, et externi belli laudandi. Sententiarum nexus sequens esse videtur: Serva Augustum cum exercitu, atque curam populi Romani, quem, bellis civilibus immersum, aliquamdiu aversata es, iterum suscipe: pudet enim nos sceleris, quo divina humanaque jura violavimus.

38. Sceleris, vulnerum, caedis, pugnae civilis, seu belli civilis scelerati, quod ortum sub Julio Caesare, et iterum cum Antonio.

39) Quid sceleris non suscepimus nos aetate hac dira et prope ferrea nati. Dura aetas, id est, nos duri, crudeles.

40) Nefasti: Nihil non nefarie attigimus, quod adeo tangere nefas erat: res sacras, templa Deorum violavimus, caede polluimus, diripuimus.

41) Juventus, id est, milites. A quo scelere nostros exercitus religio detinuit?

42) Metu Deorum, id est, Deos vindices reverita.

43) Utinam hostes potius Romani imperii iis armis, quae in nosmet convertimus, petantur, ac deleantur!

Incude diffingas [44]) retusum [45]) in
Massagetas [46]) Arabasque ferrum.

Ode XXX.

Ad Plotium Numidam.

Occasio et argumentum.

Numida quodam e gente Plotia, Horatii familiari, ex Hispania, confecta a. u. 730 Augusti in Cantabros, cui ille interfuit, expeditione, Romam post trium annorum absentiam reverso, poëta tum ipsi, cum amicis ejus, e quibus Lamiam honoris causa nominat, felicem reditum gratulaturus, in gaudii, quo primum ad canendum impulsus fuerat, adfectu declarando occupatur, quoque magis eum testatum faciat, diem votis, pro servato amico Diis persolvendis, festisque epulis celebrandum indicit ita, ut in vivida harum epularum descriptione praecipue occupatus sit.

Metrum Glyconio-Asclepiadeum carm. III.

Et [1]) thure, et fidibus [2]) juvat
Placare [3]), et vituli sanguine [4]) debito
Custodes Numidae Deos;
Qui nunc, Hesperia [5]) sospes [6]) ab ultima,
Caris multa [7]) sodalibus,
Nulli plura tamen, dividit oscula,

44) Diffingas: Iterum in Massam conflatam refingas, recudas atque vertas in Massagetas.

45) Retusum: In bellis civilibus hebetatos et attritos enses.

46) Massagetae sunt Scythiae populi, Parthiae vicini. Arabas autem commemorat propter supra inductam expeditionem Aelii Galli.

1) Sensus: Lubens voto, cui, Numida incolumi reverso, obstrictus sum, me nunc exsolvo, sacrum Diis, pro ejusdem salute promissum, adeoque debitum offerendo.

2) Fidibus: carminibus lyricis.

3) Placare, id est, venerari, satisfacere illis, et vota persolvere, quae promisi, si amicus rediret.

4) Sanguine, pro, sacrificio debito, quia illud promisi.

5) Hesperia vocatur Hispania, et quidem ultima, id est, in ultimo orbe posita, ad Occidentem versa, ut distingueretur ab Italia, quae dicitur etiam Hesperia; sic autem vocatur ab Hespero stella, quae occidente sole adparet.

6) Sospes: Reversus incolumis.

7) Multa. Sensus: Quamvis amicos, de ejus reditu laetos, amplectatur

Quam dulci [8]) Lamiae; memor
Actae non alio rege [9]) pueritiae,
Mutataeque [10]) simul togae.
Cressa [11]) ne careat pulchra dies nota [12]):
Neu [13]) promtae [14]) modus amphorae,
Neu morem in Saliûm [15]) sit requies pedum:
Neu [16]) multi Damalis [17]) meri
Bassum [18]) Threïcia vincat amystide: [19])
Neu desint epulis rosae,
Neu vivax apium [20]), neu breve [21]) lilium.

omnes suavissime, ac deosculetur, nullum ex iis tamen suavius, quam Lamiam; quippe meminit, se eodem rege pueritiam egisse, sub quo etiam egit Lamia

8) Dulci: suavi, veteri amico, caro.

9) Rege, id est, magistro, gubernatore, qui instituendae regendaeque juventuti amborum praefectus erat; adeo nempe a pueritia cum eo conjunctus fuit. De paedagogis vide Antiquit.

10) Mutatae etc.: Togam praetextam exuebant anno aetatis 17°, quo sumebant virilem togam, ac moderatores pueritiae dimittebant. Antiquitat.

11) Sensus: Festus igitur hic dies habeatur, hilariterque transigatur. Hilaritatem specialibus ideis poëta declaravit per compotationem, saltationem, et epulas, et, qui epulis inserviunt, florum copiam.

12) Cressa nota, id est, alba nota, creta ducta, terra cretica candida: quia in hac insula effoditur, a qua etiam nomen cretae duxit. Sensus est: Hic dies creta, seu nota distinguenda, inter felicissimos consignetur, et numeretur; notabant enim veteres dies felices albis lapillis seu calculis, infaustos vero nigris.

13) Neu: Neque modus sit, adhibeatur vini ex amphora hauriendi, id est, in potando excedere modum decet, fas est per diei solennitatem.

14) Promtae, id est: quae cito et sine mora petenti detur, vel: depromtae, eductae e cella vinaria.

15) Salium in morem: Ut solent saltare Salii, Martis Sacerdotes, qui festis suis diebus saltationem exercebant in honorem Martis, summa agilitate iterram pedibus percutientes.

16) Sensus: Ne vincat Damalis Bassum, hoc est: certent inter se amystide, bibendo.

17) Damalis multi meri, id est, Damalis ebriosa femina: nomen cujusdam mulieris bibacis.

18) Bassus etiam potor egregius.

19) Amystis, Graeca vox, significans, poculi genus grande, quod sine interspiratione exhauriendum erat ex μισταω respiro et particula privativa. Threiciam vocat, vel quia revera Threissa erat origine, vel quia Thraces ebriosi ferebantur, et ejus modi certamina, in quibus pocula uno ductu exhauriebantur, apud eos in usu fuerant.

20) Apium; herba diu virens et florescens.

21) Breve, id est: cito deflorescens.

Ode XXXI.

Ad Sodales.

Occasio et argumentum.

Pugna Actiaca a. u. 723 commissa, etsi sequentis demum anni initio Alexandriam Augustus peteret, eaque capta Antonium et Cleopatram ad voluntariae mortis desperationem adigeret; poëta, quo et fortius legentium animos feriret, reique gestae dignitatem extolleret, ab historiae veritate discessionem facit hactenus, ut rem tamquam continuo gestam, Augustum adeo Antonio et Cleopatrae e pugna ista fugientibus instantem, obsessamque statim captamque ab eo Alexandriam, tum necem Cleopatrae insequutam traderet. Initio statim carminis effusioris laetitiae sensum, quo contactus ad canendum accesserat, praese ferens poëta ad communem hilaritatem sodales exhortatur, diemque festis epulis celebrandum indicit. His enim patriae quemque amantissimum nunc vacare, omnique omnino laetitiae genere certare oportere, propulsato, quod metu omnium continuisset animos, patriae periculo. Quum enim Cleopatra imperii Romani potiundi spem impotenti animo concepisset, ab hac, superata ac incendio absumta ejus classe, tam turpiter dejecta est, ut fuga vitae suae consulere necesse haberet, eoque tandem inopiae, instante Octaviano, redigeretur, ut, ne in hostium potestatem veniret, ipsa sibi manus inferret. Scriptum est hoc carmen, uti ex praecedentibus patet, a. u. 724.

Metrum Alcaicum, ut in carm. VIII.

Nunc [1]) est bibendum, nunc pede libero [2])
Pulsanda tellus; nunc Saliaribus [3])

1) Generalis sententia est: Hilariter nunc festum agamus diem! Pro hoc statim, quibus animum exhilarari vult, commemorat vinum, saltationem, epulas; fere, ut in praecedenti ode.

2) Libero pede, id est, a catenis, quae a Cleopatra timendae erant; seu, recuperata libertate.

3) Saliaribus dapibus: salii sacerdotes, de quibus superiori ode dictum est, lautissimas ac splendidissimas habebant epulas, pro quibus hic dapes positae sunt, adeo, ut inde natum sit proverbium Saliarium caenarum; ac proinde sensus est: nunc epulae adparentur splendidae ac magnificae pro diei solennitate.

Ornare pulvinar [4]) Deorum
Tempus erat [5]) dapibus, sodales.
Antehac [6]) nefas depromere Caecubum [7])
Cellis avitis [8]), dum [9]) Capitolio [12])
Regina dementes [10]) ruinas,
Funus [11]) et imperio parabat
Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum; quidlibet impotens
Sperare [14]), fortunaque dulci
Ebria [15]). Sed [16]) minuit [17]) furorem
Vix una sospes navis ab ignibus [18]):

4) Pulvinar: Post victoriam insignem aliquam solebant Romani Diis suis quasi epulum praebere. Itaque mensas in templis struebant, ac dapibus cumulabant, circa mensas sternebant lectulos cum pulvinaribus, iisque Deorum, quasi convivarum, statuas imponebant.

5) Tempus erat, Graece, pro, tempus est.

6) Sensus: quod antea, republica in summum discrimen adducta, nefas seu impium fuisset, civem Romanum dedecuisset.

7) Caecubum, vinum generosum, in monte Campaniae Caecubo.

8) Avitis: in quibus illud avi, majoresque nostri condiderant.

9) Sensus: eo tempore, quum regina Cleopatra dementi, et irrito conatu pararet evertere Capitolium, et imperium Romanum exstinguere.

10) Dementes ruinas, id est, a demente regina conceptas.

11) Funus, id est, exitium.

12) Capitolium, pro republica: templum erat Jovis in clivo Tarpejo, dictum ab hominis capite, ibi invento, dum fundamenta ejus effoderentur. Aeternitatis autem rei Romanae templum hoc certissimum pignus habebatur.

13) Contaminato, id est, corrupto cum grege virorum, eunuchorum et spadonum, turpium morbo, id est, turpi morbo infamium, seu, qui solent turpi morbo laborare.

14) Impotens sperare: quae ea erat animi impotentia, adeo demens et vecors, ut auderet omnia sperare, etiam illa, quae fieri nulla ratione poterant. Promiserat enim Antonius Cleopatrae se Romanum imperium translaturum in Aegyptum, ipsamque dominam orbis facturum, quod ipsa sperare ausa erat, impuris suis spadonibus cincta.

15) Ebria, id est, insaniens, elata, insolens facta dulci fortuna, hoc est, fortunae blandiciis.

16) Sententia brevis: spem tamen istam abjecit, classe ab Octaviano ad promontorium Actiacum graviter adflicta.

17) Minuit: sed ejus potentiam et audaciam fregit accepta clades ab Augusto, qui vix unam ex ejus navibus ab incendio sospitem reliquit, et ejus animum furiosum, et vino ebrium Mareotico, quod in conviviis cum Antonio celebratis hauserat, veris timoribus implevit, non falsis, ut ejus spes erant falsae.

18) Ignibus: Haec spectant ad Antonii classem, quae ab eo deserta,

Mentemque lymphatam [19]) Mareotico [20])
Redegit in veros timores
Caesar, ab Italia volantem [21])
Remis adurgens [22]): accipiter velut
Molles [23]) columbas, aut leporem citus
Venator in campis nivalis
Haemoniae [24]): daret [25]) ut catenis
Fatale [27]) monstrum [26]); quae [28]) generosius [29])
Perire quaerens, nec muliebriter
Expavit ensem, nec [30]) latentes
Classe cita reparavit oras;

in longum fortissime pugnandi constantia perseveravit, et tandem pene tota cremata est. Cleopatra enim cum 60 navibus, vix inito proelio aufugerat, et Antonius eam sequebatur.

19) Lymphatam: furore perturbatam. Latinis enim lymphatus ponitur pro furioso, quia, qui a rabioso cane sunt morsi, aquam metuunt, et ille aquae metus, lymphaticus morbus vocatur.

20) Mareotis est palus et regio Aegypti, ubi optimum vinum nascebatur.

21) Ab Italia volantem: procul a finibus Italiae fugientem. Actium quidem, ubi pugna committebatur, est promontorium Epiri in Graecia; attamen transitus in Italiam navibus Cleopatrae, si vicisset, facilis erat per mare Adriaticum.

22) Remis urgens, id est: celerrime persequens.

23) Molles, id est, timidas.

24) Haemonia est Thessalia, ita dicta ab rege quodam suo Aemone.

25) Daret catenis: ut in vincula conjiceret, id est, ut viva ea potiretur, eamque triumphali pompae reservaret.

26) Monstrum adpellat Cleopatram poëta, ut ingentes, et ideo vanas spes ejus, quae ruinam imperii Romani intendebant, et simul audaciam atque libidinem, omnem modum excedentem, indicaret.

27) Fatale, id est: perniciosum populo Romano, quasi a fato quodam et ira Superum immissum.

28) Sententia vulgaris: illa autem indignum rata hoc modo perire, gloriosiorem vitae exitum, ense arrepto tentavit; cumque mori decrevisset, non ignotos maris aut Nili recessus, in quibus delitesceret, sed regiam animo plane regio petiit, ibique regali induta cultu, admota corpori aspide, mortem sibi conscivit.

29) Generosius, splendidius, quam in catenis et triumpho; id est: mortis genere, quod magis reginam deceret, quam quo ignominiose per triumphum, manibus revinctis, ducta in carcere necaretur. Vim enim sibi, prolato telo, inferre conabatur, Proculejum, qui eam ad Octavium ducturus esset, conspicata, qui illud manibus ejus vix extorsit.

30) Nec classe, quacum e proelio effugerat, cita, citato cursu, id est, fuga praecipiti reparavit, paravit, quaesivit, petiit oras latentes, hoc est, loca latebrosa, tutos recessus, quo Augustus non secuturus fuisset.

Ausa et jacentem [31]) visere regiam
Vultu sereno, fortis [32]) et asperas
Tractare serpentes, ut atrum
Corpore combiberet venenum;
Deliberata morte ferocior [33]):
Saevis [34]) Liburnis [35]) scilicet invidens [36]),
Privata deduci [37]) superbo
Non humilis mulier triumpho.

Ode VIII.

Ad Puerum Ministrum.

Occasio et argumentum.

Simplicitatem in convivio adornando commendaturus poëta speciali eam idea, quam ipsum anni tempus suppe-

---

Cogitavit quidem primo de transvehendis e Nilo in sinum Arabicum navibus, et inde Arabiam vel Hispaniam petere voluit; abjecit tamen istud consilium, cum naves aliquot, primum transmissas ab Arabibus Petraeis, combustas audisset.

31) Jacentem regiam, id est: ausa est intrare adflictam, prostratam aulam regiam sereno vultu, hoc est ad laetitiam composito, quo ipsa animum magnum et fortem prodebat.

32) Fortis: forti animo tractare, manibus versare, corpori admovere serpentes asperas noxias, iratas, ut morsu earum venenato periret; subintelligitur: ausa est.

33) Ferocior: tanto animosior, cum mors ei esset deliberata. Naturali cogitandi ordine haec sententia praeponenda fuisset: adeo parum recessus notos petiit, ut potius, quum statim post pugnam Actiacam de morte sibi consciscenda deliberasset, eamque decrevisset, tanto animosior inde facta, ausa sit adhuc intrare etc.

34) Sensus: ne captiva Romam ad triumphum duceretur.

35) Liburnis navibus nempe angustioribus, in Liburnia, Illyrici regione, factis, quales erant illae, quibus Augustus in proelio navali contra Antonium usus erat.

36) Invidens: indignata et nolens, ob superbiam, hunc honorem navibus Liburnis, a quibus victa erat, et quae ideo saevae adpellantur, tribuere, ut iis Romam duceretur.

37) Deduci: duci ex Aegypto in Italiam, ut privata mulier, ipsa quae non obscuro, et infimo loco nata, sed nobilis et regina erat. Quidam, non humilis, etiam explicant: non parvo animo, et fracto. Est autem ordo: scilicet invidens hanc Caesari gloriam, ut ipsa, tanti nominis, tantae dignitatis mulier, capta et regno spoliata, instar feminae privatae, in Liburnis navibus, tamquam in triumpho, Romam deduceretur.

---

ditaret, eleganter ita expressit, ut nimiam pueri in conquirendis rosis, quae jam fere defloruissent, sedulitatem increpet, solamque myrtum, cujus facillima copia sit, coronis nectendis adhibere jubeat.

Metrum Sapphicum carm. II.

Persicos [1]) odi, puer [3]), adparatus [2]);
Displicent nexae philyra [4]) coronae;
Mitte [5]) sectari, rosa quo locorum
Sera moretur.
Simplici [6]) myrto nihil adlabores
Sedulus, curo; neque te ministrum [7])
Dedecet myrtus, neque me sub arcta [8])
Vite bibentem.

---

1) Sensus: ego non quaero, non adpeto splendida convivia.

2) Persicos adparatus: splendidum luxuriosum convivandi morem, v. g. odores, unguenta etc. Persae enim in conviviis erant imprimis sumtuosi, et multarum deliciarum.

3) Puer: servule.

4) Philyra, est cortex interior, ac tenuissimus, ex arbore tilia decerptus; seu membranula nectendis floribus adhibita, cum in taenias ducebatur.

5) Mitte: noli, omitte investigare, ubi nascantur rosae tardiores.

6) Sensus: curo, cupio, volo, jubeo, ut nihil labores sedulo addere pro convivii adparatu ad simplicem myrtum; nihil nisi coronas e myrto volo. Myrtus adhibebatur in conviviis boni odoris causa, et quia fumos vini discutere credebatur.

7) Ministrum, id est, pocula mihi ministrantem.

8) Arcta, id est, densa, umbrosa. Cogita vero vitem ulmo vel populo adnexam, atque arctis pampinis ac ramis densam umbram efficientem.

Q. Horatii Flacci
Carminum
Liber secundus.

Ode I.

Ad C. Asinium Pollionem.

Occasio et argumentum.

C. Asinius Pollio, virtute bellica prudentiaque clarissimus, idemque in causis forensibus agendis exercitatissimus, tragoediarumque scriptor nobilissimus, quum in enarranda bellorum civilium, quibus ipse interfuisset, historia occupatus esset, hoc ad eum carmen scripsit Horatius. Laudat et exhortatur Pollionem, ut, quod tam praeclare inchoaverit, opus, quamprimum ad finem pertexat. Jam quae illud tam desideratum faciant, et cur ab eo potissimum tam enixe efflagitet, duas maxime adfert causas: et operis suscepti difficultates, quas eum optime profligaturum sciat; et, quam summam ei tribuit, artem historicam. Ac hujus quidem alteram virtutem, quam adferre debet historicus, prudentiam civilem, initio statim carminis docte declarat, mirificeque in Pollione extollit; alteram autem, quae in rerum gestarum descriptione versatur, mox uberius designat, coloribusque vividissimis repraesentat. Delatus sic, animoque complexus singularum rerum gestarum memoriam, impetu quodam ad contemplandam detestandamque bellorum istorum atrocitatem abripitur, a quo se demum praeclara inflexione revocat. Scripta est haec ode circa a. u. 719.

Metrum, quod L. I. ode 8.

Motum [1]) ex Metello consule civicum,

1) Perfectissimum in forma operis sui Pollionem statim initio carminis poëta repraesentat, bellorum civilium descriptionem, totiusque operis ambitum iis adumbrando coloribus, qui et suscepti laboris difficultates, miramque in iis profligandis dexteritatem, omninoque historiam ejus, tamquam consummatae artis exemplum ostendunt. Vulgaris enunciatio esset: tu, o Pollio, bellorum civilium historiam paras, arduum omnino, atque

Bellique causas [2]), et vitia [3]), et modos [4]),
Ludumque Fortunae [5]), gravesque
Principum amicitias [6]), et arma,
Nondum expiatis uncta [7]) cruoribus,
Periculosae plenum opus [8]) aleae
Tractas, et incedis [9]) per ignes
Suppositos cineri doloso.
Paullum [10]) severae Musa [11]) tragoediae

difficile opus! Tractas, exponis, describis motum civicum, motus civiles, quae turbae in republica exstiterint, quorum factiones civitatis statum subverterint, ex Metello consule, id est, inde a Metelli consulatu.

2) Belli causas: quomodo intestini isti motus bellum civile excitarint, quomodo bellum civile exarserit. Et proximae quidem causae, quae istam imperii societatem dissolverent, erant: caedes Crassi apud Parthos, et mors Juliae, Caesaris filiae, Pompejo nuptae. Tum enim mutuo metu, affinitatisque vinculo soluti, Pompejus nec parem, nec Caesar superiorem ferre, armisque uterque de principatu contendere coepit. Publicae vero hujus belli causae erant luxuries, et conflata inde multis rei familiaris egestas, qui adeo salva republica salvi esse non possent.

3) Vitia in administrando bello utrinque, maxime a Pompejanis admissa v. g. quod Pompejus tam flagitiose imparatus acerrimum ducem exercitumque provocasset; quod Roma Italiaque excessisset; quod victoria, apud Dyrrhachium reportata, uti nescivisset; quod bellum, quod ipsi trahendum fuisset, impetu suo gereret; quod Caesarem, Thessaliam petentem, cum ei in Italiam transmittendum esset, sequeretur, Aegyptumque post pugnam Pharsalicam non Africam contenderet etc.

4) Modos, id est, ipsum belli gerendi modum. Etiam hoc late patet. Nam et quantis copiis, quibus utrinque sociorum auxiliis, quibus terrarum locis, et quanta pertinacia, partiumque illud gestum sit odio, comprehendit.

5) Ludum fortunae: fortuitos rerum eventus, ubi, quae summa ratione provisa erant, eventu destituuntur; temere contra coepta, feliciter cadunt.

6) Amicitias: initam inter Caesarem, Pompejum et Crassum potentiae societatem, conjurationem, reip. gravem, id est, perniciosam, exitialem.

7) Uncta, tincta, adspersa, polluta arma cruore, seu, sanguine nondum expiato, adeoque civium recens caesorum sanguine adhuc madida. Nam populus mutua suorum caede committit scelus, quo piaculis exsolvendus est: ipsa adeo arma, sanguis ita profusus expiandus est. Expiare autem est, rem aliquam aut personam ex impia et contaminata piam et scelere solutam efficere aliqua religiosa ceremonia.

8) Opus plenum periculosae aleae: opus periculosum, rem magnam et arduam moliris. Alea: de quavis re ancipiti dicitur.

9) Eadem sententia variata: Incedis super ignes subjectos, latentes sub cinere doloso, qui ignem occultat.

10) Nexus: quo difficilius opus illud est, quod adgressus es, tanto major omnium ejus, tam egregie a te inchoati, est exspectatio; ut qui illud

Desit theatris: mox, ubi publicas
Res ordinaris [12]), grande munus
Cecropio repetes cothurno [13]),
Insigne [14]) moestis praesidium [15]) reis,
Et consulenti, Pollio, curiae [16]),
Cui laurus [17]) aeternos honores
Dalmatico peperit triumpho.
Jam [18]) nunc minaci murmure cornuum
Perstringis [19]) aures: jam litui strepunt:

---

a te solo commode tractari posse intelligant. Fac igitur, ut, omni tua cura ac studio in hoc converso, quamprimum illud desiderium expleas. Jam, quum Pollio eodem tempore tragoediis scribendis vacaret, poëta sententiam ita convertit: omittas tantisper tuum, quod arti tragicae tam laudabiliter impendis, studium, donec belli civilis historiam detexueris.

11) Musa severae tragoediae, hoc est, rebus funestis, tristibus occupatae desit; abstineat se paullum a theatro, ne conspiciatur per aliquod tempus in theatro.

12) Ordinaris: postquam rempublicam, bellis civilibus turbatam ordinaveris, composueris, ordinem et quietem restitueris, pro, descripseris. Scilicet poëtae rerum, quas gestas describunt, se participes, auctoresque suavi figmento profitentur, quod etiam de sequenti sententia valet: Deinde iterum tragoedias scribes, pro quo poëta dicit: composito bello civili, iterum repetes, suscipies munus tragoedi, et cothurnatus in scena incedes. Munus autem hoc grande seu grave dicitur, ob argumenti et sententiarum gravitatem, etiam ob verba grandia.

13) Cothurnus erat genus calceamenti altioris, quo actores tragoediarum utebantur. Cecropius adpellatur, id est, Atheniensis, a Cecrope rege Athenarum primo, quia tragoedia maxime Athenis viguit, ubi Sophocles, Euripides etc. floruerunt.

14) Insigne: nunc demum Pollionem adloquitur poëta, reliquarumque ejus virtutum elogium adnectit, quod a vulgari ratione recedit. Nam ordo naturalis fuisset: Pollio, insigne praesidium reis etc. tractas sive scribis motum civilem etc.

15) Praesidium reorum, qui reos egregie defendis, hoc est: qui orator es egregius et causarum actor.

16) Curiae, pro: Senatui, sententiam te roganti, intelligitur, praesidium es.

17) Qui etc. Qui de Dalmatis triumphasti. Sunt autem Dalmatae in Illyrico, quae regio est in ora maris Adriatici, contra Italiam. Dalmatiae urbs erat primaria Salona, quam Pollio cepit.

18) Jam nunc etc. Alteram historici virtutem, quae in justa, dilucidaque rerum gestarum expositione cernitur, adeo quidem, ut singula coram geri spectarique, non narrari, videantur, nunc persequitur, summamque ejus laudem Pollioni tribuit Horatius.

19) Perstringis, feris, percellis aures, pro, audire videor murmur cornuum, et litui strepitum. Cornua autem sunt buccinae breviores et intortae; litui contra buccinae longiores et parum incurvae. Vide od. 1am Lib. I. not. 24. Minax porro dicitur, quia ad pugnam pertinet, ejus conferendae signum dat.

Jam fulgor armorum fugaces
Terret [20] equos, equitumque vultus.
Audire [21]) magnos jam videor duces
Non indecoro pulvere sordidos;
Et cuncta terrarum subacta,
Praeter atrocem animum Catonis [22]).
Juno [23]), et Deorum quisquis amicior [24])
Afris, inulta cesserat impotens
Tellure, victorum nepotes [25])
Retulit [26]) inferias [27]) Jugurthae [28]).

---

20) Terret equos et vultus equitum, quia milites terrore perculsi facie aversa fugiunt.

21) Audire videor: animo jam mihi fingo, repraesento, qua vi, quo strepitu, quanto cum vocis tum orationis vigore res a ducibus in pugna fortiter ac strenue gestas expositurus sis, ut paene ipsos pugnam obeuntes, belli pulvere adspersos, oculis videre sit, qui pulvis decori, honori multo ipsis cedit. Praeterea referentem te audire videor mihi, totum terrarum orbem subactum, omnes gentes a Caesare devictas esse, praeter invincibilem animum Catonis.

22) De Catonis Uticensis morte vide Lib. I. od. 11. not. 30.

23) Hic iterum supplendum est illud: jam audire mihi videor; quomodo Juno et Dii, qui Numidis in bello Jugurthino faverant, quum, fatis obstantibus, eos non possent defendere, suum in Romanos odium tum exercuerint, quum ad Thapsum, urbem Mauritaniae in Africa, Julius Caesar, victis Scipione, Afranio et Juba, 10 Romanorum millia occiderit. Q. Scipio enim collecta manu Romanorum una cum Afranio, Pompeji duce, et pluribus aliis, huic parti addictis, viris in Africam concessit, et cum Juba, rege Numidiae, se conjunxit, libertatem Romani imperii vindicaturus; sed frustra.

24) Amicior: amicus Afris; omnes Dii tutelares, inter quos Juno primum locum tenet, qui cesserant tellure inulta, id est, victis et deletis Africae incolis in bello Jugurthino, quorum clades ulcisci non possent, hinc impotentes. Excedunt enim Dii urbe, regione, cujus tutelam gesserant, hostibus eam devastantibus.

25) Nepotes, id est: posteros eorum, a quibus olim victi erant Africi.

26) Retulit inferias, id est, placavit manes Jugurthae a Romanis victi occisique.

27) Inferiae erant sacrificia, quae solebant mortuis, et inferorem umbris fieri. Immolabantur autem priscis temporibus aliquot e captivis hostibus, ad placandas caesorum ducum umbras, et ad eorum tumulos mactabantur.

28) Jugurtha fuit rex Numidiae in Africa. Is grave bellum gessit cum

Quis [29]) non Latino sanguine pinguior
Campus sepulcris impia proelia
Testatur [30]), auditumque [31]) Medis
Hesperiae sonitum ruinae?
Qui gurges [32]), aut quae flumina lugubris
Ignara belli? quod mare Dauniae [33])
Non decoloravere [34]) caedes?
Quae caret ora cruore nostro?
Sed [35]) ne, relictis, Musa procax [36]), jocis,
Ceae [37]) retractes munera naeniae,

Metello primum, mox cum Mario: demum a Boccho Mauritaniae rege, ad quem confugerat, proditus, in Marii potestatem venit, a quo Romam ductus, et ostentatus in triumpho, in carcere necatus est a. u. 648. Hoc ultimum etiam ratio est, quod Jugurthae soli ex universis Afris, qui diversis temporibus a Romanis caesi sunt, poëta litatum esse dicat, cum nimirum rei indignitas Junonem et ceteros Africae Deos maxime offendisset.

29) Memorata ad Thapsum civium internecio, plures, diversis terrarum locis acceptas, civili bello clades poëtae in mentem revocat, in quarum contemplatione, atrocitate sceleris abreptus, et quasi attonitus, dum omnes cogitationes defigit, a primario carminis argumento abductus, ad declarandam detestandamque belli istius impietatem totus convertitur, ejusque magnitudinem exprimit. Sententia generalis est: Quid? quod ubique terrarum civilibus armis depugnatum, ubique civium sanguis profusus est.

30) Sensus: testatur omnis campus, sanguine Romanorum profuso, pinguior factus, sepulcris suis, hoc est, frequentes in omnibus campis tumuli testantur, memoriam servant, documento sunt, proelia impia civium ibi facta esse.

31) Auditumque Medis etc. Cladem et ruinam Italiae, quae olim Hesperia magna dicta est, tantam, ut a Medis, remotissimis videlicet Orientis populis, et Romanorum hostibus, audita cum gaudio sit.

32) Gurges: est quaevis aquarum congeries, ergo: qui lacus, qui fluvii non sunt conscii proeliorum ad eos commissorum?

33) Dauniae caedes: Italorum; Daunus enim rex fuit Apuliae, quae pars est Italiae.

34) Decoloravere, id est, sanguine infecerunt.

35) Praeclara inflexione jam revocat Musam suam a tam gravi ac sublimi argumento, eamque ad leviora canenda hortatur poëta: noli, relictis amoenioribus argumentis, refricare veteres illas querelas.

36) Procax: alii accipiunt pro: audax, temeraria; sed est simpliciter: petulans, lasciva, jocosa.

37) Ceae retractes munera naeniae: versus lugubres, qui olim a Simonide, vel inventi, vel praecipua cum laude facti sunt. Dicuntur illi naeniae Ceae, quia Simonides, poëta elegiacus, natus est in Ceo, insula maris Aegei, prope Euboeam. Est autem naenia carmen in funeribus cani solitum. Retractes, iteres.

Mecum Dionaeo [38]) sub antro
Quaere modos leviore plectro [39]).

Ode II.

Ad C. Sallustium Crispum.

Occasio et argumentum.

Ostensurus poëta, quem vere beatum adpellare, quem vere sapientem salutare fas sit, solam divitiarum possessionem ad nominis hujus honorem tribuendum quidquam momenti efficere negat, quibus omnino recto demum honestoque earum usu (cujus insigne Proculeji exemplum adfert) pretium suum statuendum sit. Illos igitur, qui iis ita uti nesciant, in summa rerum omnium adfluentia, quod eorum cupiditas nunquam expleatur, egenos, et, quod majorum famae semper excrucientur, nec partis fruantur, miseros pronunciat; in beatis contra ac ditissimis eos babens, qui excelso animo opes despiciant, iisque, ut sapientem decet, fruantur. Exquisitissimum autem hae sententiae, quae universe positae videntur, Crispi Sallustii continent elogium. Is enim, Historici illius e sorore nepos, et in nomen ejus adscitus, Augusti etsi gratia floreret maxima, in equestri tamen ordine perstitit, fortunaque, in qua constitutus esset amplissima, laute ac splendide utens, alienissimum ab avaritia et ambitione ostendit animum. Scripta est ode a. u. 724.

Metrum ut Lib. I. carm. 2.

Nullus [1]) argento color [2]) est, avaris [3])

---

38) Mecum quaere modos, id est, modulare carmina levioris argumenti in antro, Veneri sacro. Venus enim dicta est etiam Dione, quo nomine adpellata est mater Veneris, Oceani et Tethyos filia.

39) Plectrum, quo fides et lyrae percutiebantur, erat instar pectinis, et ex ebore aut buxo constabat.

---

1) Sensus: Divitiae per se plane nullius sunt pretii, et pro hoc poëta dicit: O Crispe Sallusti, inimice lamnae, abditae in avaris terris, nullus est argento color, nisi usu temperato splendeat.

2) Color: dignitas, pulchritudo; nihil juvat pecunia, nisi utaris.

3) Avara terra dicitur ea, in qua argentum defoditur, quia illud celat, ut avari factitant.

Abdito [4]) terris, inimice lamnae [5])
Crispe Sallusti, nisi [6]) temperato
Splendeat usu.
Vivet extento [7]) Proculejus [8]) aevo,
Notus [9]) in fratres animi paterni:
Illum aget [10]) penna metuente [11]) solvi
Fama superstes [12]).
Latius regnes [13]) avidum domando
Spiritum [14]), quam si Libyam [15]) remotis [16])
Gadibus jungas, et uterque Poenus [17])
Serviat uni.

4) Abdito: qui es inimicus argenti defossi, qui non amas aurum abdere, et furtim terrae deponere; qui ab avaritia es alienus.

5) Lamna, pro lamina; sumitur hic pro ipso argento vel auro, declaratur autem per hoc vocabulum, argentum infabricatum, rude, vel inutiliter reconditum.

6) Nisi usui temperato, hoc est, recto, prudenti, (non profundendo aut male dispensando) qui ei pretium facit, inserviat.

7) Extento: longo tempore producto, usque ad seram posteritatem vivet; immortalis erit Proculeji fama et memoria.

8) Proculejus fuit eques Romanus, Augusto carus; ejus fratres, Scipio et Muraena, cum, ob arma in bello civili contra Augustum gesta, patrimonio suo spoliati fuissent, Proculejus bona sua de integro aequis partibus cum ipsis divisit, instar patris amantissimi.

9) Notus: celebris propter animum paternum, Graeca constructio, ex omisso κατα; quod genitivum regit. Id est: propter liberalitatem suam in fratres.

10) Aget: fama illum aget, vehet, tollet penna, alis suis, per populos circumferet, hoc est, longe lateque diffundetur liberalitatis istius fama.

11) Metuente solvi: hoc est, defatigari nescia, semper volante; quae nunquam solvetur, enervabitur, languescet.

12) Superstes: post illius mortem adhuc vivens, et duratura.

13) Regnes, regnabis, rex enim etiam dicitur, qui sibi imperat.

14) Avidum spiritum: avaritiam, cupiditatem majorum opum.

15) Libya, regio Africae.

16) Remotis, a Libya dissitis Gadibus: est autem Gades insula et urbs in ultima Hispania ad meridiem, unde etiam nomen freti Gaditani.

17) Uterque Poenus: tum qui est in Africa, tum qui in Hispania. Nam Carthaginienses Hispaniae partem diu obtinuerunt, urbemque nomine Carthaginem in ea condiderunt, quae Carthago nova dicta est. Sensus ergo totius sententiae est: Qui spiritum pecuniae avidum domat, divitias non congerit, eas non per se expetendas, sed usu demum fructuque pretiosas fieri censet, sane is animo ita adfectus latius regnat, quantulaecunque eae opes sint, quas possidet, ampliores habet; quam si non domito spiritu, avido, animo non iis fruendi, sed augendis intento, Africam et Hispaniam ditioni suae subjecerit, id est, immensas teneat divitias.

Crescit [18]) indulgens sibi dirus hydrops [19])
Nec sitim pellit, nisi causa [20]) morbi
Fugerit venis, et aquosus albo
Corpore languor [21]).
Redditum [22]) Cyri solio Phraaten [23]),
Dissidens plebi numero beatorum,
Eximit Virtus, populumque falsis
Dedocet [24]) uti
Vocibus; regnum et diadema tutum
Deferens [25]) uni propriamque laurum [26]),
Quisquis ingentes oculo irretorto [27])
Spectat acervos.

18) Sensus: avari enim cupiditas nunquam expletur, imo crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

19) Hydrops morbus pro ipso aegrotante hoc morbo positus est; quo laborantes tanto plus sitiunt, quanto plus cupiditati bibendi indulgent, ita, ut semper magis intumescant seu crescant, omnibus alimentis, imo etiam ipsa carne, se in aquam resolventibus, et eapropter palorem corpore induente.

20) Causa morbi: aqua intercus.

21) Aquosus languor, pro ipso hydrope morbo. Totum est allegoria, per hydropem enim avaritia designatur.

22) Sententia generalis: E verae sapientiae praeceptis beatus non is est quem vulgus ad pellat, adquem magna pecunia confluxit; sed ille cui bonum omne in animo est. Sententia poëtica: Virtus, seu, homines virtute praediti dissentiunt plebi in eo, hoc est, a stolida vulgi opinione, et excerpunt e numero beatorum, felicem non putant idcirco Phraaten, quod in solium Cyri fuerit restitutus.

23) Phraates, rex Parthorum, ob mores barbaros, ob patrem et triginta fratres cum filio suo, natu maximo, interfectos, in exilium a suis pulsus est, substituto illi Teridate; postea tamen Scytharum ope in regnum est restitutus. Dicitur autem Cyri solium, quia regnum Persarum a Cyro fundatum a Parthis postea occupatum fuit; non, quod Phraates Cyri filius aut haeres esset; Orodis enim filius fuit. Vide L. I. od. 21. not. 6.

24) Dedocet: docet, non uti falsis vocibus, eum felicem vocando, qui revera non est; iis, qui externo splendore capiuntur, ostendit hoc exemplo, falso istos vocari felices.

25) Deferens uni: illi soli nomen regis, felicitatem et gloriam tribuens, quisquis etc.

26) Laurum: gloriam, victoriam.

27) Irretorto oculo: qui cumulos auri et argenti ita praetereundo aspectat, ut ne oculos quidem reflectat; hoc est, qui nulla cupiditate illorum ac desiderio commovetur.

Ode III.

Ad A. Dellium.

Occasio et argumentum.

A. Dellius, ad quem hoc carmen scriptum est, erat homo varius, ac desultor bellorum civilium. Ad Octaviani partes cuma. u. 723 transiisset, magna ejus gratia, magnisque opibus floruit, unde post hunc annum hanc oden scriptam recte suspiceris. Vulgaris in ea idearum progressio est: fruere, o Delli, vitae commodis, quando quidem mors, cujus ad omnes fatalis necessitas pertinet, nos omnibus iis, quae suavia ac jucunda censentur, exuit, et haec ipsa vitae usura, quae nobis data est, paucorum admodum dierum summula circumscripta est. Quibus quidem ut recte fruaris, neque tibi ipsi fructum intercipias, animum tuum adversus utramque fortunam firmatum, atque ita tene compositum, ut nec secundis rebus nimium efferaris, neve adversis deprimaris. Docte vero poëta ab hac sententia, quae omnis felicitatis fundamentum haberi debet, exorsus, ad primariam carminis sententiam de sectandis vitae deliciis transit, eamque vividissimis coloribus depingit.

Metrum ut in carm. 8. Lib. I.

Aequam [1]) memento rebus in arduis [2])
Servare mentem, non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Laetitia, moriture [3]) Delli;
Seu moestus omni tempore vixeris,
Seu te in remoto [4]) gramine per dies
Festos reclinatum [5]) bearis
Interiore [6]) nota Falerni [7]).

1) Sensus: utramque fortunam moderate feras; neque nimium tristis in adversa, neque nimium laetus in secunda sis.

2) In arduis, id est: in adversa fortuna aeque fortem ostende animum, quemadmodum in bonis, prosperis rebus ab immodico gaudio remotum.

3) Moriture: siquidem aliquando es moriturus, sive semper vixeris moestus, sive aliquando genio indulseris, maxime festis diebus.

4) In remoto gramine: in amoeno recessu.

5) Te reclinatum bearis: pro reclinatus, fusus te bearis, recreaveris, exhilaraveris Falerno optimo.

6) Interiore nota: Falerno optimo, et vetustissimo. Amphoris vini, quas

Qua [8]) pinus ingens, albaque populus
Umbram hospitalem consociare amant
Ramis, et obliquo laborat
Lympha fugax trepidare [9]) rivo:
Huc vina, et unguenta, et nimium [10]) breves
Flores amoenos ferre jube rosae,
Dum res [11]), et aetas, et Sororum [12])
Fila trium patiuntur atra [13]).
Cedes [14]) coëmtis saltibus [15]), et domo,
Villaque [16]), flavus quam Tiberis lavit;

servatas Romani vellent, notam adponebant in operculo, quae indicaret, quod vinum esset, quo anno et Consule conditum. Quo vinum erat generosius, et servari dignius, eo interiore loco cellae vinariae condebatur, utpote frigidiore, et ad servandum vinum aptiore. Rursum, quia primae quaeque amphorae bibebantur, ultimae, interiori loco positae, erant vetustissimae.

7) Falernus mons Campaniae in Italia, ab eo vinum Falernum, quod erat ex optimis, nomen invenit.

8) Ordo naturalis: in tam certo igitur, tamque angusto vitae termino ne quaeso fructum ejus deseras, aut in crastinum diem differas; et in exhortando ipso, ad jucunde beateque vivendum, poëta statim, quod praesens datum est, temporis momento frui, illicoque in ea parte horti aut villae, ubi pinus et populus connexis invicem ramis densam umbram efficiunt, quae gratum epulantibus hospitium praebeat, et ubi rivus praeterfluit, convivales laetitias adparari jubet.

9) Trepidare: sensus: qua lympha seu aqua rivi obliquo cursu defertur, rivus inflectit se, sinuatur. Fugax, celerem cursum rivi designat; trepidare autem laborat, id est: cum labore trepidat; quatenus per anfractus procedit, trepidare, festinare aegre dici potest.

10) Nimium breves flores rosae, id est, rosas nimis cito deflorescentes, et amoene olentes.

11) Dum res patitur, fert, adeoque nihil obstat, quo minus his deliciis fruaris.

12) Sororum trium, id est: Parcarum, de quibus vide Myth.

13) Atra fila, hoc est, funesta, quibus videlicet resectis, mors obeunda necessario sit.

14) Sensus vulgaris: omnibus, ob quae vita expetenda videatur, post mortem carendum esse, omnia aliquando relinquenda esse, nobilitatur, doctaque enumeratione rerum, quibus Dellius beatus haberetur, vivide declaratur a poëta. Cedes, discedes, demigrabis e saltibus etc.

15) Saltus hoc loco sunt pascua late porrecta, qualia divites Romani, rei pecuariae intenti, per Calabriam et Lucaniam possidebant.

16) Villa plura aedificia, in fundo exstructa, comprehendit, tam ad usum rusticum, quae pars rustica et fructuaria dicebatur; quam ad domini eo secedentis commoditates, ac luxum disposita, quae pars urbana vocabatur. Vide Antiquit.

Cedes, et exstructis [17]) in altum
Divitiis potietur haeres.
Divesne [18]) prisco natus ab Inacho [19]),
Nil interest, an pauper, et infima
De gente, sub divo [20]) moreris [21]),
Victima nil miserantis Orci.
Omnes [22]) eodem cogimur: omnium
Versatur [23]) urna, serius, ocius
Sors exitura, et nos in aeternum [24])
Exsilium impositura cymbae.

Ode IV.

Ad Septimium.

Occasio et argumentum.

T. Septimius erat eques Romanus, Augusto carissimus, et amicus Horatii, et quidem inde a veteri commilitio huic conjunctissimus, cujus haud fucatae amicitiae ipsum hoc carmen testem tenemus locupletissimum. In votis habet poëta, ut sibi in Septimii suavissimo consortio et quidem in amoeno ruris secessu, quod reliquum sit vitae, degere

17) Exstructis in altum, id est, in cumulum congestis.

18) Ordo est: nihil interest, an sis dives, et ortus ab Inacho, an pauper et obscuro loco natus, ne tectum quidem et domum, quo te recipias, habeas; quippe futurus es perinde victima Orci nil miserantis, divites aeque ac pauperes damnantis leto.

19) Inachus fuit rex Argivorum, cujus filia Io fabulis celebrata est. Priscus dicitur, quia primus rex Argivorum fuit.

20) Divo, id est, sub nudo et aperto caelo, sine domo et habitatione.

21) Moreris: habites, degas.

22) Omnes in eundem locum compellimur, in Orcum nempe et tumulum. De Orco seu Tartaro vide Myth.

23) Versatur urna: suadet metri ratio vocem hanc in ablativo positam, ordinemque hunc esse: sors omnium, id est, moriendi fatalis hora, serius, ocius exitura, versatur et movetur in urna, nempe, Jovis aut Judicum trium apud inferos, qui finguntur tabellas nominibus omnium hominum inscriptas movere in urna, sive cista; ita, ut ii moriantur primi, quorum nomina priora educta sint. Myth.

24) Et quae nos impositura est cymbae Charontis, ut in aeternum exsilium ab eo deportemur, nempe ultra Stygem in Inferos. Vide Myth.

liceat. Jam e regionibus, quae dulcedine sua mitique caeli temperie eum ad sese invitent, primo loco memorat Tiburtinam, in qua villam habebat; altero autem, agrum Tarentinum, cujus laudes uberius pertractat, et in quo itidem Septimium villam habuisse probabile est.

Metrum quale L. I. carm. 2.

Septimi, Gades [2]) aditure [1]) mecum, et
Cantabrum [3]) indoctum juga ferre nostra, et
Barbaras Syrtes [4]), ubi Maura [5]) semper
Aestuat unda;
Tibur [6]), Argeo [7]) positum colono [8]),
Sit meae sedes utinam senectae;
Sit modus [9]) lasso maris, et viarum,
Militiaeque.

1) Aditure mecum. Sensus: qui me comitaturus es, si mihi remotissimae vel periculosissimae terrarum plagae adeundae forent, hoc est: qui spectatissimae in amore es fidei, quocum summa mihi intercedit amicitiae conjunctionisque necessitudo.

2) Gades, extrema versus Occidentem insula.

3) Cantabrum indoctum, id est, qui adsuefieri nequit ad jugum nostrum ferendum, qui perdomari nequit. Pro ferissima regione cum delectu Cantabria in Hispania, ubi nunc Biscaja, posita est, cujus incolae ferocissimi, ac bellicosissimi, quibuscum Romani iteratis vicibus gravia bella gesserunt, quia in fide populo Romano nunquam permanserunt; etiam post ipsam Augusti de illis victoriam a. u. 728 eo absente rebellarunt. Inde conjecturam facere licet, circa hunc annum scriptam esse praesentem odam.

4) Sensus: tu sustineres mecum adire navibus Syrtes, eam Africae oram, cui Syrtes praetentae sunt, adeoque periculosissimam navigationem non recusares in mari, ubi unda Maura aestuat, ad quae vada continuo fluctus alliduntur, ubi mare est acerrimum. De Syrtibus vide Lib. I. od. 19. not. 4.

5) Maura; proprie dicendum esset Libyca, quia Syrtes duae, major et minor, procul absunt a Mauritania.

6) Sensus: utinam in Tiburtina regione extremam aetatem degere liceat! et pro hoc ornate: Utinam Tibur senectae meae, mihi, seni facto, sedes, locus requietis sit, aliquando contingat; utinam Tibure sedem figere, in senectute ibi requiescere liceat. De Tibure urbe vide Lib. I. od. 6. not. 17.

7) Argeo, id est, Argivo. Argos est urbs primaria Peloponnesi; fuit autem Tibur, fundator illius urbis, a se cognominatae, Argis oriundus.

8) Colonus dicitur etiam is, qui ex urbe quapiam commigrat, ad aliam habitandam.

9) Sit modus, finis, terminus mihi, lasso maris, Graeca structura, pro, lasso mari, itineribus maritimis, et viarum, id est, terrestribus, militiaeque, hoc est, per militiam factis, defatigato.

Unde [10]) si Parcae prohibent iniquae,
Dulce pellitis ovibus [11]) Galaesi
Flumen, et regnata petam Laconi
Rura Phalanto [12]).
Ille terrarum mihi praeter omnes
Angulus ridet [13]), ubi non Hymetto [14])
Mella decedunt [15]), viridique certat
Bacca [16]) Venafro;
Ver ubi [17]) longum, tepidasque praebet
Jupiter brumas: et amicus Aulon [18])
Fertilis Baccho minimum [19]) Falernis
Invidet uvis.
Ille [20]) te mecum locus et beatae

10) Unde: a quo nempe Tibure, si Parcae me prohibent; non sinunt me ibi in senectute degere; hinc dicuntur etiam iniquae, adversae. Sensus: Quod si hoc per fata non licet, utinam agrum Tarentinum saltem concedant, senectutis meae sedem esse velint, et pro hoc dicit poëta: Petam flumen Galaesum, celebre ob oves pellitas; petam agros, ubi Phalantus Lacon regnavit, id est, Tarentum, prope flumen Galaesum situm in Calabria.

11) Oves Tarentinae, propter lanae bonitatem, pellibus solebant tegi, ne illa aëris injuria corrumperetur.

12) Phalantus dux Lacedaemonius fuit, qui cum Spartanis Italiam petens Tarentum occupavit, propterea haec urbs circumscribitur per: rura regnata Phalanto, possessa a Phalanto, quae quondam tenuit Phalantus.

13) Ridet, id est, placet mihi haec regio prae omnibus propter soli bonitatem, et aëris temperiem.

14) Hymettus mons est Graeciae prope Athenas, ubi mel optimum, apes lectissimae.

15) Decedunt, id est: inferiora, deteriora sunt, nihil cedunt melli Hymetto. Decedere enim est, locum alteri, ut nobiliori, cedere, inferiorem se fateri.

16) Bacca olivae Tarentinae certat, de principatu contendit Venafro, Graeca constructio, id est, cum Venafro, et hoc pro: cum Venafra bacca; oleum Tarentinum non cedit Venafrano. Est autem Venafrum Campaniae in Italia oppidum, ubi olivae praestantissimae.

17) Ubi per totum annum est mitis aëris temperies, id est, ver longum, quod statim bruma tepida, hiems remissior excipit.

18) Aulon mons est vini ferax in Calabria; propterea fertilis Baccho, id est vini feracissimus.

19) Minimum, id est: uvas fert, non deteriores, iis, quae nascuntur in Falerno, monte Campaniae; invidetur enim tantum melioribus.

20) Sensus: ibi ego tecum libentissime versarer, viverem. Ille locus, illa convallis beata, amoena ac ferax, et arces, editiora loca, colles beati, pro regione Tarentina positum est.

Postulant [21]) arces: ibi [22]) tu calentem [23])
Debita sparges lacrima favillam
Vatis amici.

Ode V.

Ad Pompejum Grosphum.

Occasio et argumentum.

Quum Horatius post Philippense proelium a. u. 713 Romam rediisset, Pompejus obfirmato animo in Brutianis partibus remansit, annoque demum 725 pace inter triumviros et Sextum Pompejum facta, exsulibus omnibus data redeundi impunitate, et Grosphus Romam rediisse videtur. Itaque Horatius, recepto praeter omnem exspectationem amico veteri, quem revisurum se plane desperasset, exsultat, festumque in ejus honorem diem indicit. Reminiscitur autem simul, ut fert animi humani natura, pristinae conjunctionis, quaeque cum laeta tum maxime tristia, quorum jucundissima est memoria, communia habuerint tempora.

Metrum ut Lib. I. carm. 8.

O saepe mecum tempus in ultimum [1])
Deducte, Bruto militiae duce,
Quis te redonavit Quiritem [2])
Dîs patriis, Italoque caelo,

21) Postulant, id est, invitant me tecum, vocant.

22) Sensus: Ibi ego senium componam, moriar; ista terra tegi, condi aliquando velim; et pro hoc cum tenerrimi amoris adfectu: ibi tu mihi justa persolves.

23) Calentem favillam, id est, cineres meos recenti rogo ustos, adeoque adhuc calentes consperges lacrimis debitis, justis, quas mortuis debet humanitas. Pro, meos, autem posuit poëta: Vatis, id est, poëtae, qui est intimus tuus amicus.

---

1) Ultimum: Qui saepe mecum in ultimum tempus deductus es, summum vitae periculum subiisti, in extremum vitae discrimen adductus es, Bruto militiae duce, dum uterque sub Bruto militaremus, Bruti partes sequeremur.

2) Quiritem: Civem Romanum. Veniam ab Augusto impetraverat ille Pompejus, quam nisi exoravisset exsul, privatus jure civitatis, et hostis patriae vixisset; merito igitur gratulatur Horatius, quod civitati et patriae redditus fuerit, et praeclarum illud Quiritis seu civis Romani nomen recuperaverit.

Pompei, meorum prime [3]) sodalium?
Cum quo morantem [4]) saepe diem mero
Fregi [5]), coronatus [6]) nitentes
Malobathro [7]) Syrio capillos.
Tecum [8]) Philippos et celerem fugam
Sensi [9]), relicta non bene parmula;
Quum [10]) fracta virtus, et minaces [11])
Turpe solum [12]) tetigere [13]) mento.
Sed [14]) me per hostes Mercurius celer
Denso paventem [15]) sustulit aëre [16]):

3) Prime sodalium: id est, quem sodalium omnium semper carissimum habui.

4) Morantem, qui tardius ire videbatur convivaturis nobis.

5) Frangere diem solidum mero; partem de die, gravibus ac seriis rebus destinato, demere, demtamque compotationi dare; decurtare diei spatium, noctique illud adjicere, quod fit, compotatione tempestivius instituta. Vide L. I. od. 1. not. 20.

6) Coronatus capillos, Graeca constructio: Gerens caput floribus redimitum, capillos serto ornatos, eosdemque nitentes, unctos, perfusos malobathro, unguento e malobathri folio. Utrumque enim ad lautioris convivii adparatum pertinebat.

7) Malobathrum, frutex in Indicis paludibus nascens, e cujus folio pretiosissimum oleum exprimebatur ad unguentum. Syrium autem dicitur, quod omnino Indiae merces a mercatoribus Romanis e Syria adveherentur.

8) Tecum: Interfui tecum pugnae commissae ad Philippos, tecum e proelio fugi, clypeo turpiter abjecto.

9) Sensi: graviter, pro, expertus sum.

10) Quum nostri exercitus vires fractae fuerunt; quum animi ferocia pugnantium contusa, perdomita, repressa esset, hoc est, ii, qui atrociter pugnassent, devicti essent, occubuissent.

11) Minaces etc. id est: qui fortissime dimicaverant Bruti et Cassii milites. Minae enim et ira, oris truculentia, solenni more virtutem bellicam designant apud poëtas.

12) Turpe solum, id est, sanguine foedatum, cruentatum.

13) Mento tangere, idem ac, pronus in terram cadere, adeoque cadere, occidi in proelio.

14) Sensus: sed diversam uterque in fuga fortunam habuimus. Ego quidem feliciter ex isto belli naufragio enatavi, belloque deinceps abstinui; tu vero statim ei iterum implicitus es, in militia permansisti. Cum prioribus autem ita junge: In qua pugna fortissimi quique ceciderunt, et nos ex ea servati sumus, sed diversa uterque fortuna. Mercurio porro suam adtribuit salutem, quia in ejus tutela poëtae sunt.

15) Paventem, id est: viribus diffisum, fugae intentum.

16) Denso aëre: Circumfusa nube tectum. Sic etiam Homerus fingit servatum Aeneam ab Apolline, Paridem a Venere.

Te [17]) rursus in bellum resorbens
Unda fretis tulit aestuosis.
Ergo [18]) obligatam redde Jovi dapem [19]),
Longaque fessum militia latus [20])
Depone sub lauru mea, nec
Parce [21]) cadis tibi [22]) destinatis.
Oblivioso levia Massico
Ciboria [23]) exple: funde capacibus
Unguenta de conchis [24]). Quis [25]) udo
Deproperare apio coronas,
Curatve myrto? quem Venus [26]) arbitrum
Dicet bibendi? Non [27]) ego sanius

17) Te rursus: Tu caesis Bruto et Cassio ad Pompejum filium in Siciliam perrexisti, reliquias belli civilis persequens. Allegoria deducitur a Carybdi, quae naves ejectas resorbet; vel a tempestate, quae naves in litore tranquillo et vado positas, quandoque in altum abripit.

18) Ordo sententiarum: sed et haec nova effugisti pericula, ex his quoque servatus es; ergo Jovi σωτηρι servatori sacrum para.

19) Dapem, id est: epulas sacras, sacrificium obligatum, ex voto debitum redde, seu para, offer.

20) Latus: corpus, fessum per diuturnam militiam, recrea sub laurus meae umbra, hoc est, refice vires tuas apud me, qui inter poëtas numeror, quorum laurus est arbor. Fortasse etiam patrocinium Maecenatis et Augusti, quod arti poëticae in acceptis refert, hoc loco innuere vult Horatius.

21) Nec parce: id est: vino largius indulge.

22) Tibi destinatis: in Grosphi enim honorem convivium adparabatur.

23) Ciborium poculi genus, ore superius lato, inferius angusto, instar fabae Aegyptiae, quam colocasiam adpellatam volunt, cujus calyx vasorum ac poculorum usum Aegyptiis praestaret. Sensus: Imple pocula levia, splendentia, affabrefacta vino Massico oblivioso, quod curarum oblivionem inducit L. I. od. 1. not. 19.

24. Conchae sunt vasa unguentaria, ad concharum formam facta. Sensus est: bene et large uncti sint capilli.

25) Suaviter Horatius, qui sibi prae festinandi studio satis occupatus videbatur, coronarum nectendarum curam reliquis convivis relinquit et demandat. Et pro: conficiamus propere coronas ex apii vel myrti frondibus, et regem convivii sortiamur, dicit: Quis ex humido apio, vel e myrto nobis coronas conficere properat, quibus utamur in conviviis? et quem jactus Veneris, seu sors designabit convivii regem? Apium udum vocat, quia in humidis locis nascitur, vel etiam ad indicandum apium recens, adeoque viride.

26) Venus: In conviviis moris erat, ut sortirentur tesseris, qui bibendi esset arbiter. Venus vocabatur tesserarum jactus felicissimus; infelicissimus contra, canis. Vide Antiquit. et L. I. od. 4. not. 26.

27) Non ego sanius, moderatius bacchabor, bibam Edonis, id est, Thracibus, ita dictis ab Edone, monte Thraciae, qui bibaciores erant; nam re-

Bacchabor Edonis: recepto
Dulce mihi furere est amico.

Ode VI.

Ad Valgium.

Occasio et argumentum.

T. Valgium Rufum, poëtam epicum et elegiarum scriptorem, ab immoderato et continuo luctu ex Mystae cujusdam, quem filii loco habuisse, saltem paterno amore amplexus esse videtur, morte suscepto abstrahere hoc carmine adnititur poëta, desumto primum e natura, quae vices suas experiatur, in qua adeo tristibus laetiora succedunt, momento; deinde aliorum Valgio proponit exempla, qui similes casus moderatius tulerint, finemque aliquando luctui statuerint. Denique, quae splendidior hujus carminis pars est, monet eum, ut a privata tristitia animum ad publicam laetitiam, triumphosque Augusti, carmine celebrandos, convertat, et in hoc aegritudinis solatium quaerat. Scripta est haec ode vel exeunte anno u. 734 vel initio 735.

Metrum carm. 8. L. I.

Non [1]) semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros; aut [2]) mare Caspium [3])
Vexant inaequales procellae
Usque; nec [4]) Armeniis [5]) in oris,

---

cepto, reddito mihi amico, dulce, jucundum est furere, hoc est: vino largius indulgere, exsultare.

---

1) Sententia generalis: non semper natura in luctu ac squalore est; non semper tristis rerum est facies, aliquando succedit et laeta. Hanc poëta specialibus exornavit ideis: Imbres non semper manant, torrentium instar effundunt se e nubibus in agros hispidos factos, hoc est, horridos, continuis imbribus squalidos, tristes.

2) Sensus: nec mare semper procellosum est; et pro hoc dicit poëta: Nec usque, id est, semper vexant mare procellae, quae inaequales vocantur, quia mare inaequale reddunt; nam mare fluctibus commotum poëtis est asperum.

3) Caspium mare, est in Asia.

4) Sensus generalis: nec glacies, hiems per totum annum durat.

5) Armenia est regio Asiae, circa Taurum montem. Orae Armeniae hoc loco de montosis Armeniae tractibus, Tauro, Niphate et aliis intelligendae sunt.

Amice Valgi, stat glacies iners [6])
Menses per omnes; aut [7]) Aquilonibus [8])
Querceta [9]) Gargani [10]) laborant,
Et foliis viduantur [11]) orni.
Tu semper [12]) urges [13]) flebilibus modis
Mysten ademtum; nec tibi [14]), Vespero [15])
Surgente, decedunt amores,
Nec rapidum fugiente solem.
At [16]) non ter [17]) aevo functus amabilem
Ploravit omnes Antilochum senex
Annos; nec impubem [18]) parentes
Troilon, aut Phrygiae sorores

---

6) Iners glacies, aqua frigore concreta stat, omnia enim poëtis sunt inertia, quae motu suo destituta, cursu impedita sunt.

7) Sensus: Venti non per totum annum spirant, montes non semper infestantur Aquilonibus, et pro hoc doctius: Querceta Gargani non semper laborant, convelluntur, vix resistere valent Aquilonibus.

8) Aquilo, ventus septemtrionalis.

9) Querceta, loca quercubus consita.

10) Garganus est mons Apuliae, qui in mare Adriaticum versus insulas Diomedeas exit.

11) Viduantur, spoliantur, privantur foliis.

12) Nexus sententiarum: Sicut non semper natura in luctu est: ita nec tu semper tristis sis.

13) Urges; prosequeris flebilibus modis, carmine flebili, lugubri Mysten mortuum.

14) Nec tibi decedunt: animo tuo non excedunt, obversantur tibi luctus, profecti ab amore pueri, tanto ingenio, tantisque virtutibus praediti, ut ipsum filii instar diligeres; mane ac vesperi, hoc est: nocte dieque hoc luctu excruciaris.

15) Vesper sive Hesperus Venus planeta dicitur ab astronomis. Cum circa solem in orbem vertatur, modo illum sequitur, id est, post solem adparet, nempe vesperi, et tum proprie Hesperus dicitur; modo antecedit, nempe mane, tuncque mutat nomen, et Eous, sive Lucifer et Phosphorus adpellatur. Fugere solem dicitur hic ab Horatio, quia brevi obscuratur sole surgente, cui semper vicinus est. Rapidus, idem ac, velox.

16) Jam aliorum exemplis, qui, iisdem casibus etsi graviter adflicti, moerore tamen ac lacrimis non consenuerint, a perpetuo luctu amicum dehortari, ad eandemque animi fortitudinem excitare conatur.

17) Nestor, qui tres hominum aetates vixit, Antilochum filium, in bello Trojano a Memnone interfectum, non deploravit per omnes vitae annos. Fuit hic Graecus, rex Pyli in Peloponneso.

18) Impubem, id est, juvenem imberbem Troilum, qui fuit filius Priami et Hecubae; ab Achille, cum quo congressus est, occidebatur. Sorores Phrygiae ergo sunt ejus sorores: Cassandra et Polyxena.

Flevere semper. Desine [19]) mollium
Tandem querelarum; et potius nova
Cantemus Augusti tropaea [20])
Caesaris, et rigidum Niphaten [21]);
Medumque [22]) flumen, gentibus [23]) additum
Victis, minores [24]) volvere vortices,
Intraque [25]) praescriptum Gelonos
Exiguis equitare campis.

Ode VII.

Ad Licinium Muraenam.

Occasio et argumentum.

Licinius Varro Muraena, Proculeji ac Terentiae frater, homo turbulentus atque ambitiosus, eo maxime consilio pristinam dicendi agendique libertatem in aegra ac plane

---

19) Desine quaerelarum, Graeca constructio, pro, desine a quaerelis.

20) Nova tropaea: Intelligit victorias Augusti recentes ab Armeniis, Parthis et Gelonis reportatas. Jam etsi Augustus nullum ex his populum armis perdomuerit, solent tamen hae res mirifice augeri, amplificarique ab aetatis istius poëtis, ac si vere istae gentes Romano imperio adjectae fuissent. Gloriosissimi adeo triumphi instar habebatur, quod Phraates, rex Parthorum, Augusto, quum a. u. 734 in Asia versaretur, nominis fama territus, signa, clade Crassi amissa, cum captivis remitteret. Ovationem ideo, et arcum triumphalem Augusto a Senatu decretum esse constat. Erat autem Tropaeum monumentum victoriae, collocatum in eo loco, ubi hostes devicti erant.

21) Niphates est fluvius et mons Armeniae, qui hic pro regione ipsa positus est; rigidus vocatur, quatenus montes majores in genere, stant, horrent ob altitudinem, vel quia saxosus. Armenia autem ab Augusto devicta dici poterat hactenus, quod ei, misso eo cum exercitu Tiberio, Tigranem, pulso Artabace, regem imponeret a. u. 734.

22) Medumque: Hic intelligendus est Euphrates, qui quondam et Medus dictus fuit. Constituit hic fluvius fines inter Parthicum et Romanum imperium, adeoque Medum stat hic pro: Parthicum. Quatenus autem hoc imperium subactum dici poterat, supra nota 20. indicatum est.

23) Gentibus additum victis, id est: in potestatem Romanam redactum.

24) Minores etc.: Referenda haec sunt ad vocem, quae praecesserat: cantemus, dicamus illud flumen, quasi pudore suae cladis et dolore affectum, lenius et minori cum pompa fluere, nec tantos undarum vortices volvere, sed alveo conditos subsidere. Interpretare autem haec de populis Romanum imperium saepius inundantibus, in illud irrumpentibus.

25) Intraque praescriptum, subaudi, spatium. Dicamus intra terminos sibi ab Augusto definitos se continere, neque ultra campos exiguos excurrere,

deposita republica tuebatur jactabatque, ut, novam Augusti dominationem acerbe exagitando, populum ad res novas erigeret, imperiique formam novis belli civilis incendiis subrueret, atque everteret. Ita enim e mediocris fortunae statu se emersurum, pristinasque facultates, quas proscriptione amisisset, amplissimosque honores se recuperaturum atque consequuturum confidebat. Horatius igitur, quo ambitiosum atque impotentem ejus animum ad saniora consilia converteret, sedulo ei hoc carmine eam commendat animi moderationem atque temperantiam, quae periculi metu a conandis arduis facile abstineat, neque tamen ad humilitatem se deprimi patiatur, sed ab invidia aeque atque contemtu tuta medium quoddam sectetur; hocque maximum momentum ad bene beateque vivendum efficere, ait. Animus enim ab ambitionis studio sic plane alienus, splendidam fortunam, utpote lubricam invidiaeque obnoxiam, uti minime suspiciet, expetendamque ducet, ita nec adversa ad desperationem agitabitur, sed aequabilem se in utraque praestabit. Saluberrima haec ad vitam recte instituendam praecepta quam parum in Licinii descenderint animum, docuit exitus. Siquidem initis cum Fannio Caepione Augusti opprimendi consiliis, iisque detectis, gravissimas temeritatis suae paenas dedit a. u. 732. Adeoque scripta est haec ode non multo ante hunc annum.

Metrum ut in Od. 2. L. I.

Rectius [1]) vives, Licini, neque altum [2])
Semper urgendo; neque, dum procellas
Cautus horrescis, nimium premendo [3])
Litus iniquum [4]).

---

et equitare, quos ne praeterirent, vetuit. Geloni autem sunt Scythae populi, quos, cum Istrum transire et fines Romanos populari solerent, eodem hoc anno 734 Augustus, misso Lentulo, ultra ulteriorem ripam cum Dacis repulit.

---

1) Rectius, hoc est: recte, sapienter vitam institues, adeoque beate, tranquille deges; si semper mediocritatem secteris, neque honorum aut gloriae cupiditate efferaris, neve ad humilioris conditionis sordes deprimaris: et allegorice expressum: si neque nimis longe in altum proveharis, neque cursum nimis prope litus dirigas; nam illud quandoque procellis infestatur, hoc ob cautes prominentes accedere periculosum est.

2) Altum, mare nempe urgendo, temere persequendo, acriter instando, petendo.

3) Premendo, id est, nimis prope accedendo.

4) Iniquum: asperum scilicet saxis, scopulosum, adeoque infestum, periculosum navigantibus.

Auream [5]) quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret [6]) obsoleti
Sordibus [7]) tecti, caret invidenda
Sobrius [8]) aulâ.
Saevius [9]) ventis agitatur ingens
Pinus; et celsae graviore casu
Decidunt turres; feriuntque summos
Fulmina montes.
Sperat [10]) infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene praeparatum
Pectus [11]). Informes [12]) hiemes reducit
Jupiter, idem
Submovet. Non [13]), si male nunc, et olim

5) Sententia: Mediocritas enim sola vitam beatam jucundamque efficit; quando quidem ea nec invidiae patet, nec egestatis malis laborat. Aurea dicitur haec mediocritas, ad magnum ejus valorem indicandum, adeoque pretiosa.

6) Caret etc.: Ille domum non habet sordidam, et neglectam, neque altam et magnificam, cui invideri possit; sicque ista sua temperantia tutum se ab invidiae periculis, et ab avaritiae sordibus incommodisque praestat.

7) Sordes tecti obsoleti: domum sordidam, squalidam, obsoletam.

8) Sobrius caret aula: sibi temperans non expetit aedes splendidas, propter quas hominum invidiam incurrat.

9) Sententiarum ordo: Nec invidiae solum, sed et fortunae injuriis obnoxia est magna fortuna; quo excelsiore constitutus es loco, tanto magis lubrica atque incerta est rerum tuarum conditio. Quod iterum allegorice expressit poëta.

10) Alterum vitae sapienter instituendae praeceptum: In utraque fortuna animus sibi constet, neve secunda efferatur, aut adversa deprimatur, memor fortunae easdem, quae naturae, esse vices.

11) Pectus bene praeparatum, animus bene, sapienter, fortiter, praeparat, obfirmat sese adversus quamcunque sortis mutationem; adeoque sperat infestis, in adversa fortuna, alteram sortem, hoc est, melioris sortis spe erigitur; in secundis contra rebus metuit alteram, contrariam sortem; adeoque in re prospera non luxuriat, sed confirmat se adversus ingruentem adversam fortunam.

12) Sententia generalis: Natura quoque suas vices experitur. Et pro hoc poëta: Jupiter, tamquam omnis tempestatis arbiter, adducit hiemes informes, quae gratam naturae faciem deformant, squalidas, tristes; idem iterum submovet, pellit, adeoque serenitatem reducit.

13) Sententiam hanc: Si nunc pessima rerum tuarum est conditio, eadem non perdurabit, laetiora aliquando his tristissimis succedent tempora, poëta per sequentem adhuc amplificat: neque enim Dii semper irascuntur hominibus Pro Diis autem in genere, positus est Apollo.

Sic erit. Quondam cithara tacentem
Suscitat Musam, neque semper arcum
Tendit Apollo [14]).
Rebus [15]) angustis animosus, atque
Fortis adpare: sapienter idem
Contrahes [16]) vento nimium secundo
Turgida vela.

Ode VIII.

Ad Quinctium.

Occasio et argumentum.

Quinctius Hirpinus, ad quem hoc carmen scripsit poëta, fuisse videtur natura anxius, reique suae, futuri metu, paullo intentior, si ex ipso carmine haud temere statuere licet. Monet itaque eum et exhortatur poëta, ut, missis omnibus, quae animum disturbare possint, se totum hilaritati tradat, vitamque quam jucundissime transigat; quando quidem vana prorsus omnis futuri sollicitudo sit in tam angusto vitae termino; illudque maxime aetatis tempus, quod fruendis vitae voluptatibus unice adcommodum sit, citissime praeterlabatur. Tum insurgit poëtae adfectus; illicoque genio, vino, atque epulis litandum suadet. E primis carminis versibus adparet, id scriptum esse ante a. u. 734. quo demum Cantabros ab Augusto perdomitos, Scythasque a Lentulo repressos esse constat.

14) Apollo non semper exitialem arcum tendit, ut homines infestet; sed interdum cithara canit, et feriatur cum Musis. Sol enim, pro quo etiam Apollo seu Helios habetur, immodico calore pestem et perniciem adferens, arcu letali uti dicitur ab Homero. Illud, canere cithara, autem ita exprimit poëta: cithara silentes Musas et quasi dormientes excitat, et ad canendum exemplo provocat; id est, carmina Apollinis suscitat; ad canendum eum, instigat.

15) Sensus: Quo circa adpare, praesta te animosum, qui malis non succumbat, erectum ac fortem in rebus angustis, adversis; animi fortitudinem et constantiam rebus adversis oppone; ast in secundis rebus ne animos tollas, moderato secundam fortunam fer animo. Hoc ultimum allegoria iterum a navigatione ducta, repraesentat poëta.

16) Contrahes: tempera, moderare cursum navis, vento secundo abreptae, adductis vel demissis velis, ne sint adeo turgida.

Metrum carminis 8. L. I.

Quid [1]) bellicosus Cantaber [2]), et Scythes,
Hirpine Quincti, cogitet, Hadriā
Divisus objecto [3]), remittas
Quaerere [4]); nec trepides [5]) in usum
Poscentis aevi pauca. Fugit [6]) retro
Levis [7]) Juventas, et Decor [8]); arida
Pellente *ludorum* [9]) *procaces*
Canitie [10]) facilemque Somnum.
Non semper idem floribus est honor [11])
Vernis; neque [12]) uno Luna rubens nitet

1) Sententia primaria: Sectare vitae voluptates, hilarem sume diem, indulge genio. Et pro hoc inversa ratione: Nulla animum tuum conturbet sollicitudo, omnia, quorum sensus molestus est, a te aliena existimato.

2) Cantabri, Hispaniae populus, et Scythae, Istri accolae, crebris incursionibus fines Romanorum fatigabant.

3) Objecto: hoc non ita accipiendum est, ac si Scythae litorales maris Adriatici plagas tenuerint, sed illud potissimum nominat poëta, quo major horum longinquitas difficultasque rei adpareat.

4) Quaerere: Sensus: Noli seu remittas quaerere, sollicitus esse, periculorum impendentium metu excruciari, aut de eo, quid Cantabri et Scythae moliantur, cogitent; nam mare Adriaticum irruptionem horum impedit, quasi vallum est objectum Scythis, ne impetum faciant in Italiam. Hoc ipso autem, quod Scythas, qui propiores sunt finibus Italiae, haud timendos esse, ait, ob locorum distantiam; etiam Cantabrorum incursiones in fines Romanorum, utpote magis adhuc distantium, eo minus ipsis, in Italia tegentibus, timendos esse comprobat.

5) Nec trepides, id est: Nec anxie sis sollicitus de eo, unde vivas, cum vita pauca poscat, paucis indigeat in usum, ut ea perfruaris. Ordo igitur est: Nec trepides aevi, pauca poscentis in usum.

6) Sententia: Aetas enim juvenilis, quae sola fruendis vitae deliciis apta est, quam citissime transit. Hoc autem suavissimo phantasmate repraesentavit Horatius: Dum in prima aetate constituti sumus, adest ad latus Juventas Dea cum comitatu suo: Decore, Joco, et Somno; dum aetate provehimur, illa a senectute, quae nos excipit, pulsa retro fugit, recedit, nos deserit.

7) Levis, inconstans, stare diu ac durare nescia.

8) Decor, id est: pulchritudo, gratia.

9) Ludorum procaces, id est: ludos seu jocos petulantes.

10) Canitie, pro, senectute, quae, quia sicca, arida est, pellit ludos et jocos, et difficiliorem facit somnum; is enim humidis vaporibus maxime alitur et fovetur.

11) Honor, id est, pulchritudo.

12) Neque Luna uno, eodemque vultu rubens nitet, resplendet; Luna non eandem faciem servat, variat vultum crescendo et decrescendo; unde optime temporum decursio facta perspicitur.

Vultu; quid [13]) aeternis minorem [14])
Consiliis animum fatigas?
Cur [15]) non sub alta vel platano, vel hac
Pinu jacentes sic temere [16]), et rosa
Canos odorati [17]) capillos,
Dum licet, Assyriaque Nardo [18]),
Potamus uncti? Dissipat Evius [19])
Curas [20]) edaces. Quis [21]) puer ocius
Restinguet ardentis Falerni [22])
Pocula praetereunte [23]) lympha?

Ode IX.

Ad Maecenatem.

Occasio et argumentum.

Augusti res gestas a Maecenate scribere jussus poëta, sublimi huic argumento lyricam Musam suam, quae levibus tantum rebus fere contineatur, omnino sufficere negat, ipsumque Maecenatem vicissim, ut illud historice persequatur sedulo hortatur. Dum autem lyram suam gravioribus argumentis pertractandis convenire negat, in hac ipsa pro-

13) Quum igitur res omnes fluxae sint, in tanta aetatis juvenilis brevitate, quid fatigas, exerces, adfligis animum consiliis; quid consilia capis aeterna, quae vitae humanae spatium egrediuntur, tamquam immortalis sis?

14) Animum minorem, id est: quibus curis par non est, quibus succumbit

15) Imo abjice vanas istas curas, nec praesens, quo frui licet, temere tibi elabi tempus sine. Miram vero energiam habet, quod poëta, in aliis hilaritatis sensum excitaturus, ipse in voluptate quasi bacchatur, illicoque compotationem in amoena regione jubet adparari, et, instructam jam animo praecipiens, convivas ad bibendum exhortatur.

16) Sic temere: jacentes, ut casus tulerit, ut cuique libuerit.

17) Rosa odorati capillos, id est: roseis sertis redimitos habentes capillos; caput roseis sertis coronantes.

18) Nardum, unguenti pretiosi genus, confectum e nardo, planta Indica, quae in Syriam advecta, inde Romam deferebatur; propterea dicitur Assyria, seu Syria Nardus.

19) Evius: Bacchus. Myth. et Od. 16 not. 13. L. I.

20) Curas edaces; macerantes.

21) Sensus: Repleantur vino pocula; et pro hoc e veteri more: Misceatur, temperetur vinum aqua!

22) Falernum, est pro quolibet vino, et ardens dicitur ab effectu.

23) Praetereunte: id est, aqua e proximo fonte petita.

fessione, taliumque argumentorum enumeratione spiritum prodit excellentissimum, dumque Augusti res gestas cum talibus exemplis componit, exquisitissime simul eas extollit. Jam pro levibus argumentis, quibus se unice parem profitetur, in specie commemorat, atque vere canit Licymniam amicam, cujus admiratione adeo se teneri ait, ut animus, in hac defixus, ne aliam quidem nunc cogitationem admittat. Non constat, quaenam fuerit haec Licymnia, aliqui nominant eam Liciniam, et putant eam esse Licinii Murenae sororem, cui nomen Terentiae, quaeque deinde Maecenati nupsit. E carmine ipso hoc tantum eruere pro certo licet, eam fuisse puellam eximia pulchritudine, aliisque virtutibus praeditam ac exornatam.

Metrum quod et L. I. od. 5.

Nolis [1]) longa ferae bella Numantiae [2]),
Nec durum Hannibalem [3]), nec Siculum mare
Poeno purpureum [4]) sanguine, mollibus
Aptari citharae modis;
Nec [5]) saevos Lapithas [6]) et nimium mero

1) Sententia generalis: ego canendis Augusti laudibus plane me imparem sentio, res ejus gestas carmine lyrico digne describendi facultatem mihi vix arrogem; multo melius tu eas soluta oratione persequi poteris. Haec autem ita exsequitur: Nolis, id est, ne jubeas, ne injungas mihi, aptari a me, ut aptem, ut adcommodem gravia carminum argumenta citharae modis, citharae sonis mollibus, lyrae molli, leviori tantum argumento aptae, id est: ut graviora argumenta ad lyram meam canam. Jam pro grandibus carminum argumentis talia nonnulla enumerantur a poëta, quae satis illustria virtutis Romanae documenta constituunt; bella Punica et Numantinum.

2) Numantia Hispaniae Tarraconensis urbs, obsidione Romanorum, quam per annos 14 insigni cum hostium clade sustinuerat, funestoque interitu celeberrima. Hinc bella longa, et Numantia fera dicta, cujus incolae in ultimam rabiem furoremque conversi, duces suos, seque, patriamque ferro et veneno, subjectoque undique igne peremerunt a. u. 621.

3) Bella Punica declarat poëta per Hannibalem, et pugnas navales ad Siciliam primo Punico bello gestas cum virtute, nam Romani in his superiores discesserunt. Dedit autem Hannibal initium bello Punico 2do a. u. 536. ac post varias clades Romanis illatas, redire coactus est in Africam, quo bellum Scipio transportaverat; ibi ab eodem victus, ad Antiochum Syriae, tum ad Prussiam Bithyniae regem fugit, apud quem, cum ne se quidem tutum putaret, sibi veneno mortem attulit a. u. 571.

4) Purpureum mare, sanguine tinctum, infectum.

5) Historicis Mythicae antiquitatis exempla subnectit poëta.

6) Lapithae, Thessaliae populus, de quibus vide L. I. od. 16. not. 11. Saevi dicuntur, id est: ira incensi, furentes in pugna nempe cum Centauris.

Hylaeum [7]); domitosve Herculea manu
Telluris [8]) juvenes, unde [9]) periculum
Fulgens contremuit domus
Saturni [10]) veteris. Tuque [11]) pedestribus
Dices historiis [12]) proelia Caesaris,
Maecenas, melius, ductaque per vias [13])
Regum colla minantium [14]).
Me [15]) dulcis dominae Musa Licymniae
Cantus, me voluit dicere lucidum
Fulgentes oculos, et bene mutuis
Fidum pectus amoribus:
Quam [16]) nec ferre pedem dedecuit choris,
Nec certare joco, nec dare brachia

7) Hylaeus unus e Centauris, nimius mero, id est: mero immoderate hausto incensus.

8) Telluris juvenes, id est: Gigantes. De bello Gigantum, caelum oppugnantium, vide Myth. In hoc Hercules praecipue Jovis partibus adstitit, quapropter Gigantes, filii Terrae, domiti ab eo dicuntur.

9) Unde: a quibus Gigantibus.

10) Saturni domus, est caelum, fulgens stellis; vetus autem dicitur Saturnus, quia fuit Deorum antiquissimus.

11) Sententiarum ordo: Noli, seu ne jubeas me, describere carmine lyrico tam gravia argumenta, et praecipue res egregie gestas a Caesare, et triumphos ejus, quos tu multo melius historice describes.

12) Historiis pedestribus, id est, prosa scriptis; soluta oratione conscripta historia.

13) Romae maxime per viam sacram in Capitolium triumphantes vehebantur. Hinc fortasse intelligas, hanc oden ante 724 urbis c. non fuisse scriptam, quo anno ter, tribus deinceps diebus Augustus triumphavit: 1a die de Dalmatis, altera de Antonio et Cleopatra, et 3ia de Aegypto.

14) Minantium, id est, qui in ipsa ea misera conditione, catenis collo circumdatis, ducti ante currum triumphalem minas adhuc, furoremque feroci vultu, oculisque ardentibus ostendunt.

15) Sensus: equidem levia tantum argumenta tractare possum, in lusibus ac jocis unice Musa mea occupatur. Et pro hoc: Licymniae soli vacare nunc possum, hujus pulchritudo ac gratia omnes meas ad se convertit cogitationes, in hujus laudibus celebrandis nunc totus sum. Me jubet Musa cantare, extollere dulces cantus, id est, suavem vocem, oculos lucide fulgentes, et fidem in amore, atque constantiam Licymniae dominae, a me scilicet admiratae.

16) Sensus: quae in quovis saltationis genere excellit; non dedecet eam, id est, laudi maximae illi cedit, ferre pedem, incedere decenter in choris; neque certare cum aliis in mimica arte (jocari enim proprie de Mimis dicitur Ovid. Trist. II. 497), nec etiam dedecet eam ludentem, saltantem dare brachia concinne virginibus; nam in brachiorum motu inter saltandum molli et ad

Ludentem nitidis virginibus, sacro
Dianae celebris die [17]).
Nam [18]) tu, quae tenuit dives Achaemenes [19]),
Aut pinguis Phrygiae Mygdonias [20]) opes,
Permutare velis crine Licymniae,
Plenas [21]) aut Arabum domos?

Ode X.

In arborem.

Occasio et argumentum.

Carmen hoc ex eo genere est, quum ingenium poëtae a sensu aliquo, a quo graviter impulsum fuerat, progressum, mox ad alios sensus, qui ex ista naturali idearum successione fluunt, transit, iisque ad finem usque immoratur. Execratus igitur arborem poëta, cujus ictu paene oppressus erat, ad incertum cujusque fatum progreditur; tum idea mortis, regni Plutonii, quo jam in eo fuisset, ut descenderet, ita omnes ejus sensus occupat, ut versari in Elysio inter priscos

numeros facto, omnino maxima virtus erat; praeterea Virgilius etiam dicit: ludere in numerum, pro, saltare.

17) Dies Sacri seu festi Dianae plures erant per annum apud Romanos, unde et celebris audit, ab ipsis religiosissime culta. Ii dies autem admodum solemni laetitia, tam in urbe, quam in agris et silvis a virginibus agebantur choreis etiam, quae cum omnibus festis communes essent, tum ipsos Dianae choros repraesentarent; ut haec primaria exsplendescendi occasio esset formosis virginibus ac saltatricibus nitidis, id est, eleganter comtis et ornatis.

18) Ordo sententiarum esset: Musa me voluit dicere crines Licymniae pulcherrimos; omisso autem hoc, per saltum statim dicit: quos maximis opibus anteposuerim, auro mihi pretiosiores. Hos jam admirationis de pulchritudine Licymniae sensus, quos, ut in quolibet affectu fieri solet, omnium esse existimat, cum Maecenate communicat, hujusque eleganti judicio Licymniae dotes vel maximis opibus potiores visum iri certo confidit, sequenti fere modo: Maecenas, si nosceres caelestem illam pulchritudinem, an tu omnes regum thesauros pro crine Licymniae permutare velles? Certe nunquam, supplendum est.

19) Achaemenes fuit primus rex Persarum.

20) Mygdones, antiqua Thraciae gens, quae, Europa relicta, Phrygiae partem occupavit, adeoque: pinguis, id est, opulentae, e solo pingui, Phrygiae opes Mygdonias, seu valde magnas intelligit hic poëta.

21) Plenae, id est: opulentae domus, seu divitiae Arabum.

poëtas lyricos, Sapphoque et Alcaeum audire sibi videatur; cujus ideae enthusiasmo ita abripitur, ut ei magnificentissime immoretur, et cum eo totum carmen finiat. Qua sane ad poëtarum istorum laudes conversione nihil splendidius aut excellentius cogitari potest.

Metrum, quale L. I. carm. 8.

Ille [1]) et nefasto [2]) te posuit die,
Quicunque primum [3]), et sacrilega [5]) manu
Produxit [4]), arbos, in nepotum [6])
Perniciem, obprobriumque [7]) pagi.
Illum [8]) et parentis crediderim sui
Fregisse cervicem, et penetralia [9])
Sparsisse nocturno cruore
Hospitis; ille venena [10]) Colcha,
Et quidquid [11]) usquam concipitur nefas,
Tractavit, agro qui statuit meo
Te triste [12]) lignum, te caducum [13])

1) Ordo naturalis: O arbos, quicumque te plantavit, ille, et te infausto die et sacrilega manu posuit in exitium nepotum, et obprobrium pagi; ille, ut opinor, parentis sui cervicem fregit etc., id est, sceleratissimus fuit.

2) Apud Romanos alii dies fasti dicebantur, ii scilicet, quibus praetori tria illa verba: Do, Dico, Addico, nam his omnem suam jurisdictionem absolvebat, fari licebat; alii nefasti, quibus Forum clausum, nec Praetor seu judex illa praedicta verba fari, et iis uti poterat. Hoc loco nefastus dies tantum est, ac, funestus, quo parum feliciter res succederent.

3) Quicunque primum, subintellige: te plantavit, te statuit in agro meo, quod inferius subjungitur, versu 10.

4) Produxit, id est, sevit, plantavit, protulit.

5) Sacrilega, id est: impia, scelerata.

6) In nepotum perniciem; in hunc finem nempe, ut posteris exitio esses.

7) Obprobrium pagi; quia posteri inde concludunt, hic valde scelestos habitasse homines.

8) Sententia est: Ille non sacrilegus solum, sed etiam parricida fuit, hospitem suum occidit, venena miscuit.

9) Penetralia: Interiorem partem domus noctu inquinasse sanguine hospitis a se occisi. Jus enim hospitii maxime sanctum habebatur, itaque gravissimum erat scelus, hospitem necare.

10) Venena Colcha, qualia Medea Colchica tractavit, adeoque praesentissima efficacissima. Colchis est regio, prope Pontum, ubi venena efficacissima nascuntur. De Medea, filia Aeetae regis Colchorum, vide Myth.

11) Quidquid nefas, id est: quodcunque scelus animo usquam concipitur, per totum terrarum orbem sit, ab eo illud patratum crediderim.

12) Triste lignum, ob tristes ejus effectus, adeoque: damnosum, exitiosum lignum, seu arbor.

13) Caducum, id est, quod caesurum, oppressurum eras caput domini,

In domini caput immerentis.
Quid [14]) quisque vitet, nunquam homini satis
Cautum est, in horas. Navita [15]) Bosporum [16])
Poenus [17]) abhorrescit; neque [18]) ultra
Coeca timet aliunde fata;
Miles [19]) sagittas et celerem fugam
Parthi; catenas Parthus [20]) et Italum
Robur: sed [21]) improvisa leti
Vis rapuit, rapietque gentes.
Quam [22]) paene furvae regna Proserpinae [23]),
Et judicantem vidimus Aeacum [24]):

seu dominum, possessorem hujus agri, me, immerentem, innoxium, nullius culpae conscium.

14) Dum periculi, quod incautum eum paene oppresserat, cogitatione poëtae animus intenditur, facilis erat ad communem de incerto cujusque fato sententiam progressio, illamque adjungit sine transitionis formula. Nunquam ab homine satis caveri potest, aut provisum, cautum est, quid quisque vitet, quae sibi vitanda sint in horas, id est: quae instent sibi pericula quovis temporis momento.

15) Egregie jam sententiam istam perquam adpositis exemplis communit atque exornat.

16) Bosphorus est fretum angustum et periculosum, inter mare Aegeum et Propontidem, Hellespontus alio nomine. Non procul abest alius inter Propontidem et Pontum Euxinum, Bosphorus Thracicus dicitur. Denique est Bosphorus Cimmerius, inter Pontum Euxinum et Meotidem paludem.

17) Poenus navita: mercator Phoenicius perhorrescit maxime, unice timet Bosporum Thracicum, fretum aestuosum.

18) Neque ultra, ulterius, trajecto Bosporo, sub alia specie occurrentia fata caeca timet, id est, inexspectata et ignota.

19) Miles Romanus perhorrescit maxime Parthum, et pro hoc poëtice: timet celerem fugam, id est, Parthum in fuga simulata fortissime depugnantem, sagittis petentem, temere insequentem Romanum. Id, quod praecipue in clade Crassi factum est.

20) Parthus contra catenas Italas, seu Romanas metuit; ne bello a Romanis capiatur, in triumpho ab ipsis catenatus ducatur; tum robur, id est, carcerem roboreum, seu roboreis textis communitum, ne videlicet in carcere obtruncetur. Generatim ergo: timet Parthus captivitatem et necem a Romanis.

21) Sed hoc iterum in generalem sententiam, a qua exorsus fuerat, convertit poëta dicens: Leti vis, mors improvisa rapuit, rapietque, et ad inferos deducet gentes, seu homines.

22) Sensus generalis: Ita et ego paene occubuissem, pro quo dicit poëta: Vidimus, subiimus regnum Proserpinae, loca infera.

23) Proserpina uxor Plutonis, Cereris filia, de qua vide Myth. Furva seu nigra dicitur ob perpetuum rerum inferarum epithetum.

24) Aeacus. Tres erant apud inferos noti judices: Minos, Aeacus et Radamanthus. Vide Myth.

Sedesque discretas piorum; et
Aeoliis fidibus querentem
Sappho [26]) puellis de popularibus [27]);
Et te sonantem plenius aureo,
Alcaee [28]), plectro dura navis,
Dura fugae mala, dura belli.
Utrumque [29]) sacro digna silentio
Mirantur umbrae [30]) dicere: sed magis [31])
Pugnas et exactos tyrannos
Densum humeris bibit aure vulgus.
Quid mirum [32])? ubi illis carminibus stupens
Demittit atras bellua centiceps [33])
Aures [34]), et intorti capillis

25) Sedes discretas, id est: loca sejuncta a reliquis regionibus, flumine interjecto; adeoque Elysium.

26) Sappho fuit poëtria, oriunda e Lesbo insula, in qua urbes quaedam Aeolicae ditionis erant, itaque idem est hic Aeoliis, atque Lesbiis. Aeoles autem Graeciae populi fuerunt, qui, relicta patria, transierunt in Mysiam, regionem Asiae minoris inter Troadem et Joniam.

27) Puellis de popularibus querentem: querebatur illa adhuc vivens, se puellis Lesbiis parum amari, et hanc querelam mortua instaurabat. Erat enim ea veteribus opinio: iisdem studiis teneri mortuos, quibus, dum viverent, indulserant.

28) Alcaeus poëta lyricus Lesbius etiam, ex Mytilene civitate, et auctor Alcaici versus. Hic arma pro patriae libertate gerens adversus Tyrannos, nonnunquam victor, sed aliquando etiam victus et fugere coactus, aspera multa pertulit. Vide L. I. od. 27. not. 6. Cum in suis carminibus agat de rebus bellicis, et duris fatis fugae navalis; habet eapropter stylum grandiorem et pleniorem, quam Sappho, adeoque plenius sonans, canens, plectrum aureum.

29) Abreptus phantasiae vi poëta, se plane ad inferos delatum, Alcaeumque et Sappho in medio umbrarum, maxima eos frequentia stipantium, audientiamque facientium, turba canentes audire se opinatur.

30) Umbrae mirantur utrumque, Sappho et Alcaeum, dicere digna silentio, id est: auscultant eis, admiratione defixae, dicentibus, canentibus; admirantur eorum cantum, dignum sacro silentio, cujus maxima dulcedo est, qua delinitae silentium tenent sacrum, quale in sacris obtinet, adeoque altissimum.

31) Sensus: magis tamen Alcaei cantus umbras tenet, et pro hoc: vulgus, id est, multitudo umbrarum densa, condensata humeris, constipata bibit aure, seu, avide haurit, intente audit Alcaeum.

32) Quid mirum? non est mirum illos audiri tam attente ab umbris inferorum, siquidem ipse Cerberus aliaque Erebi monstra istis carminibus demulcentur.

33) Centiceps bellua, Cerberus, cui tria vulgo capita adfinguntur; a poëtis autem interdum centena.

34) Aures demittit illis carminibus stupens, id est: audito Alcaei can-

Eumenidum [35]) recreantur angues:
Quin [36]) et Prometheus [37]), et Pelopis [38]) parens
Dulci laborum [39]) decipitur sono;
Nec curat Orion [40]) leones
Aut timidos agitare lyncas

Ode XI.

Ad Postumum.

Occasio et argumentum.

Videtur ille Postumus, ad quem ode ista directa est, fuisse dives atque opulentus, sed parcus idem et avarus, qui adeo anxia futuri sollicitudine a praesentis temporis fructu detineretur. Igitur de morte omnibus communi, vitaeque brevitate, atque hinc ducto illa perfruendi officio philosophiam, toties jam tractatam, hoc etiam carmine persequitur; ita tamen, ut in primis plenius exactiusque exprimat communes de morte et brevitate vitae locos, ipsa inde derivanda vitae praecepta leviter tantum attingat, amicoque ipsi inde colligenda relinquat.

Metrum praecedentis carminis.

Eheu fugaces, Postume, Postume,
Labuntur anni; nec pietas [1]) moram

---

tu, stupore correptus, mitescit, exuta ferocia, quod demittendo aures indicat. De epitheto atro, vide supra not. 23.

35) Eumenidum, id est, Furiarum angues, cum quibus depingi solent capillorum loco, se delectant, pro: Furiae ipsae mitigantur, iram remittunt, ipsis propriam. De Furiis vide Myth.

36) Sensus: quin et ii, qui Tartaro inclusi, poenas luunt, lyrae suavitate permulcentur, dolores minus sentiunt, cantu deliniti.

37) Prometheus, Japeti filius, qui ob ignem de caelo clam sublatum detrusus est ad Inferos; ubi vultur ejus jecur immortale rodit. Myth.

38) Pelopis parens, Tantalus, qui mediis in aquis sitit. Vide Myth.

39) Laborum decipitur, id est: sono cantus deliniti laborum decipiuntur, ita, ut sensus ipsorum a laboribus, cruciatibus, avocetur; obliviscuntur miseriarum suarum.

40) Orionis exemplo umbras Alcaei carmine ita demulciri atque detineri ostendit, ut vel ea studia atque occupationes, quibus maxime delectentur, omittant ac negligant. Orion autem venator, dum viveret, insignis erat.

---

1) Nec pietas etc. Tua virtus et pietas senectutem et mortem non retardabit.

Rugis et instanti senectae
Adferet, indomitaeque Morti.
Non [2]), si trecenis, quotquot eunt dies,
Amice, places illacrimabilem [3])
Plutona tauris; qui ter amplum
Geryonen [4]), Tityonque [5]) tristi
Compescit [6]) unda [7]), scilicet omnibus,
Quicunque terrae munere vescimur,
Enaviganda [8]), sive reges
Sive inopes erimus coloni [9]).
Frustra [10]) cruento Marte [11]) carebimus,
Fractisque rauci fluctibus Hadriae;
Frustra [12]) per autumnos nocentem
Corporibus metuemus Austrum [13]);
Visendus [14]) ater flumine languido

---

2) Non si etc. non retardabis aut effugies mortem, etiamsi placare coneris Plutonem sacrificio quotidiano trecentorum boum.

3) Illacrimabilem: activam habet vox ista hic significationem, nempe lacrimari nescium, indocilem flecti lacrimis, immisericordem, durum.

4) Geryon fuit Hispaniae rex, qui, quod insulas tres, ut ajunt, aut tres provincias obtineret, fictus est a poëtis tria corpora inter se juncta habere, ab Hercule occisum ferunt.

5) Tityus, unus e gigantibus, qui jacens occupare dicitur novem jugera. Hic ab Apolline, quod Latonam violare vellet, sagittis necatus, et ad inferos trusus est. Cujus jecur a vulture exedi perhibetur, et quotidie renasci in poenam.

6) Compescit, id est: inclusos tenet, prohibetque, ne ad superos emergant.

7) Unda, nempe Styge et aliis Inferorum fluviis.

8) Enaviganda. Quam scilicet omnes, qui frugibus terrae vescimur, id est, in hac terra vivimus, enavigare debemus.

9) Coloni, agricolae. Sensus: sive divites aut potentes, sive pauperes simus.

10) Sententia: vana adeo est omnis hominum vitae valetudinisque tuendae cura ac sollicitudo, cum mors certissima nobis impendeat.

11) Cruento Marte carebimus, id est: frustra abstinebimus a bello, et a navigatione naufragii metu. Pro mari procelloso positi sunt fluctus Hadriae, maris Hadriatici fracti, ad scopulos adlisi, et inde relabentes, unde raucum illud murmur.

12) Sensus: frustra cavemus, ne corpus morbo tentetur.

13) Auster, ventus meridionalis, qui tempore auctumni humido calore, praecipue in Italiae regionibus, morbos et febres adferre solet, propterea dicitur a poëta nocens seu noxius, infestus valetudini corporis.

14) Sententia generalis: mortem enim nequaquam effugiemus, descendendum aliquando ad loca infera. Designat ea poëta per Cocytum, regio-

Cocytus errans, et Danai [15]) genus
Infame, damnatusque longi
Sisyphus [16]) Aeolides laboris.
Linquenda [17]) tellus, et domus, et placens
Uxor; neque harum, quas colis, arborum
Te, praeter invisas cupressos [18]),
Ulla brevem [19]) dominum sequetur.
Absumet haeres Caecuba [20]) dignior [21])
Servata centum clavibus; et mero
Tinget [22]) pavimentum, superbis [23])
Pontificum potiore [24]) coenis.

---

nis inferae fluvium segniter fluentem, per Danaides et Sisyphum, atque hos quidem, in scelerata sede, seu Tartaro a poëtis collocatos, memorat, totamque regionem inferam intelligi vult.

15) Danaides, filiae Danai, quae, quod suos sponsos, Aegypti patrui sui filios, interemissent, ea damnatae poena sunt, ut aquam immittant in dolium pertusum; propterea harum genus dicitur infame, diffamatum scelerum portentis. Danaus et Aegyptus fratres fuere, Beli regis Aegypti filii. Danao erant 50 filiae, Aegypto filii totidem, qui filias Danai duxerunt, et ab iis omnes prima nuptiarum nocte sunt caesi, praeter Lynceum, cui pepercit Hypermnestra.

16) Sisyphus, Aeoli filius, latrociniis infamis; ob hospites, aquis mersos, aut saxo interfectos, in Tartaro saxum ingens in montis verticem propellere cogitur, quod semper sua sponte devolvitur, longo labore, et irrito.

17) Eadem fere sententia, aliis tantum coloribus adumbrata: omnibus iis, quae in hac vita jucunda fuere, aliquando carendum; omnia tibi erunt relinquenda.

18) Cupressini rami figebantur prae foribus ejus domus, in qua quis diem obiisset; eodem ligno cadavera cremabantur. Caesa cupressus non revirescit amplius, aut repullulat: ita mortuus homo non revirescit. Hinc adhibita haec arbor in funeribus, et invisa dicitur a poëta, quatenus omnia, quae ad mortem et res inferas spectant, invisa sunt.

19) Brevem, id est: brevi tempore viventem.

20) Caecuba vina sunt generosa in Campania.

21) Dignior, te scilicet, qui utatur bonis, quibus tu male parcis, quasve centum clavibus adservas.

22) Tinget: effundet in pavimentum, et disperdet.

23) Superbis: magnificis, splendidis.

24) Potiore, id est: praestantiore vino, quam quod in coenis pontificum adponitur. Salios intelligit sacerdotes, qui laute admodum, certis praesertim diebus, epulabantur. Vide L. I. od. 30. not. 15.

Ode XII.

In sui aevi luxuriam.

Occasio et argumentum.

Invehitur hoc carmine Horatius in profusissimam privatorum hominum, aedificiis splendidis, villarumque insanis structuris, tum hortis, piscinis ac vivariis, solius amoenitatis ac voluptatis gratia, immensos sumtus impendentium luxuriam, laudatque e contrario priscam veterum Romanorum frugalitatem, severamque continentiam, qui modicis privatis opibus contenti, omnia sua in publicam utilitatem contulerint.

Metrum praecedentis carminis.

Jam [1]) pauca aratro jugera regiae [2])
Moles relinquent; undique [3]) latius
Extenta visentur Lucrino [4])
Stagna lacu; platanusque caelebs
Evincet [5]) ulmos; tum [6]) violaria, et

---

1) Initio statim carminis erumpit liberrima poëtae indignatio per sententias breves, nulloque nexu adpositas. Sentensia: jam procedente sic luxuria fieri non potest, quin brevi agri arationi defuturi sint, propter immanem hominum in aedificiis exstruendis insaniam.

2) Regiae moles sunt aedificia regali luxu educta, sumtuosa, splendida.

3) Alterum luxus genus, quod villis exornandis, gulaeque inserviret, erant piscinae, quae vel injectis mari molibus, si villa litori praetenderetur, vel mari in terras recepto, ac vel per montes suffossos ducto, in continenti in hunc finem adornabantur, ut exquisitorum marinorum piscium quovis tempore suppeteret copia. Sensus: haec stagna passim per totam Italiam cernere licebit et quidem latius, id est, magis extenta, ampliora, quam Lucrinus lacus.

4) Lucrinus lacus erat prope Bajas juxta lacum Avernum; illum autem Augustus publici commodi causa, magnis sumtibus, cum hoc et ipso mari conjunxit, unde portus Julius vocatus est.

5) Evincet: loco cedere coget, honore ac numero superabit ulmos. Jam cum ulmi, populi etc. ad quas vites ducerentur, ita vel in pedestri sermone dicerentur maritari, docte poëta platanum coelibem dixit, cui vitis non adhaereret, et quae vitibus jungendis apta non est, propter densas ramorum umbras. Hoc unico igitur epitheto declaratur: omnem hominum curam a vitibus ad platanos conserendas mox traductum iri, platanos brevi agros vitibus consitos occupaturas esse, quae utpote opacitati et umbrae magis inserviunt.

6) Sensus: spargent, diffundent in olivetis odorem, pro: occubabunt agros, qui olivis consiti fuerant; ubi oliveta fuerant, unde utilitates redundarent in priorem dominum, ibi erunt violaria, myrteta, et omnis copia narium, id est: flores omnis generis suaveolentes.

Myrtus, et omnis copia narium,
Spargent olivetis odorem,
Fertilibus domino priori:
Tum [7]) spissa ramis laurea fervidos
Excludet ictus. Non ita Romuli [8])
Praescriptum [9]), et intonsi Catonis
Auspiciis [10]), veterumque norma [11]).
Privatus [12]) illis census erat brevis,
Commune magnum: nulla [13]) decempedis [14])
Metata privatis opacam
Porticus excipiebat Arcton [15]):
Nec [16]) fortuitum [17]) spernere cespitem

7) Sensus: ubique laureta conserentur, quae opacas et amoenas deambulationes praebeant, et pro hoc: in quibus laurus spissa ramis seu densis ramis fervidos solis ictus, hoc est, radios excludat, arceat, amoenamque umbram spargat.

8) Ordo sententiarum: ac in hoc quidem quantum ab institutis Majorum discessimus. Alia sane exempla nobis majores nostri reliquere.

9) Praescriptum, id est: institutum.

10) Auspiciis, legibus scilicet, quae, captis prius auspiciis, ferebantur; auspex enim is dicebatur cujus ductu et auctoritate fiebat aliquid.

11) Norma, id est: vitae usus et ratio, quae nobis vivendi norma et regula esse debet. Notum autem est: Romulum in fundatione Romae, legibus institutis, nonnisi dua jugera cuilibet civi Romano adsignasse, et Catonem majorem labentem disciplinam veterem, luxuque diffluentem civitatem, morum atque censurae asperitate continere conatum esse, prodita hac ejus antiquae disciplinae severitate etiam corporis habitu, barbaque intonsa; unde intonsus adpellatur.

12) Sententia: quorum census, seu divitiae et opes privatae, res familiaris cujusque brevis, angusta, exigua erat; commune contra, quod ad omnes pertineret, opes Reipublicae magnae, immensae.

13) Sensus: domus privatae non magnifice exstructae erant, aut splendide exornatae.

14) Decempeda est pertica seu mensura 10 pedum. Vocat illas privatas, quasi diceret: non habebant privati, ut nunc fit, porticus oppositas Septemtrioni, quae patebant versus Septemtrionem et clausa erant versus Meridiem, et decempedis metatas, id est, amplas.

15) Arcton significat proprie ursam, signum septentrionale. In hoc vero loco significat ventum frigidum a Septemtrione et Arcto flantem, quo aestivi calores lenirentur, et cui obversa erat porticus, ut exciperet auram frigidam. Opaca Arctos, pro: unde non adlucet sol, unde umbra est.

16) Sensus: majores enim nostri privatim frugalitatis continentiaeque maxime rationem habebant; quae autem, ad dignitatem et majestatem imperii tuendam, vim haberent, ea, ut quam splendidissime adpararentur, sedulo curabant.

17) Fortuitum, id est, obvium, parabilem, vilem, oppositum materiae,

Leges sinebant, oppida [18]) publico
Sumtu jubentes, et Deorum
Templa novo decorare saxo.

Ode XIII.

Ad Pompejum Grosphum.

Occasio et argumentum.

De Pompejo Grospho vide argumentum Lib. II. od. 5. Sententiarum hujus carminis sequens progressio est: Omnes quidem otium tam corporis, quam animi tranquillitatem, vitam adeo curis molestiisque vacuam exoptant, sed non veram viam, qua ad eam pervenitur, ingrediuntur. Honorum, divitiarumque, quae eam efficere somniant, inexplebili cupiditate laborant, nec intelligunt, animum ita curis, corpus autem laboribus continuo fatigari, quibus tamen se levatos quam maxime cupiant. Imo vero tranquillitatis verae unice capax est animus sorte sua qualicunque contentus, in quo tanto lubentius adquiescit, quum recordetur, nullius hominis conditionem ab omni parte beatam esse posse, et huic bonum aliquod contingere, quo alteri carendum sit; eidemque contra negari, quod alteri obtigerit. Illustrat hoc poëta Tithoni et Achillis, tum etiam suo et Grosphi exemplo.

Metrum, quod L. I. carm. 2.

Otium [1]) Divos rogat in patenti

quae magna cum difficultate atque impensa conquiritur. Leges ergo jubebant adhiberi et praeferri sumtuosis lectis, ac sedilibus cespitem vilem, id est, humum nudam et gramineam, in qua sederent et dormirent.

18) Oppida, id est, urbem jubebant eaedem leges, publico sumtu factis aedificiis, exornari; et templa Deorum decorari ac exstrui saxis, quo decor, splendor iis accederet; novis, quorum nempe usus minus frequens esset, quae privatis aedibus non adhiberentur; intellige marmor.

---

1) Ordo sententiarum: unus quisque otium, hoc est: vitam tranquillam curisque vacuam maximo studio expetit. Quam cum in divitiarum honorumque splendore publica hominum reponat persuasio, congerendis, comparandisque istis omnes vel cum vitae periculo operam navant maximam. Enimvero haecce ne utiquam praestant vitae tranquillitatem etc. Contentiones vero ac studia hominum, quibus se otium obtenturos sperant, specialibus picturis adumbrat poëta.

Prensus [2]) Aegaeo, simul [3]) ātra nubes
Condidit Lunam, neque certa [4]) fulgent
Sidera nautis:
Otium [5]) bello furiosa Thrace,
Otium Medi [6]) pharetra decori,
Grosphe, non gemmis, neque purpura ve-
Nale [7]), nec auro.
Non [8]) enim Gazae [9]), neque consularis
Submovet lictor [10]) miseros tumultus [11])
Mentis, et Curas laqueata [12]) circum
Tecta volantes.
Vivitur [13]) parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum [14]);

2) Nauta seu mercator prensus, deprehensus tempestate in medio, altissimo mari. Aegaeum, utpote procellosissimum, pro quocunque mari positum est. Patenti, id est: ubi latissime patet, alto, ubi nullum refugium est.

3) Simul, id est: simul atque, vel postquam.

4) Certa sidera, quae cursum navigantium certo regere possint, quae certo et constanter adpareant.

5) Otium, subaudi: rogat Deos. Thrace, idem, ac Thracia, Europae regio supra Graeciam et Aegaeum mare sita, belli artibus clara; propterea furiosi, bellicosi Thraces dicuntur.

6) Medi prope Persidem habitabant in Asia; pharetra decori, id est, sagittiferi, qui semper in armis sunt, propter crebras ipsorum, seu Parthorum, in fines Romanorum incursiones ac bella, et cum his, et cum finitimis gesta. Sensus: etsi lubenter Thraces bello detineantur, et Medi in armis vitam tegant, tamen aliquando otium, quietem praeoptant.

7) Non venale: enimvero illud otium nullis opibus, neque gemmis nec auro etc. redimas, obtineas.

8) Sententia prior amplificata: nam divitiis atque honoribus animi curae non cedunt, imo iis augentur.

9) Gazae idem, ac opes, proprie enim haec vox significat Persarum Thesauros.

10) Lictor, publicus minister, qui Magistratibus praeibat, ac fasces praeferebat. Vide Antiquit. Illius munus erat, populum submovere, ut eunti Consuli via pateret, tumultum cohiberet etc. Lictor stat hic pro honoribus.

11) Miseros tumultus, id est, perturbationes animi submovet, abigit.

12) Laqueata tecta: idem ac lacunar, seu laquear, tectum triclinii tignis transversis in quadratas degressiones seu loculamenta divisum, quae auro, coloribus, picturis illustrabantur. Magnus in hoc genere etiam luxus erat divitum.

13) Sensus: is demum bene, beate ac tranquille vitam degit, qui sorte sua, etsi mediocri, vel adeo tenui, contentus est, quem nulla augendae rei cupiditas vexat. Et pro hoc dicit poëta: vivitur ab illo bene, seu beate, cui est salinum paternum mundum et nitidum in tenui et frugali mensa.

14) Salinum: vasculum salis. In mensis veterum praecipua quadam religione sal adponebatur, et sacer esse putabatur. Deinde victus tenuis sale significatur; pauperes enim salem pro obsonio lingebant. Splendet, autem designat hominem ita frugalem, ut sordidus et immundus non sit.

Nec leves somnos Timor [15]), aut Cupido
Sordidus aufert.
Quid [16]) brevi fortes jaculamur aevo
Multa? quid [17]) terras alio calentes
Sole mutamus? Patriae [18]) quis exsul
Se quoque fugit?
Scandit [19]) aeratas [20]) vitiosa naves
Cura; nec turmas [21]) equitum relinquit,
Ocior cervis, et agente nimbos
Ocior Euro [22]).
Laetus [23]) in praesens animus, quod ultra est,
Oderit curare, et amara lento

15) Timor aut Cupido sordidus, id est: avaritia, quae metu turbatur, ne bonis exuatur, et augendarum rerum cupiditate insatiabili tenetur; quae divitis avari animum misere torquent, sordidum reddunt et coinquinant, ejusque somnum turbant.

16) Sententia: cur fortes, id est: tanto cum nisu, tantopere jaculamur, adpetimus multa; cur magnis consiliis tanta cum intentione imminemus; cur cogitationes nostras, augendarumque opum studium longe ultra vitae nostrae terminum extendimus, quasi in aeternum victuri simus; cum tamen brevi aevo vivamus, brevissima nostra sit vita?

17) Sensus: cur quaestus et lucri causa migramus in longinquas oras, calidiores aut frigidiores, ubi sol proinde alius videtur esse, atque est in patria nostra, quam relinquimus?

18) Patriae quis etc. Enimvero is, qui patriam fugit, relinquit, alias aditurus regiones, num se quoque fugit? hoc est: is animi sui aegritudinem ubique secum fert, curae cum isto peregrinantur.

19) Amplificatur jam specialibus picturis sententia: hominem animo aegrum itinera, terra marive animi recreandi causa suscepta, non levant: ejus aegritudinem neutiquam minuunt aut tollunt.

20) Aeratas naves scandit, id est: conscendit cum domino vitiosa, morbosa, aegrota cura aeratas naves; rostra enim navium, seu prorae, et anteriores partes aere et ferro muniebantur.

21) Turmas equitum, id est: non relinquit, continuo sequitur numerosum comitatum equestrem hominis divitis, terra iter facientis.

22) Eurus est ventus ab Oriente flans, qui creber procellis nubes ante se propellit maxima cum celeritate.

23) Animus e contra ab omni cupiditate liber, ac laetus in praesens, id est: praesenti, quod vivendum datur, hilariter fruens, oderit curare, id est: ne curet, quod ultra est, quod nondum attigimus; ne sollicitus sit de futuro, et amara, id est: adversa, acerba, injucunda temperet, comprimat, levet risu lento, moderato; ne succumbat, malis, aut iis nimium contristetur.

Temperet risu. Nihil [24]) est ab omni
Parte beatum.
Abstulit [25]) clarum cita mors Achillem [26]),
Longa Tithonum [27]) minuit senectus;
Et mihi forsan, tibi quod negarit,
Porriget hora [28]).
Te greges [29]) centum, Siculaeque [30]) circum
Mugiunt vaccae; tibi [31]) tollit hinnitum
Apta quadrigis equa; te bis Afro
Murice [32]) tinctae
Vestiunt lanae; mihi [33]) parva rura [34]), et

24) Nihil, id est: nemo.

25) Ultimam sententitiam insignibus horoicae ac mythicae aetatis exemplis illustrat poëta.

26) Achilles heros Graecorum fortissimus, filius Pelei, regis Thessaliae, et Thetidis, occisus est fraudulenter a Paride Trojae in templo Apollinis, quo venerat sub induciis, ut duceret Polyxenam filiam Priami. Fuit autem invulnerabilis praeterquam in parte pedis, qua Thetis eum puerum tenuit, dum ejus rei gratia ipsum aqua Stygia immersit. Cita mors, designat mortem in ipso flore aetatis. Contigit ergo illi maxima nominis gloria cum brevissima vita. Vide Iliad.

27) Tithonus, Aurorae maritus, cui cum vitam longissimam, imo ipsam immortalitatem uxor a Jove exorasset, gravi et molesta senectute confectus est, ita, ut exsiccato corpore, membrisque contractis, ab eodem Jove petierit, ut in cicadam mutaretur. Vide L. I. od. 23. not. 10. Huic ergo vita longa, sed decrepito, contigit.

28) Hora, id est: occasio, tempus. Sensus: etiam alterutri nostrum, casu aliquid obvenire potest, quod alter ardentissimis votis frustra obtinere studeat. Modeste hic Horatius se ab omni cupiditate liberum, quaeque sibi fortuna largiatur sumentem, Grosphum contra in maximis divitiis ulterioribus desideriis laborantem ostendit.

29) Jam, quo uterque beatus esset, quae diversa uterque bona nactus esset, perspicuitatis causa subnectit poëta: tu in summa omnium opum adfluentia vivis; ego vero pauper, at, quo me beatissimum praedico, facultate aliqua poëtica polleo.

30) Siculae vaccae, id est: pingues, quia in Sicilia erant laeta pascua, vel quia Grosphus ipse agros in Sicilia habebat.

31) Tibi tollit hinnitum, id est: tu habes, possides armenta equorum. Et pro hoc: in tuum commodum edit hinnitum equa idonea, quae adhibeatur in certamine curuli quadrigis juncta.

32) Murice: pisciculo, e genere concharum, cujus e sanguine fit purpureus color, qui ut esset vividior et diuturnior, bis eo lanae tingebantur. In Africae autem litore murices optimi capiebantur, ut in Tyrio.

33) Sensus: ego tales opes non habeo, sed alia mihi obtigerunt, quibus beatus sim.

34) Rura, id est: villam parvam in Sabino.

Spiritum [35]) Grajae tenuem Camenae
Parca non mendax [36]) dedit, et malignum [37])
Spernere vulgus.

Ode XIV.

Ad C. Cilnium Maecenatem.

Occasio et argumentum.

De Maecenate vide Lib. I. od. 1. not. 1. Hunc itaque, quem adversa valetudo, qua saepius, maxime per extremos vitae annos, tentatum fuisse constat, misere excruciaret, mortisque instantis metu plane conficeret, Horatius hoc carmine ab hac cogitatione abducere, vitaeque longioris spe erigere conatur hoc modo: Dii omnino nolunt, ut tu prius obeas, imo, ut eodem uterque die moriamur, volunt. De quo minime dubitandum videtur, quum simillima utriusque nostrum fata fuerint, adeo quidem, ut nobis unam eandemque genesin obtigisse plane persuasus sim; e quo ipso necessario sequitur alterum hoc, nobis eundem vitae terminum a fatis constitutum esse. Praeclare vero poëta in fine simile utriusque mortis periculum, e quo servati fuerint, commemorat, quo animum ejus a moerore abduceret, novaque recuperandae valetudinis spe erigeret.

Metrum, quale Lib. I. carm. 8.

Cur [1]) me querelis exanimas tuis?

35) Spiritum: ingenium ad lyricos versus, Graecorum exemplo, faciendos. Alcaeus enim et alii, quos imitatus est Horatius, Graeci erant. Ordo sententiarum: parca mihi dedit parva rura, et spiritum exiguum Graecae Camoenae. Eadem mihi dedit, spernere vulgus, hoc est: hanc mihi facultatem et laudem tribuit, ut a vulgo dissentiam, ejus de me opinionem spernam.

36) Non mendax: verax, cujus decreta sunt immutabilia.

37) Malignum, id est, invidum. Sensus: constituit me superiorem invidia, maximam mihi e poësi lyrica famam conciliavit.

---

1) Initio statim carminis tenerrimus amoris, quo adversus Maecenatis valetudinem molliuscule ferebatur Horatius, erumpit adfectus: cur me exanimas, occidis, hoc est: excrucias, angis querelis tuis, subintellige: de morte tibi instante. Sensus: Vanae istae tuae sunt querelae, quod morti proximus sis.

Nec Dis amicum [2]) est, nec mihi, te prius
Obire, Maecenas, mearum
Grande decus [3]) columenque rerum.
Ah! te meae si partem [4]) animae rapit
Maturior [5]) vis, quid [6]) moror altera?
Nec carus [7]) aeque, nec superstes [8])
Integer. Ille [9]) dies utramque
Ducet ruinam. Non [10]) ego perfidum
Dixi sacramentum: ibimus, ibimus,
Utcunque [11]) praecedes, supremum [12])
Carpere iter comites parati.
Me [13]) nec Chimaerae [14]) spiritus [15]) igneae,
Nec, si resurgat [17]), centimanus Gyges [16]),
Divellet [18]) unquam. Sic potenti

2) Amicum est, id est: gratum est.

3) Decus columenque mearum rerum: in quo omnes meae res ac fortunae repositae sunt, quo adeo mortuo, nihil amplius est, cur vitam expetendam existimem. Vide etiam L. I. od. 1. not. 2.

4) Partem animae, sicut Virgilium L. I. od. 3. Animae dimidium vocat.

5) Vis maturior: mors maturior te, quam me, rapiat.

6) Quid etc. sensus: nec ego sine te diutius vivere potero, quia tu es vitae meae decus et praesidium.

7) Nec carus, id est: cum non aeque ac antea, quamdiu tu, pars mei melior, superesses, carus mihi futurus sim, vitam non amplius jucundam ducam.

8) Superstes integer; amissa scilicet altera animae parte.

9) Ille dies, quo tu morieris, utriusque nostrum ruinam, seu casum ducet; uterque eodem die occumbemus, moriemur.

10) Non ego etc. Jurejurando me obstrinxi, sancte juravi tibi, adeoque non perfide, me nunquam te deserturum, nos una ituros ad tumulum.

11) Utcunque: statim, simul ac praecedes, sequar te, pro quo poëta iteratum, ibimus, ponit.

12) Supremum iter, ad inferos scilicet, carpere, id est: facere simul parati sumus, pro: paratus sum una tecum mori.

13) Sententia: nullis terriculis, ne horrendis quidem Tartari monstris, in hoc itinere objectis, me a te divelli patiar, constanter tibi adhaerebo.

14) Chimaera, mons in Lycia Asiae minoris, fumum et flammam eructans quandoque. De hoc fabulantur poëtae, quod sit monstrum capite leonino, caprino ventre et cauda draconis. Ignea dicitur, quia ignem vomere fingitur hoc monstrum.

15) Spiritus, halitus, flatus.

16) Gyges. Unus e Gigantibus, quem centum habuisse manus fingunt poëtae.

17) Si resurgat; nam jacebant Gigantes prostrati in Tartaro.

18) Divellet: a te separabit.

Justitiae placitumque [19]) Parcis.
Seu [20]) Libra [21]), seu me Scorpius [22]) adspicit [23])
Formidolosus, pars [24]) violentior
Natalis horae, seu tyrannus
Hesperiae Capricornus [25]) undae;
Utrumque [26]) nostrum incredibili modo
Consentit astrum. Te Jovis [27]) impio

19) Sic placitum, id est: constitutum est a Justitia, tamquam Dea, potente, cujus decreta, ut Parcarum, immutabilia sunt. De Parcis vide Myth. Sensus prosaicus: ita jus fasque est pro nostra amicitia; quod ipsum fata decreverunt.

20) Sensus: ac de hoc, quin scilicet uno eodemque tempore morituri simus, dubitationem plane eximit casuum atque eventorum, quae utrique nostrum acciderunt, similitudo; cujus quidem causas in consensu sideris nostri natalitii latere existimo. Jam cum inde mortis etiam tempus definirent genethliaci, facile intelligitur, quantam ista ad Maecenatis animum, huic superstitioni alligatum, vim habere debuerit argumentandi ratio. Et pro vulgari: quodcunque sidus fuerit, sub quo natus sum etc. ponit poëta enumerationem siderum.

21) Libra est 7mum signum in zodiaco.

22) Scorpius 8vum, formidolosus, metuendus, gravis; quia scorpius, qua animal, noxiam valde habet naturam, ideo sidus etiam noxium habebatur.

23) Adspicit, id est: mihi nascenti praefuit.

24) Pars natalis horae: vide argumentum odae 10. L. I. In nativitate hominis plures stellae observabantur, earumque intervalla, quibus tum inter se, tum ab astro primario, id est, eo, quod momento nativitatis oriebatur, distabant. Jam quum Scorpius in noxiis haberetur, sidus autem, quod in ipsa natali hora emergeret, ceteris efficacius putaretur, docte poëta Scorpii sidus natalitium partem adpellat violentiorem, quae vim reliquorum, quae genesin efficiunt, beneficam frangit ac hebetat.

25) Capricornus signum 10um zodiaci. Putant astrologi capricornum occidentali terrarum parti maxime dominari, vimque in ea suam inprimis exercere, tempestates excitando etc. unde dicitur hic tyrannus maris Hesperii, id est, occidentalis, ab Hespero, stella vespertina.

26) Sensus: quodcunque tandem sidus fuerit, quaecunque in hora mea natali conjunctio siderum; ea certe tuae genesi simillima fuerit, necesse est; quando quidem par fere fatum uterque habuimus, et in discrimen mortis adducti, et inde servati. Ceterum Maecenatis genesin non plane suam facit Horatius; sed eam diversae tantum potestatis, tam noxiae quam salutaris, stellis similiter ita temperatam fuisse contendit, ut salutares noxiis praevalerent, vimque harum retunderent.

27) In Maecenatis genitura praesidebat Saturni sidus impium, pestiferum, exitiosum, grave, cujus tamen vis Jovis stellae radiationibus mitigabatur. Jovis igitur tutela, sidus tutelare, salutare refulgens, ex adverso radians, id est, opposita Saturni stellae, eripuit, subtraxit te Saturno impio, periculo a Saturni sidere pernicioso imminenti.

Tutela Saturno refulgens
Eripuit, volucrisque [28]) Fati
Tardavit alas, quum populus frequens
Laetum theatris ter crepuit sonum:
Me truncus [29]) illapsus cerebro
Sustulerat [30]), nisi Faunus [31]) ictum
Dextra levasset, Mercurialium [32])
Custos virorum. Reddere [33]) victimas
Aedemque votivam memento:
Nos humilem [34]) feriemus agnam.

Ode XV.

Ad avarum.

Argumentum.

Suo ipsius exemplo hoc carmine ostendit Horatius, quam vere beatus is sit, qui ab omni cupiditate liber mediocri sorte sua contentus vivit; ridetque contra atque exagitat insanas atque improbas divitum saeculi sui cupiditates, a quibus explendis ne mortis quidem ipsius instantis cogitatione absterreantur, atque abstrahantur.

---

28) Sensus: teque a praesentissimo vitae periculo liberavit. Pro hoc poëta: Jupiter tardavit, inhibuit, alas Fati volucris, Fatum impetuose in te involans, irruens; quod accidit tunc, quum, seu, quo die primum, recuperata valetudine, populus te in theatro adfuturum audierat, frequens, magna ideo frequentia in theatris congregatus ter crepuit sonum, id est: quo laetitiam suam ob receptam sanitatem testatam faceret.

29) Vide od. 10am hujus libri.

30) Sustulerat: sine dubio occidisset.

31) Horatius suam salutem ita Fauno tribuit, ut astrorum vi benigna factum esse velit, quod servatus a Fauno fuerit: quemadmodum Maecenatis valetudinem, medicorum ac remediorum ope quaesitam, Jovi tribuit. Mentionem porro Fauni facit, quia est Deus ruris, et casus ille arboris contigit ruri.

32) Mercuriales viri sunt eruditi, qui sunt in tutela Mercurii, eloquentiae praesidis; atque inter hos etiam poëtae numerantur. Potest autem Faunus eatenus custos poëtarum haberi, quod in Bacchi comitatum adlectus sit, cui se libenter adjungunt poëtae, recessus nemorum petentes.

33) Sensus: quare memento reddere, persolvere victimas et templum, voto, si convalesceres, promissum; quod autem ad victimas etiam referendum est.

34) Ego tenuem victimam, meis fortunis congruentem, agnam nempe immolabo; haec enim Fauno immolari solita erat.

Metrum choreum.

– ⏑ | – ⏑ | – ⏑ | –
⏑ – | ⏑ – | ⏑ – | ⏑ – | ⏑ –

Non [1]) ebur, neque aureum
Mea renidet [2]) in domo lacunar [3]):
Non trabes Hymettiae [4])
Premunt columnas ultima recisas
Africa [5]); neque [6]) Attali
Ignotus heres regiam occupavi;
Nec [7]) Laconicas [8]) mihi
Trahunt [9]) honestae purpuras clientae [10]).
At fides [11]), et ingenî
Benigna [12]) vena est; pauperemque dives

---

1) Sententia vulgaris: pauper ego sum, et in hac paupertate mihi admodum placeo; divitias neque possideo, neque desidero. In domo mea nihil pretiosum, quod oculos perstringat, neque eboris neque ulla auri lamina, conspicitur, est.

2) Renidet, id est: splendet, fulget.

3) Lacunar, idem, quod laquear. Vide hujus Libr. odam 13. not. 12.

4) Hymettiae, id est: recisae in monte Hymetto Atticae trabes; hoc loco, superiores columnae partes, epistylium et coronam, trabeationem etiam simpliciter dictam, complectuntur. Erant eae fere ligneae, auro, et animalium maxime sculpturis, aliisque modis condecoratae; sed et lapideas ac marmoreas eas fuisse constat.

5) Africa seu Numidia ultima, id est: remota. Nobilissimum autem marmor Numidicum, pavimentis maxime et columnis ob duritiem a veteribus adhibitum.

6) Sensus: neque facultates, quales Attalus Pergamenorum rex reliquit, hoc est, immensas, amplissimas possideo. Pro maximis opibus autem posuit poëta, regiam Attali, regias opes Attali; has occupat, invadit, sibi vindicat heres ignotus, id est: non suus, non legitimus seu institutus; sed alienus, artibus malis nactus haereditatem. De Attalo vide adhuc lib. I. od. 1. not. 12.

7) Sententia: nec purpureis vestibus, stragulis utor.

8) Laconicas, id est: vestes tinctas murice ad Laconiae oram capi solito, qui utpote nobilioris generis erat.

9) Trahunt, ducunt fila lanea, nent lanam purpura tinctam.

10) Clientae honestae, seu, nobiles; quo enim nobiliores quis habuerat clientes, eo magis honori ipsi cedebat; erat autem clientium, praecipue feminarum, tales labores pro patrono perficere, uti: nere, acu pingere, fila ducere etc. Vide Antiquit.

11) Mihi e contra est; ego possideo fidem, quae hic sumi potest pro animi integritate.

12) Benigna vena ingenii, id est: ingenium fertile, facultatem poëticam fecundam.

Me petit [13]); nihil supra
Deos lacesso [14]); nec potentem amicum [15])
Largiora flagito,
Satis beatus [16]) unicis Sabinis.
Truditur [17]) dies [18]) die,
Novaeque pergunt interire Lunae [19]):
Tu secanda [20]) marmora
Locas sub ipsum funus; et sepulcri
Immemor, struis domos;
Marisque [21]) Bajis obstrepentis urges
Submovere litora,
Parum locuples [22]) continente ripa.
Quid [23]) ? quod usque proximos

13) Petit: etsi pauper sim, tamen divites, maximi in republica viri meam amicitiam ultro expetunt; iis placeo facultate mea poëtica.

14) Lacesso: a Diis praeterea nihil expeto, nihil ulterius concupisco.

15) Potentem amicum, id est: Maecenatem non flagito, ut mihi amplius quidquam largiatur.

16) Satis beatus: Satis contentus villa mea in agro Sabino, quam Maecenati in acceptis refero.

17) Nexus sententiarum: equidem in parva mea fortuna lubentissime adquiesco, de eaque amplianda tanto minus animum subit cogitatio; quo angustius vitae tempus est, quo frui ea licet. Quam stulte igitur faciunt ii, qui in tam praecipiti temporis fuga, tamque certa adeo vitae brevitate novas usque spes inchoant; qui, lineis admoti, de aedificiis quam splendidissime exstruendis exornandisque, quae ne intraturi quidem sunt, unice cogitant ac laborant. Quam insanos, quam flagitiose perditos putas eos, qui insatiabili augendarum rerum cupiditate ducti, nullum rapacitati suae modum figunt? scilicet ut tanto majores opes sint, quibus aliquando exuantur.

18) Dies diem trudit, expellit; dies decedit, alio ipsi succedente.

19) Lunae novae: luna continuo crescit ac decrescit, lunae pergunt novae fieri, atque interire.

20) Tu secanda: tu, quisquis es, sub ipsam mortem, paullo ante obitum, qui tibi imminet, conducis homines, qui secent tibi marmora, struendis novis domibus.

21) Maris obstrepentis etc. Urges, enixe hoc agis, totus in eo es, ut submoveas, longius promoveas, propellas litora maris, Bajas obstrepentis, pro: Bajas adluentis, seu litora sinus Bajani adluentis. Fuit autem hic sinus non procul Neapoli: ibique propter loci amoenitatem aedes multae visebantur, a nobilibus exstructae.

22) Parum locuples: non contentus adhuc, si ripam continentem possideas; sed quo latius possessiones tuas extendas, ipsi mari inaedificas, ipsum mare occupas.

23) Quid? etc. Sensus: tu non tantum mari detrahendo, quod sane

Revellis [24]) agri terminos, et ultra
Limites clientium [25])
Salis [26]) avarus? Pellitur [27]) paternos
In sinu ferens Deos
Et uxor, et vir, sordidosque natos.
Nulla [28]) certior tamen,
Rapacis Orci fine, destinata
Aula divitem manet
Herum. Quid [29]) ultra tendis? Aequa [30]) tellus
Pauperi recluditur
Regumque pueris: nec [31]) satelles [32]) Orci
Callidum Promethea [33])
Revexit auro captus. Hic superbum

absque cujuspiam injuria facis, possessiones tuas dilatas, sed et vicinos pauperum agros scelestissima fraude invadis, occupas.

24) Revellis, moves, effodis proximos agri terminos, id est, proximorum agrorum lapides terminales, effossosque ulterius usque defigis.

25) Clientium: hic sceleris, exarato termino commissi, atrocitas adhuc magis exaggeratur; quod isto clienti a patrona fraus innectatur, quem, in fidem suam receptum, ut omni modo tutaretur, et ab iniquitate hominum prohiberet, injuriaque adfectum vindicaret, lege cautum erat.

26) Salis avarus, id est: transgrederis ultra limites clientium, cupidus agri eorum.

27) Sententiarum nexus: tu eo usque limites clientium coarctas, donec victus inopia sedes suas relinquere cogantur. Et pro hoc poëtice: pellitur a te, clientium et vicinorum agros invadente, vir, una cum uxore, ferentes in sinu, tamquam rem auro pretiosiorem, Deos paternos, Larium et Penatium icunculas, et natos, liberos sordidos, squalidos, utpote parentum ad summam paupertatem redactorum.

28) Nexus: in re quidem admodum incerta, an scilicet aedificia, quae magnificentissimo adparatu moliris, unquam inhabitaturus sis, hoc tamen certissimum habeto, sedes inferas te certo aliquando esse intraturum. Et pro hoc: nulla aula, nullum domicilium, nulla sedes certior, aut certius destinata manet, pro, destinata est; manet divitem herum, vel maximarum possessionum dominum; fine Orci, quam fines, regnum Orci, regio infera rapax, omnia rapiens.

29) Sensus: Quid ulterius, quam mortalem decet, cogitationes tuas extendis, nullumque ideo cupiditatibus tuis modum statuis, tamquam aeternum victurus sis?

30) Enimvero tellus aequa, aeque pauperi regumque pueris, filiis, potentibus recluditur, patet; hoc est: terra tum pauperes tum divites in se recondit.

31) Sensus pedestris: unde nulli, ne ditissimis quidem, reditus datur.

32) Satelles Orci est Charon, inferorum custos ac portitor, atque Plutonis quasi satelles. Myth.

33) Prometheus callidus dicitur, quia caelestem ignem dolo e caelo in

Tantalum [34]), atque Tantali [35])
Genus coërcet; hic [36]) levare functum
Pauperem laboribus
Vocatus, atque non vocatus, audit.

Ode XVI.

Hymnus ad Bacchum.

Argumentum.

Horatius hoc carmine adsequi imitando conatus est Graeca dithyrambici generis carmina. Declarando nempe ab initio, quo ad laudes Baccho dicendas impulsus sit, summo cum enthusiasmo, exponit poëta ex priscorum hymnorum ratione virtutes Dei, ejusque res gestas, easque neglecto fere idoneo nexu, acdumulat, magnificoque spiritu exornat; id quod effrenatioris enthusiasmi naturam mirifice decebat.

Metrum, quale L. I. carm. 8.

Bacchum [1]) in remotis [2]) carmina rupibus
Vidi docentem (credite [3]) posteri!)

terras detulit, inscio Jove; a quo eam ob rem detrusus est ad inferos. Vide Myth. et L. I. od. 3. not. 26.

34) Tantalus prae superbia Deos, quos ad convivium vocaverat, falli a se posse speravit, illisque Pelopem filium suum caesum coctumque adposuit, quapropter apud inferos ita cruciari dicitur, ut ad fluvium stans, et arborem dulcibus pomis onustam ante se videns, semper tamen esuriat et sitiat. Myth.

35) Tantali genus. Atreum, Thyesten et Agamemnonem. Vide L. I. od. 5. not. 11. Coërcet, id est: continet.

36) Hic Charon, vel mors audit levare, id est: audit, ut levet onere suo pauperem, functum laboribus, aerumnas perpessum, vocatus etc. Sensus: adest ad levandos pauperes, et liberandos ab aerumnis, quas perferunt in vita, sive ab iis vocetur, sive non vocetur: cum contra divites ad graviores tantum poenas abripiat invitos, et ab iis profecto non vocatus.

1) Excelsiore spiritu contactus incensusque poëta videtur sibi in abditos silvarum recessus agi, Bacchique ibi cum Maenadibus, Nymphis et Satyris versantis conspectui objici, numine ejus adflari, adeoque discurrere, ipsisque sacris, et quae in iis repraesentarentur, interesse. Sensus vulgaris: vidi Bacchum docentem Nymphas carmina, inter Nymphas et Satyros canentem. Baccho igitur choragi personam induit poëta hoc loco; nam is proprie chorum docet modos carminis, ac motus leges. De Nymphis et Satyris vide Myth.

2) Remotis a frequentia hominum, deviis rupibus.

3) Credite posteri! Egregie haec animum poëtae ostendunt rerum vi-

Nymphasque discentes, et aures
Capripedum Satyrorum acutas [4]).
Evoe [5])! recenti mens [6]) trepidat metu,
Plenoque Bacchi pectore turbidum [7])
Laetatur. Evoe [8])! parce, Liber!
Parce, gravi metuende thyrso [9])!
Fas [10]) pervicaces est mihi Thyadas [11]),
Vinique [12]) fontem, lactis et uberes
Cantare rivos, atque truncis
Lapsa cavis iterare [13]) mella;

sarum admiratione defixum, earundemque imagines tamquam praesentes complexum, adeo quidem, ut de quo ipse, phantasiae vi abreptus, plane persuasus sit, eundem et in aliis sensum ac persuasionem excitari cupiat; id quod animi humani naturae mirifice convenit.

4) Acutas: ad audiendum erectas. Pinguntur Satyri cum auriculis grandioribus, et in acumen desinentibus.

5) Poëtae dithyrambici enthusiasmum, quo ad laudes Bacchi dicendas feruntur, ita efferunt, ut Baccharum insaniam plane suam faciant. Thyrso adeo Bacchi percussi in furorem aguntur, discursitant, Evoe! adclamant, verbo, orgia simulant. Vide L. I. od. 16. not. 13.

6) Mens trepidat; attonita stupet, perturbatur metu recenti, id est: horrore a Deo recens incusso. Trepidat enim et metuit sibi a Baccho poëta, quum furorem accedere sentit.

7) Turbidum: cum perturbatione laetatur mens; laetitia simul atque horrore perfunditur, pectore pleno Bacchi, Baccho pectus insidente.

8) Etsi plenus jam Baccho vates, novis tamen usque furoribus se incendi ac perturbari sentit; hoc adeo, ne iis plane succumbat, deprecatur; totum enim numen vix capere credebatur humana natura. Liber cognomen Bacchi. Sensus: ne thyrsum mihi intentes, ne thyrso impacto graviorem mihi insaniam immittas; haec enim isto effici credita sunt.

9) Thyrsus est hasta pampinis involuta, qua Bacchus armatur.

10) Sententia: Bacchum canam ab ipso excitatus, plenus illo. Fas est virtutes et sacra Bacchi celebrare.

11) Thyadas, Bacchas, Maenadas, pervicaces, indomitas, effrenas, furore correptas.

12) Legitur, Baccharum alia saxum thyrso pulsante, vini fontem manasse; aliis digito terram scalpentibus, copiosum lac prosiluisse; ex thyrsis denique hederaceis mel effluxisse. Cum autem summam ubertatem plures antiquiores populi per vini ac lactis fontes e terra scaturientes, et mellis copiam in terram defluentem, declarent; auream etiam aetatem his fere coloribus a poëtis depingi videas; ut haec imago mox, imprimis ad sacra Bacchica, traducta, in iisque inter Bacchi miracula repraesentata ac celebrata sit: ad haec omnino respexisse Horatius videri potest hoc loco.

13) Iterare, id est: mella lapsa, defluentia in terram e cavis arborum truncis iterare, canere. Iterat enim poëta, quae gesta describit.

Fas [14]) et beatae [15]) conjugis additum
Stellis honorem, tectaque Pentheï [16])
Disjecta non leni ruina,
Thracis et exitium Lycurgi [17]).
Tu flectis [18]) amnes, tu mare barbarum [19]):
Tu separatis uvidus in jugis
Nodo coërces viperino
Bistonidum [20]) sine fraude crines.
Tu [21]), quum parentis regna per arduum
Cohors gigantum scanderet impia,
Rhoetum retorsisti leonis

14) Fas et celebrare honorem, ornamentum, decus, quo Ariadnes conjugis caput redimitum fuerat, id est: coronam ejus auream additam stellis, inter sidera relatam. Erat autem Ariadne filia Minois, cujus ope Theseus evasit e labyrintho Cretensi. Is eam abductam postmodum in insula Naxo destituit; mox a Baccho in uxorem ducta est. Venus ei dedit coronam nuptialem, quam Bacchus novem stellis ornatam caelo imposuit. Unde caeleste sidus, quod corona Gnosiae dicitur.

15) Beatae conjugis, quia uxor Dei fuerat.

16) Pentheus, rex Thebarum, qui cum sacra Bacchi contemneret, a matre ac sorore, ceterisque feminis bacchantibus laceratus est, et ejus regia eversa. Sensus: fas est canere tecta disjecta, prostrata non leni ruina, id est: graviter in terram collapsa.

17) Lycurgus, Thraciae rex, qui, cum videret mores vino corrumpi, vites succidi jusserat; sed furore a Baccho immisso, cum vites se crederet falce amputare, crura sibi succidit.

18) Maximam vim habet subita orationis, ad Bacchum conversae, mutatio. Flectis retro cursus amnium, Hydaspis nimirum et Orontis, quorum prior est in India, hic vero in Syria. Hos enim, thyrso ejus tactos, sicco pede transiisse in Indica expeditione sua, prisca narratio erat.

19) Barbarum, id est: Indicum mare sedas, tranquillum reddis, quod eadem occasione factum fuisse narratur a poëtis.

20) Bistonides sunt Bacchae, a Bistonibus Thraciae populo, ita nominatae; sensus est: tu uvidus, madidus vino, furens vino, adeoque discurrens, versans in separatis, desertis montium jugis, coërces, constringis crines Baccharum nodo viperino, viperis, id est: serpentes implicas Baccharum crinibus sine fraude, sine noxa, impune: vel, ut illis nihil noceant viperae; vel, ut quidam volunt, Bacchi respectu; sine noxa tractas manibus viperas, easque Baccharum crinibus innectis. Pingebantur enim Maenades anguibus coronatae.

21) Sensus: tu, quum cohors Gigantum impia (ob adfectatum regnum caeleste) regnum parentis tui Jovis, caelum scanderet per arduum; quum arduam viam in caelum moliretur, retorsisti, dejecisti, in leonem conversus, Rhoetum Gigantem unguibus et mala, seu maxilla et dentibus leoninis, quibus eum fugasti. De bello Gigantum vide Myth.

Unguibus, horribilique mala;
Quamquam [22]) choreis aptior, et jocis,
Ludoque dictus, non sat idoneus
Pugnae ferebaris; sed idem
Pacis eras, mediusque belli.
Te [23]) vidit insons [24]) Cerberus aureo
Cornu decorum, leniter atterens [25])
Caudam, et recedentis [26]) trilingui
Ore pedes, tetigitque crura.

Ode XVII.

Ad Maecenatem.

Argumentum.

Generoso spiritu hac ode Horatius immortalitatem nominis, facultate poëtica parti, sibi pollicetur certoque auguratur, eamque nova plane ac vividissima imagine ita repraesentat, ut se in cycnum, avem Apollini sacram, transformatum totum terrarum orbem pervolaturum dicat; igitur, ubi inter homines esse desierit, luctus omnino causam non dari, quandoquidem mortalis conditionis plane expers sit.

Metrum praecedentis carm.

Non [1]) usitatâ, non tenui ferar

22) Sententia: sicque te egregium bellatorem ostendisti: quem imbellem ac mollitie diffluentem antea disserebant. Et pro hoc: quamquam choreis aptior dictus etc. id est: quum natus magis ad choreas ducendas, ac serendos jocos, quam ad proelia obeunda et arma tractanda habereris; ideo non sat idoneus pugnae ferebaris: sed idem eras, eundem te esse ostendebas, sive medius esses pacis, sive versareris in pace, seu in bello; utrique aeque commodum te praestabas: in pace remissiorem, choreis indulgentem, luxuque diffluentem, in bello autem strenue pugnantem.

23) Sensus: quin et Tartari monstra submisere se tuo numini, remissa ferocia. Bacchus enim inferos petivit, ut Ariadnen uxorem eriperet inde et liberaret.

24) Insons, id est, innoxius tibi Cerberus vidit te aureo cornu decorum; tribuuntur enim Baccho cornua, antiquissimum roboris atque potentiae symbolum; aurea vero, tamquam Deo.

25) Atterens leniter tibi caudam; adblandiens tibi cauda mota, quod canes blandientes dominis facere solent.

26) Recedentis, id est: quum revertereris ex inferis, in reditu tuo pedes cruraque tua attigit ore trilingui, tribus linguis suis, ore exsertis, itidem blandientium canum instar; licet alias triceps ille Cerberus reditum umbris negaret. De Cerbero vide Myth.

1) Famam alicujus, nominisque celebritatem ad remotiores terras per-

Penna, biformis per liquidum Aethera
Vates: neque in terris morabor
Longius; invidiaque [2]) major
Urbes relinquam. Non ego [3]), pauperum
Sanguis parentum, non ego, quem vocas,
Dilecte, Maecenas, obibo;
Nec Stygia [4]) cohibebor unda.
Jamjam [5]) residunt [6]) cruribus asperae
Pelles; et album mutor in alitem
Superna [7]); nascunturque leves
Per digitos humerosque plumae.
Jam [8]) Daedaleo ocior Icaro
Visam gementis [9]) litora Bospori,

tingentem quum poëtae fere ita efferant, ut eum vel famae alis, vel suismet ipsum levatum pennis totum terrarum orbem volatu lustrantem fingant; Horatius se, cycni assumta forma, omnes terrarum plagas pervolaturum, omnesque populos cantu suo permulsurum generoso spiritu jactat; quo phantasmate simul etiam declarat; unde sibi illa gloria obtigerit. Non usitata, non communi, qualis paucis contigit, id est: ingenti, altissime assurgenti, non tenui, densa, valida penna, pro alis, ego vates biformis, respectu prioris humanae ac novae cycni formae, in quam nondum plane abierat, ferar per liquidum aerem. Sensus vulgaris: ego alte in aerem evolabo.

2) Invidia major: excelsior, cujus gloriae invidia nihil amplius detrahere valeat.

3) Ego, etsi filius, sanguis, pauperum parentum, utpote libertino patre natus, ob humilitatem generis vulgo despectus, non obibo, quem ita compellare soles: Dilecte Horati! Sensus: summam nominis claritatem consequar, in ore omnium ero, quem nunc, libertino patre natum, rodunt.

4) Nec Stygia cohibebor, id est: Stygem non trajiciam, Tartara non videbo. Immortalitatis notio novo colore adumbrata. Styx cohibet seu coërcet manes, ne ad superos regredi possint.

5) Sententia vulgaris: in cycnum enim mutatus pervolabo totum terrarum orbem. Animatur haec imago poëtica vivida metamorphoseos repraesentatione per partes facta.

6) Residunt asperae pelles: pellis aspera fit, residit, adhaerescit. Dum enim crura humana extenuantur, cycni formam exilem induunt, necesse est, ut cutis subsidat ossibus propius admoveatur, contrahatur, adeoque aspera, rugosa evadat.

7) Superna, id est; superiore parte corporis in albam avem, cycnum mutor.

8) Sententia vulgaris: ad remotissimas terrae oras in cycnum mutatus penetrabo. Et pro hoc: ego Ales canorus ocior, celerior, quam volatus fuit Icari Daedalei, Daedali filii, visam, volando petam litora Bospori, Syrtesque Gaetulas, Hyperboreosque campos.

9) Gementis: ob procellas, quae in eo frequentes excitantur. De Bosphoro vide hujus Lib. od. 10. not. 16. et de Syrtibus Lib. I. od. 19. not. 4. Syrtes Gaetulae, pro: Libycae; ora enim Africae a Gaetulis habitata, omnino pro Africae regione sumitur hic.

Syrtesque Gaetulas canorus
Ales Hyperboreosque [10]) campos.
Me [11]) Colchus [12]), et, qui dissimulat metum
Marsae cohortis, Dacus [13]), et ultimi
Noscent Geloni [14]): me peritus
Discet Hiber [15]), Rhodanique [16]) potor.
Absint [17]) inani [18]) funere naeniae,
Luctusque turpes [19]) et querimoniae:
Compesce [20]) clamorem, ac sepulcri
Mitte [21]) supervacuos honores.

10) Hyperborei erant extremi populi versus Septentrionem, nondum cogniti.

11) Me noscet, id est: ego pertingam volando usque ad etc.

12) Colchus, populus Asiae juxta Pontum, ad quem Jason cum Argonautis navigavit.

13) Dacus dissimulans, celans metum Marsae cohortis, Marsorum tanquam fortissimorum militum in exercitu Romano, ac proinde pro: exercitus Romani. Dacus, Europae populus, qui habitabat in hodierna Bulgaria, Valachia, Moldavia. Metuunt autem Daci Romanos, ab his victi, ac in fines suos repulsi; sed dissimulant hunc metum, armis iterum contra Romanos sumtis, in repellando pervicaces. Marsi denique erant Italiae populi, qui pedestri pugna imprimis valebant.

14) Geloni, Scytharum gens, Istri accola. Ultimi, qui Romanis innotuerant versus Septentrionem, remotissimi.

15) Iber, Hispanus, a fluvio Ibero sic dictus. Peritus: quia jam Horatii tempore aliquam Hispani notitiam e commercio, quod ipsis cum Romanis intercedebat, traxerant, unde periti, exculti artibus. Discet, id est: audiet meum cantum.

16) Rhodani potor: Galliae populus. Rhodanus enim est Galliae fluvius Lugdunensis.

17) Sententia vulgaris: quocirca, ubi inter homines esse desiero, ne lugeas me ut mortuum, Maecenas! Absint, id est: noli tristibus naeniis funus meum prosequi. Naenia enim est cantus lugubris.

18) Inani funere, id est: absint ab inani funere, quando quidem funeri, exequiis corpus deest, in cycnum utpote mutatum. Mihi enim, in cycnum mutato, inutile funus erit, ubi nullum cadaver, nullus mortuus; ero namque immortalis.

19) Turpes: ad pompam autem exequialem pertinent etiam querimoniae et clamor, lamenta et ejulatus in funere instituti; turpes dicuntur ob vestem lugubrem et squalidam; alii autem putant: quia vultum deformant ejusmodi querimoniae.

20) Compesce, reprime, contine clamorem, id est: lamenta.

21) Mitte: omitte honores, ne impertiaris honores sepulcro; ad hos autem pertinebant pompa funebris, naeniae, fletus, rogus etc. vide Antiquitates.

Q. Horatii Flacci
Carmina
Libertertius.
Ode I.
De vera felicitate.

Argumentum.

Ostendit Horatius hac ode popularibus suis: Hominem in re modica constitutum, eaque contentum, utpote, quem nec metus, neque cupiditates tangant, solum recte atque beate vivere; hoc fere sententiarum ordine: Homines, utcumque prae ceteris mortalibus imperii, divitiarum, honorumque amplitudine conspicui, eadem, qua tenues atque infimae sortis, moriendi necessitate tenentur, atque adeo hactenus ne hilum quidem ab his differunt. Tum ne beatos quidem in ista fortuna facile eos dixeris, quando quidem is ipse splendor, quo et sibi ita videntur, et pravo vulgi judicio utique aestimantur, tantum abest, ut vitam suavem atque jucundam efficiat, ut eam potius aegritudine curarumque multiplici aestu involvat, atque plane obruat. Ac in amplissimo quidem honoris constitutos gradu perpetua angi sollicitudine, ne inde dejiciantur; divites autem, praeterquam quod opum continuo jacturam metuant, earundem augendarum cupiditate vexari, voluptatumque, quibus sese immergant, distorqueri fastidio.

Metrum, quod L. I. od. 8.

Odi [1]) profanum [2]) vulgus, et arceo:

1) Mysteria verae felicitatis explicaturus, tamquam ex adytis Musarum, quarum se sacerdotem fert, ab initio statim profatur poëta, adhibitis illis quae in antiquis mysteriis profari mystes solebat, religiosis formulis. Prima nimirum formula excludit profanos, qui philosophiae suae praeceptis et opinionibus intelligendis haud sunt idonei; altera autem silentium imperatur iis, qui non sunt profani, ac proinde digni, ut in adytis Musarum sacris suis intersint. Odi et arceo, id est: procul hinc facessere jubeo profanos.

2) Profani proprie dicuntur, qui a fano et sacris arcendi sunt, non religiosi, non initiati.

Favete [3]) linguis: carmina [4]) non prius
Audita Musarum [5]) sacerdos
Virginibus [6]), puerisque canto.
Regum [7]) timendorum [8]) in proprios greges [9]),
Reges in ipsos imperium [10]) est Jovis,
Clari [11]) Giganteo triumpho,
Cuncta [12]) supercilio moventis.
Est [13]), ut viro vir latius ordinet
Arbusta sulcis; hic [14]) generosior
Descendat in campum petitor;
Moribus hic [15]) meliorque fama

3) Favete linguis: audite cum silentio!

4) Carmina non prius audita: carmen novum singulare, ob nobilissima, quae ejus argumentum faciunt, vitae praecepta, ad quae penitus hauriendа mire sic acuitur ac praeparatur legentis animus.

5) Musarum sacerdos: augusta poëtarum adpellatio.

6) Virginibus etc. id est: canto, praecino virginum atque puerorum choro, tamquam choragus; hujus enim erat praecipere et docere modos ac verba, a choro virginum et puerorum ediscenda atque decantanda.

7) Sententia per sequentes v. v. ita continuatur: homines, quocunque sive potentiae, sive divitiarum, sive denique honorum, ad quos vel nobilitas generis, vel propria ipsos virtus evexit, fastigio atque amplitudine insignes, eadem, quae imae sortis homines, mortalitatis manet conditio; ne splendidissima quidem fortuna quemquam a fati necessitate immunem praestat.

8) Timendorum: auget imperii et potestatis notionem. Sensus: reges, quorum summa potestas est, qui solo Jove minores sunt, qui soli Jovi cedunt potentia; hos tamen ipsos necessitas sortitur etc. Reliqua inter ornamenta poëtica repone.

9) Proprios greges: populos sibi subjectos.

10) Imperium est, id est: imperium exercent reges in subditos, et in illos Jupiter.

11) Clari: qui insignem gloriam retulit gigantibus debellatis.

12) Cuncta, id est, universam rerum naturam commoventis, solo supercilio moto, nutu. Augusta ac plena majestatis imago.

13) Sententia: alius in summa opum abundantia vivat. Hoc, uti et reliqua, quae subjiciuntur, per comparationem poëta extulit: alius alium divitiis antecellat; et pro hoc: viro vir, id est: alius alio agros latiores, majores possideat, in quibus per sulcos et scrobes humi factas arbores ordinet, plantet atque colat.

14) Hic: alter petitor, petiturus summos magistratus, candidatus descendat, prodeat in campum Martium, populique, creandis magistratibus ibi convocati, suffragiis se committat generosior, nobilitate generis fretus, ceteris competitoribus generosa prosapia praestans. Vide Antiquit.

15) Hic: alter ignobili quidem genere ortus, homo novus, at moribus,

Contendat; illi turba clientium
Sit major: aequa [16]) lege Necessitas
Sortitur insignes, et imos;
Omne capax [17]) movet urna nomen.
Destrictus [18]) ensis cui super impia
Cervice [19]) pendet, non Siculae [20]) dapes
Dulcem elaborabunt saporem,
Non avium citharaeque cantus
Somnum reducent. Somnus [21]) agrestium
Lenis virorum non humiles domos
Fastidit [22]), umbrosamque ripam,

sua virtute, et, quam inde consequutus est, fama, bona existimatione melior, praestans, gratiosus apud populum, contendat cum reliquis de suffragiis auferendis seu, de magistratu obtinendo, hoc est: praestet aliis.

16) Necessitas Dea, quae urnam, in quam omnium hominum nomina conjecta sunt, perpetuo movet, sortitur insignes et imos, id est: nomina tum insignium, illustrium, quam imorum, infimae sortis hominum in urna circumagit, aequa moriendi lege cunctis, claris et obscuris, proposita.

17) Capax urna movet, id est, ampla urna, mota circumacta a Necessitate, omnium nomina continet.

18) Sententiarum nexus ita animo informandus videtur: Homines vel amplissimae dignitatis etc. neutiquam morti exemti sunt. Quid? quod ne beatos quidem istos, dum vivunt, in isto fastigio facile dixeris, quandoquidem omnes lautioris splendidiorisque conditionis fructus curis ac sollicitudine, quae illam continuo comitantur plane intercipiuntur; regibus, ne regno; locupletibus, ne divitiis calamitatum aliquo genere exuantur, timentibus.

19) Homini impio, cui ensis vagina destrictus imminet super cervice, quem adeo perpetua animi versat anxietas, illi dapes Siculae vel conquisitissimae epulae non elaborabunt, efficient dulcem, gratum, ac jucundum saporem, insipidae ipsi erunt; neque ullus cantus somnum ipsius adjuvabit, hoc est: omnes huic vitae deliciae insuaves erunt. Respicit hic poëta historiam Damoclis. Erat ille Dionysii, Siciliae tyranni, aulicus et assentator; cujus cum felicitatem, et conditionem praeter modum laudaret; Dionysius, ut eum dedoceret, jussit hominem adcumbere ad regiam mensam, et ut regem tractari; sed supra illius caput ensem nudum, equina seta adpensum, demitti voluit, quo metu Damocles ita exanimatus est, ut ne cibos quidem attigerit.

20) Siculae dapes: exquisitae, magnificae; erant enim Siculi in conviviis lautissimi, ut eorum epulae in proverbium abierint.

21) Sententia: Quanto beatiores contra tenuioris sortis homines, qui neque timent, neque cupiunt quidpiam! quantam animi tranquillitatem sua ipsis praestat innocentia atque continentia!

22) Non fastidit, non spernit, ultra subit somnus levis humiles domos agrestium hominum, umbrosamve ripam aquae leniter strepentis.

Non [23]) Zephyris agitata Tempe.
Desiderantem [24]), quod [25]) satis est, neque
Tumultuosum sollicitat mare,
Nec saevus Arcturi [26]) cadentis
Impetus, aut orientis Haedi:
Non [27]) verberatae grandine vineae,
Fundusve [29]) mendax, arbore [30]) nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hiemes iniquas.
Contracta [31]) pisces aequora sentiunt,

23) Non fastidit Tempe, pro quavis valle amoena, Zephiris agitata, quae Zephyri perflant.

24) Sensus: scilicet is demum beate vivit, cui, quantum satis est, sufficit. Modicis enim facultatibus contentum neque augendi distorquet cupiditas, neque periculorum, quae lucro inhiantibus continuo imminent, conturbat metus. Illustratur hoc divitis Romani, e mercatura et latifundiis questum facientis, exemplo.

25) Quod satis est. Expetentem nihil ultra, quam quae ad vitam commode sustinendam sufficiunt, non angit metus naufragii mercatorem.

26) Arcturus est stella in Boote signo, ursam consequente, quod propterea etiam Arctophilax dicitur. Occidit Arcturus 4. Cal. Nov. Haedus autem est gemina stella in sinistra manu Aurigae, et oriuntur Haedi pridie Non. Oct. vespere. Occidens autem Arcturus et orientes Haedi tempestates excitare crediti sunt a nautis; propterea saevus impetus, id est: furor tempestuosus, procellosus.

27) Sensus: neque ista sollicitudo ejus animum subit, quae latifundiorum dominum continuo premit, ne proventus ex agris calamitate aliqua intercipiatur.

28) Verberatae, pulsatae, fructu decusso.

29) Fundus mendax; ager qui spem domini illudit, destituit, proventu, quem pollicebatur, negato.

30) Arbore culpante: arboribus sterilitatis suae culpam conferentibus modo in aquas et imbres nimios; modo in calores, ab sideribus agros torrentibus, id est, urentibus, profectos; modo in hyemis asperas. Hoc autem arboribus poëta tribuit, ac si essent sensu et intelligentia praeditae.

31) Nexus: neque vero divites ideo beatos dixeris, quod deliciarum atque voluptatum omnium divitiae usum ipsis atque copiam largiantur: etenim quae voluptas sincera esse potest, animo intus tumultuante, atque cupiditatibus districto? Nonne hoc ipso animum inquietum produnt, quod, prioribus in fastidium adductis, novis usque sese immergant deliciarum generibus? Jam, quibus opes suas explicarent, animique aegritudinem et faterentur, et expellere conarentur divites Romani, plura poëta adnumerat genera. Ac primo quidem loco tangit saeculi sui insaniam, villas in mari aedificandi; tum peregrinationes memorat mari terraque recreandi animi causa susceptas; denique, quae orationis variandae causa conclusioni ad-

Jactis [32]) in altum molibus: huc [33]) frequens
Caementa demittit redemtor
Cum famulis, dominusque terrae
Fastidiosus [34]): sed [35]) Timor et Minae [36])
Scandunt eodem, quo dominus; neque [37])
Decedit aerata triremi, et
Post [38]) equitem sedet atra Cura.
Quod [39]) si dolentem nec Phrygius [40]) lapis,
Nec purpurarum [41]) sidere clarior
Delenit [42]) usus, nec Falerna [43])
Vitis, Achaemeniumve costum [44]);

jiciuntur, aedificia splendida, pretiosam supellectilem, atque oblectamenta convivalia.

32) Jactis immensis in altum saxorum molibus, quibus mare excludatur, et regnum piscium coarctetur.

33) Huc, id est: in altum mare redemtor, qui opus faciendum certa mercede conduxit, frequens cum famulis, pro, cum frequentibus, multis servis operariis, demittit caementa, struem lapideam, rudia saxorum fragmenta, informem et minutam materiem, ad explendum istud spatium injectam.

34) Terrae fastidiosus: quem pertaesum est in terra habitare, quem aegritudo terra expellit.

35) Sensus simplex: sed nec hic ipsi contingit esse tranquillo.

36) Timor et Minae: personas cogita, quae terrent animum scelerum conscium, Furiarum instar, scandunt eodem, quo dominus, comitantur eum.

37) Neque, si mari iter, relaxandi animi causa, faciat, Cura, aegritudo decedit ab aerata seu rostrata navi; una cum eo navem conscendit, peregrinatur.

38) Et si equum conscendit, iter voluptuarium facturus, sedet, imminet tergo ejus.

39) Conclusio: itaque si honorum ac divitiarum amplitudo, quasque eae vitae commoditates ac delicias afferunt, tantum abest, ut curas dispellant, ut novis potius animum onerent, et ad majora concupiscenda irritent; cur quaeso meae mediocritatis poeniteat me, quae sola maximum ad bene beateque vivendum momentum efficit?

40) Divitiarum usum specialibus, quas aetas sua ipsi suggerit, notionibus exposuit poëta. Primo loco memoratur Phrygius lapis. Marmor Synnadicum, ad Synnada, Phrygiae oppidum, caesum. Candidum erat, maculisque distinctum purpureis. Declaratur adeo a poëta aedium magnificentia, columnis Phrygiis distinctarum.

41) Purpurarum: purpurae usus sidere clarior, inversa ratione dictum, pro, usus purpurae clarioris sidere, id est, resplendentis.

42) Delenit: dolores et morbos levat dolentis.

43) Falerna vitis: vina agri Falerni Campaniae, adeoque, nobilissima.

44) Costum: unguentum e radice fruticis ejusdem nominis. Aromatis genus.

Cur [45]) invidendis [46]) postibus et novo
Sublime [47]) ritu [48]) moliar [49]) atrium?
Cur [50]) valle permutem Sabina
Divitias operosiores?

Ode II.

Ad Juventutem Romanam.

Occasio et argumentum.

Horatius hoc carmine, tamquam in tabula, priscae Romanorum virtutis imaginem ad vivum delineare voluisse videtur, atque eo quidem consilio, ut populares suos, ab ista veterum norma immane quantum degressos, ad adumbrandam eam exprimendamque exhortaretur, atque incenderet. Exhortatus igitur juventutem Romanam ad pristinam laborum tolerantiam, fortitudinemque bellicam, quibus adversus externos hostes defensetur respublica, ad virtutem commendandam progreditur. Scilicet ut studia cupiditatesque honorum atque ambitiones e civitate, haud raro graviter inde concussa, tolleret; virtutem seu honesti studium, non tam ob externa praemia, quae admodum fortuita sint, quam per se expetendam pronunciat; suam enim ipsimet dignitatem inesse amplissimam, suam esse aeternam nominis famam. Tum qua nullum fortius ad continendam civitatem cogitari potest vinculum, fidem in specie memorat, ad eamque servandam Juventutem Romanam, proposita Deorum vindicta, graviter exhortatur.

Achaemenium, id est: Parthicum, ab Achaemene, Persarum rege, dicitur, quod illud ex India per Parthorum regionem Romam adveheretur.

45) Sensus: cur magnificas aedes exstruam?

46) Invidendis, id est: invidiae obnoxiis. Postes sunt januae latera: pro tota domo accipiuntur.

47) Atrium: primus erat locus aedium, et quasi aditus ad reliquam domum, arcam, in medio positam interdum, et circumaddita aedificia continens: pro tota domo hic sumitur. Atrium sublime, ergo idem ac, palatium. De atrio vide adhuc Antiquit.

48) Novo ritu, id est: gustu, ad novas architectonicas regulas exstructum.

49) Moliar, id est: exstruam, scilicet, pro tenui aedificio.

50) Sensus: cur vallem et agrum meum Sabinum, permutem divitiis molestioribus, in quibus conservandis operae multum et curae consumam.

Metrum, quale L. I. carm. 8.

Angustam [1]) amice [2]) pauperiem pati
Robustus acri [3]) militia puer
Condiscat, et Parthos [4]) feroces
Vexet [5]) eques [6]) metuendus hasta;
Vitamque sub divo [7]) et trepidis [8]) agat
In rebus. Illum [9]) ex moenibus hosticis
Matrona bellantis tyranni
Prospiciens, et adulta virgo
Suspiret; eheu [10]), ne rudis [11]) agminum

1) Sententia: juventus Romana severa disciplina contineatur, unde corpus ad tolerandos militiae labores induretur, corroboretur. Jam severam disciplinam paupertatis notioni subjecit poëta, quae adeo victu modico ac duro, vigiliis, caloris ac frigoris patientia, tolerandisque laboribus corpus atque animum confirmat ac ad fortitudinem acuit, uti contra luxus et ignavia enervat ac deprimit.

2) Amice non est vocativus, ut quidam volunt, sed adverbium, quia metri necessitas exigit e longum, ac proinde amice pati, idem est ac, libenter facere, uti Graecum, φιλως φερειν.

3) Acri militia, id est: dura, laboriosa.

4) Jam acrem militiam exponit poëta, memoratis speciatim, quibuscum congrediatur miles Romanus, Parthis, ferocissima eademque Romano nomini infestissima gente.

5) Vexet: conturbet, adfligat, adsidue instando.

6) Eques, scilicet in pugna adversus equites Parthos, de quibus jam saepius sermo fuit.

7) Sub divo: sub aëre in castris; nam et haec ad aerumnas militiae referenda sunt, ut soli ac frigori corpus adsuescat.

8) Et versetur in rebus trepidis, periculosis, in summo discrimine, ne animus ad subita belli expavescat. Hoc igitur ad animum, illud ad corpus confirmandum spectat.

9) Vulgarem sententiam: timendus sit hostibus, audacter hostes invadat, vivide adumbrat poëta, pictura ad sensuum et adfectuum naturam ac veritatem adornata. Cogita legiones Romanas in hostili agro urbi admotas, hostem, eruptione facta, in aciem progressum atque manum conserentem; tum imbellem aetatem atque sexum, ac proinde etiam uxorem regis in hac urbe hostili, e moenibus proeliantes spectantem, suisque atque urbi timentem. Igitur: illum, nempe militem Romanum pugnantem prospiciens e moenibus hosticis matrona tyranni, uxor regis bellantis cum populo Romano, et virgo adulta, nubilis suspiret, hoc est: suspiriis timorem prodant, metuant, ne etc.

10) Eheu, exclamatio cum suspirio conjuncta.

11) Rudis agminum: imperitus pugnandi, cum tali scilicet adversario commissus.

Sponsus [12]) lacessat [13]) regius asperum
Tactu leonem, quem cruenta [14])
Per medias rapit ira caedes.
Dulce [15]) et decorum est pro patria mori:
Mors et fugacem persequitur virum;
Nec parcit [16]) imbellis juventae
Poplitibus, timidove tergo.
Virtus [17]), repulsae [18]) nescia sordidae,
Intaminatis [19]) fulget honoribus;
Nec sumit [20]) aut ponit secures [21])
Arbitrio popularis aurae.

12) Sponsus regius: juvenis regiae virgini desponsus.

13) Lacessat: irritet, adgrediatur leonem, juvenem Romanum, leonis instar ferocientem, fortissime pugnantem.

14) Ira cruenta: ardor, cupiditas pugnandi cruenta, seu cruoris cupida rapit, praecipitem agit per medias caedes, per hostium confertim a se caesorum agmina, hoc est: qui late stragem edit.

15) Nexus: strenue rem agat miles Romanus, memor, nihil aut dulcius aut gloriosius esse, quam atrociter dimicando pro patria mortem oppetere, a qua nec ignavi ac fugientes e proelio immunes sint.

16) Nec parcit: interficit etiam imbelles juvenes, qui terga et poplites vertunt hosti. Est autem poples genu aversum. Praestat igitur mori fortiter pugnando, quam turpiter fugiendo.

17) Laudata fortitudine seu virtute bellica nunc poëta virtutem civilem commendat, momentis, quae ad amplectandam eam invitent ac perducant, ex ipsa deductis. Sensus est: juventus Romana etiam in virtute civili instituenda est, ad eam exercendam induci debet; inculcandum illi est, dignitatem ac veram animi magnitudinem non in honoribus ac magistratibus, sed unice in virtute positam esse. Exornat autem poëta hanc sententiam dogmatibus e philosophia Stoicorum petitis, quibus virtus idem est, ac sapientia; sententiam enim: in virtute sola reposita esse omnia, dignitatem habere ex se sola, praemia adeo, quibus amantes sui condecoret, esse ampla, certa ac solida, Stoici ita exprimunt: sapiens est rex, sapiens est consul, sapiens est dictator, sapiens est magistratus perpetuus.

18) Repulsae nescia: quae nunquam novit turpem, dedecore plenam repulsam pati; etsi enim viri probi petitos honores non assequantur, sua tamen se virtute consolantur, eaque sola satis honorati sunt.

19) Intaminatis, id est: puris, incorruptis, non obnoxiis invidiae, petitionum indignitati et molestiae; nam gloria vera semper virtutem comitatur.

20) Nec sumit: neque consulatum aut praeturam ad auram popularem, ad arbitrium populi gerit; id est: honores consuetos, qui populi suffragiis et favore deferuntur, spernit, gloriam suam a populo non emendicat.

21) Secures, insignia consulatus et praeturae. Erant illae secures in medio virgarum fasciculo. Duodecim fasces consuli, sex praetori praeferebantur.

Virtus [22]), recludens [23]) immeritis mori
Caelum, negata [24]) tentat iter via:
Coetusque [25]) vulgares, et udam
Spernit humum fugiente [26]) penna.
Est [27]) et fideli tuta silentio
Merces [28]): vetabo [29]), qui Cereris sacrum [30])
Vulgarit arcanae, sub isdem
Sit trabibus [31]) fragilemque mecum
Solvat phaselum [32]). Saepe Diespiter [33])
Neglectus incesto addidit integrum:

22) Alterum virtutis incitamentum est immortalitas.

23) Recludens, patefaciens caelum immeritis mori; mori haud sinit viros immortalitate dignos, in caelum subvehit sui amantes.

24) Via negata ceteris vulgaribus, ardua, difficili, iter tentat; perrumpit obices omnes, ut iter in caelum sibi faciat, id est, ut immortalitatem sibi paret.

25) Coetus vulgares: vulgus virtutis expers, cui adeo inaccessa haec via; et humum udam, nebulosam, humidam, ob crassum aërem, qui terrae proximus est.

26) Fugiente, id est: celeri.

27) Virtute in genere laudata, speciatim nunc poëta commemorat fidem, utque huic sua constet merces, suum praemium, ita perfidiae contra poenam manere ait certissimam. Itaque etiam fidei servandae intenta sit juventus Romana.

28) Merces tuta, praemium certum constitutum est fideli silentio, fidei, quae silentio praestatur; proprium enim hoc habet fides tamquam virtus, quae sibi ipsi merces est.

29) Sequitur oppositio: perjuro contra statuta est poena gravissima. Jam hoc ita convertit poëta; perjurus haud minus nocens est, quam, qui mysteria Eleusinia divulgat; et ut adhuc magis indignationem suam exprimat: detestor, aversor tam scelerati hominis consortium.

30) Cereris sacra sunt Eleusinia, ita dicta a loco in Graecia, ubi sacra fiebant. Haec sacra adeo arcana fuerunt, ut, si quis ea aperiendo vel explicando alteri silentium eatenus rupisset, pro maximo scelere reputaretur. Vide Myth.

31) Sub trabibus iisdem, id est: sub eodem tecto mecum.

32) Phaselus est cymba, navicula. Solvat phaselum, id est: funes quibus litori adligatus est, pro: vetabo, non committam, ut paret mecum navigationem, ut mecum naviget.

33) Diespiter neglectus: jupiter contemtus, offensus, spretus addidit incesto integrum, hoc est: cum incesto, scelerato, perfido perdidit simul innocentem, purum sceleris, cum illo degentem; perjurum ulturus, interdum ne insonti quidem, cum isto viventi, parcit; scilicet ne noxius elabatur; communis enim haec populorum antiquorum opinio erat de vindicta divina, qua et scelerum contagioni obviam iri, aliosque a perpetrandis iis, metu Deorum injecto, absterreri credebant.

Raro [34]) antecedentem scelestum
Deseruit pede [35]) Poena claudo.

Ode III.

Ad Caesarem Augustum.

Argumentum.

Exposita atque vividissimis coloribus adumbrata animi in recto atque honesto constantia ab initio, ad praemia, quae ei parata atque constituta sunt maxima, poëta progreditur; eaque, maxime in aeternitate nominis posita, ad majorem rei fidem faciendam, heroum statim, qui ista consequuti sint, exemplis declarat atque illustrat. Percensita igitur Dioscurorum, Herculis et Bacchi, quibus Augusti numen mira arte imiscetur, apotheosi, in Romulo, immortalitatem adepto, subsistit. Atque hujus quidem, urbis quippe imperiique Romani conditoris, consecrationem poëta latius persequitur, itaque tractat, ut rem in concilio Deorum de recipiendo inter ipsos Romulo agitatam transactamque plane repraesentet. Quod ut adsequeretur poëta, senatus Romani de Julio Caesare divinis honoribus mactando statuentis atque deliberantis speciem magna cum dignitate ad Deos transtulit; neque vero perrogatas singulorum Deorum sententias adposuit, sed satis habuit, solam Junonis, utpote quae ceterarum judicia, quibus Romulum ornassent honorificentissimis, satis manifestaret, luculenta oratione explicitam referre. Igitur initio statim exsultat de eversa Troja muliebris Junonis impotentia, ipsas hujus urbis ruinas sepultas, solumque vastum, ferisque inhabitatum superbe laetatur; utque acceptae a Paride injuriae, primariae irarum causae, qua vix gravior ulla feminae offerri possit, perpetua haecce sint solamina, unice laborat. Hinc facilem sese Marti pro Romulo deprecanti praebet, in ejusque apotheosin consentit, et vel immensam imperio Romano magnitudinem spondet, dummodo ne Troja unquam a

34) Graviter claudit generalis sententia: sceleri vindictam divinam imminere, raro sceleratum poenam effugere. Poena autem hic est personificata, quae, scelerum vindex, antecedentem scelestum insequitur.

35) Pede claudo: pede tardigrado, per quod indicatur, poenam nonnunquam tarde insequi, sed tamen non emanere.

Romanis exsuscitetur. Ductum hoc plane ex animi commotioris natura, qua alteri omnia lubentes largimur, dummodo de quo cupide laboramus, id consequamur.

Metrum, quod L. I. od. 8.

Justum [1]) et tenacem propositi virum
Non civium ardor [2]) prava jubentium,
Non vultus [3]) instantis tyranni
Mente quatit [4]) solida, neque Auster [5]),
Dux inquieti turbidus Hadriae,
Nec fulminantis magna manus Jovis:
Si fractus [6]) illabatur [7]) orbis,
Impavidum ferient ruinae.
Hac [8]) arte [9]) Pollux [10]) et vagus [11]) Hercules
Enisus [12]), arces attigit igneas:

1) Justum, eundemque tenacem propositi, hoc est, in proposito suo, in justo sectando perseverantem virum nihil a virtute sua abstrahit.

2) Ardor civium, tumultus, seditio civium, prava, civitati exitiosa jubentium, volentium, vi ad obtinenda ea grassantium.

3) Vultus instantis seu minantis tyranni, id est: saevitia, quam vultu et minis ostendit.

4) Quatit: concutit, labefactat, deturbat eum de mente solida, conturbat animi ejus constantiam, adversus omnia confirmatam.

5) Auster: sensus: neque rerum, quas formidabiles natura habet, timor sapientis animum percellit. Pro mari tempestuoso positus est Auster dux Hadriae, qui in mari Adriatico exercet imperium, procellas excitat gravissimas. Est autem mare Hadriaticum inter Graeciam et Italiam.

6) Pulchre variavit poëta orationis structuram, quae ita continuanda erat: nec caeli ruina viri justi animum conturbabit.

7) Illabatur: si orbis caeli frangatur et irruat in ipsum; ruens caelum opprimet quidem eum, sed impavidum, imperterritum. Scilicet rudiori aevo, quum homines tonitrus fragorem a caelo aereo, per quod Jupiter curru itidem aereo inveheretur, repeterent, proclive sane fuit, ut graviore sono perterriti ipsam caeli ruinam aliquando extimescerent.

8) Nexus sententiarum vulgaris: virum justi tenacem nihil a proposito suo divellit, hujusque constantiae fructus in ipsum redundant uberrimi, amplissima eum manent praemia; hoc ultimum illustratur exemplis.

9) Hac arte; hac certa agendi norma, scilicet ut in justo perseverarent, hac invicta animi in sectando justo constantia.

10) Pollux Jovis et Ledae filius, Castoris frater, qui ob multas res praeclare gestas, maxime in fugandis piratis, relatus est inter sidera.

11) Vagus, qui totum terrarum orbem pervagatus ubique virtutis suae monumenta reliquit. Fuit Hercules Jovis et Alcmenes filius, Junonis odio, domitisque monstris famosus. Vide labores Herculis in Myth.

12) Enisus: enisi in altum, viam in caelum moliti, attigere, penetravere,

Quos inter Augustus [13]) recumbens
Purpureo [14]) bibit ore nectar.
Hac [15]) te merentem, Bacche pater [16]), tuae
Vexere tigres, indocili [17]) jugum
Collo trahentes. Hac Quirinus [18])
Martis equis Acheronta [19]) fugit;
Gratum [20]) eloquuta consiliantibus
Junone Divis: Ilion [21]), Ilion
Fatalis incestusque [23]) judex [22]),

pervenere ad arces igneas, ardentes stellis, caelum stellatum, hoc est: Dii facti, immortalitatem consequuti sunt.

13) Sententia vulgaris esset: ita et Augustus viam sibi in caelum paravit; ast poëta, quum in terris adhuc morantem populus Romanus divinis prosequebatur honoribus, eum in caelo cum Diis convivantem nectarisque haustu se proluentem exhibet. Satis enim constat, a Senatu Augusto vivo divinos hactenus honores decretos fuisse, ut in hymnos nomen ejus referretur; privata autem religione eundem aris, templis et effigie numinum maxime in provinciis cultum fuisse, plures testantur.

14) Purpureus, splendidus.

15) Hac virtute etiam Bacchus meruit immortalitatem; et pro hoc poëta: te merentem adscribi caelo ob egregia tua facinora, tigres, curru tuo junctae, in caelum invexere. Vide Myth. Currum Bacchi trahere finguntur tigres.

16) Pater adpellatur Bacchus tamquam Deus.

17) Indocili collo, id est: currum trahunt cervice seu collo jugo alligato, indocili, ob feritatem natura insitam illis, quae perdomanda Baccho erat.

18) Quirinus, Romulus, de cujus apotheosi vide Myth. Nam sublimem eum, coorta subito tempestate, raptum, idque a Marte, cujus filius esse credebatur, communis opinio erat. Fortasse autem hic virtutem bellicam Romuli intelligi poëta vult.

19) Acheronta: inferos effugiens, caelum petivit, id est: immortalitatem est adeptus. Acheron flumen inferorum. Myth.

20) Sensus: Junone tandem placata, seu in apotheosin Romuli consentiente. Hanc sententiam, in qua subsistit, et quacum totum carmen finit, ita exprimit poëta: ubi Juno in Deorum consessu hanc orationem habuisset, gratam auditu ceteris Diis, quoniam Junonem haud amplius sua de Romulo, inter Deos recipiendo, consilia moraturam intelligerent. Praeclare autem statim initium Junonem muliebri exsultantem prodit impotentia, qua suam Trojae demum excidio iram exsatiatam manifestat.

21) Ilion istud splendidum atque opulentum Ilion corruit; inest adeo amara pristinae ejus urbis potentiae recordatio, cum intimo voluptatis ex eadem subversa sensu.

22) Judex: Paris, qui electus judex inter Junonem, Venerem et Minervam, palmam Veneri adjudicavit, et sententiam, patriae suae fatalem, id est, exitialem tulit. Vide Myth.

23) Incestus, non castus, impudicus, quia Helenam uxorem Menelai rapuit.

Et mulier [24]) peregrina vertit
In pulverem [25]), ex quo [26]) destituit Deos
Mercede pacta Laomedon [27]), mihi
Castaeque damnatum Minervae
Cum [28]) populo, et duce fraudulento.
Jam [29]) nec Lacaenae splendet adulterae
Famosus [30]) hospes; nec Priami domus
Perjura [31]) pugnaces Achivos
Hectoreis [32]) opibus refringit [33]);
Nostrisque ductum [34]) seditionibus [35])
Bellum resedit [36]). Protenus [37]) et graves

24) Et mulier peregrina, Helena, quam e Graecia raptam Paris Trojam vexit.

25) In pulverem vertit: in cinerem redegit, evertit.

26) Ordo: damnatum poenae, exitio addictum (quod delendum statueratis, et summendi supplicii de eo curam mihi et Minervae injunxeratis) ex quo, id est, postquam Laomedon destituit, fraudavit Neptunum et Apollinem mercede, pro muris instaurandis pacta, id est: ob Laomedontis perjurium.

27) Laomedon, Priami pater; cum Trojae muros exstrueret, Neptunus et Apollo suam illi operam ad eos condendos certa mercede locaverunt. Opere confecto, promissum pretium solvere Laomedon recusavit. Hinc Deorum ira in Trojanos. Vide Myth.

28) Cum populo et duce fraudulento: cum universa gente Trojana. Nam perjurii infamia universae deinceps genti, ejusque regibus inhaerebat. Dux fraudulentus: Laomedon perfidus.

29) Non amplius splendet, cultu regali ac forma conspicuus est, jactat sese Lacaenae adulterae, Helenae hospes; vel inversa ratione: Helena haud amplius cultum Paridis et formam ejus miratur, pulchritudinis ejus splendore capitur.

30) Hospes famosus dicitur Paris ob laesum hospitium.

31) Perjura; ob Laomedontem: vide not. 27.

32) Hectoreis opibus: Hectoris virtute et fortitudine. Fuit autem Hector Trojanorum dux fortissimus, filius Priami et Hecubae; post multas Graecorum caedes occisus est ab Achille.

33) Refringit: retundit, reprimit cum clade Graecorum pugnacium, fortiter oppugnantium aciem, sustentat Trojam.

34) Ductum: productum in 10 annos bellum.

35) Nostris seditionibus: dissidiis, cum alii nostrum pro Trojanis, alii pro Achivis staremus.

36) Resedit: tandem compositum finitum est.

37) Protenus; jam nunc Marti, pro Romulo filio deprecanti, in ejus adeo gratiam iras graves, id est, funestas reliquiis Trojanorum, Romanis nimirum; et invisum nepotem, id est: odium erga nepotem, Romulum redonabo, missum faciam, deponam. Romulus enim fuit filius Rheae Silviae, sacerdotis Troicae, id est, e Troja oriundae, filiae Numitoris nempe unius ex

Iras, et invisum nepotem,
Troïca quem peperit sacerdos,
Marti redonabo. Illum [38]) ego lucidas
Inire sedes [39]), ducere nectaris
Succos, et adscribi quietis
Ordinibus [40]) patiar Deorum.
Dum [41]) longus inter saeviat Ilion
Romamque pontus; qualibet exsules [42])
In parte regnanto beati: —
Dum [43]) Priami [44]) Paridisque busto
Insultet armentum, et catulos ferae
Celent [45]) inultae [46]); stet [47]) Capitolium
Fulgens, triumphatisque possit
Roma [48]) ferox dare jura Medis.
Horrenda [49]) late nomen in ultimas
Extendat oras, qua [50]) medius liquor

Aeneae posteris, propterea dicitur invisus; nepos autem, quia ferebatur Romulus filius Martis, nati ex Jove et Junone. Vide Myth.

38) Ego patiar, pro: haud amplius repugnabo, quo minus inter Deos Romulus recipiatur.

39) Sedes Deorum lucidas, id est: caelum.

40) Ordinibus quietis Deorum, pro: in ordinem Deorum quietorum.

41) Sensus: Modo ea lege, ut Roma et Troja, interposito mari longo, separentur; et hoc pro: dummodo, ne terram hanc incolant, Iliumque instaurent Romani.

42) Exsules Romani, ab Aenea profugo oriundi, in qualibet terrarum parte regnanto, regnent; ad quasvis terrarum oras imperii sui fines proferant, beati hoc ipso, quod late regnent.

43) Dummodo Troja mera vastities sit; dum armentum pascat in solo Trojano, dum ferae ibi habitent.

44) Pro Trojae ruinis ponit poëta Priami Paridisque busta seu tumulos, quibus armenta insultant.

45) Celent ibi, parturiant; latibulum ferarum sit Troja.

46) Inultae: ita ut nemo existat, qui injuriam, manibus Trojanorum illatam, ulciscatur, eas proturbet; adeoque secure, tuto, utpote in vastissima solitudine.

47) Sententia: Respublica Romana florentissimo statu gaudeat. Exquisite poëta Capitolium in specie memorat, nam illud aeternitatis imperii sui pignus haberi volebant Romani. Erat autem praecipuum Romae templum, Jovi sacrum. Fulgens, id est: inconcussum, statu integro.

48) Roma ferox bello, bellicosa, Medis seu Parthis triumphatis det jura, pro, triumphet de Parthis, iisque det jura, leges victoriae jure imponat, in provinciam Romanam redigat.

49) Horrenda, terribilis facta gentibus magnitudine, sua extendat, dilatet nomen suum, imperii fines ad extremas usque terrarum oras.

50) Qua parte medius liquor, id est, mare mediterraneum Europam

Secernit Europen ab Afro,
Qua tumidus rigat arva Nilus [51]):
Aurum [52]) irrepertum [53]), et sic melius situm,
Quum terra celat, spernere fortior,
Quam cogere, humanos in usus;
Omne [54]) sacrum rapiente dextra.
Quicumque [55]) mundo terminus obstitit,
Hunc tangat armis, visere gestiens,
Qua parte debacchentur ignes,
Qua nebulae pluviique rores.
Sed [56]) bellicosis fata Quiritibus
Hac lege dico, ne nimium [57]) pii,
Rebusque fidentes, avitae [58])
Tecta velint reparare Trojae.

disjungit ab Africa, hoc est: ad fretum usque Gaditanum, adeoque usque ad extremum Occidentem.

51) Ultimam Orientis plagam designat poëta per Nilum Aegypti fluvium, tumidum, exundantem, et ita rigantem arva et fecundantem.

52) Nexus sententiarum: Roma quaquaversum extendat imperium suum; ast consequutura hoc, enisura in tantum fastigium omnino fortior erit, fortem et excelsum animum ostendendo, id est, dum sustinebit spernere, dum alto animo spernat potius, contemnat aurum, divitias, quam cogat, congerat, coacervet. Adeoque paupertatem, frugalitatem ad exemplum priscorum Romanorum, quibus virtutibus res Romana adeo increverat, spretis divitiis amplectendam esse a Romanis Juno exhortatur.

53) Irrepertum; quod reperire haud laborent; et sic, cum terra celat, occultat, multo melius situm, quippe ab usu hominum ita remotum; quod adeo haud erui debuerat, ob innumera, quae inde in genus humanum redundarunt, mala atque calamitates.

54) Additur hic causa: nullum enim tam immane facinus est, ad quod perpetrandum non impellat avaritia, nihil tam sacrum, quod non sacrilega manu contingat. Aurum adeo, ait poëta, avaritiae, sicque omnium scelerum fecundissimam parentem esse. Et pro hoc: dextera avari, id est, avarus rapit, convertit in usus humanos seu profanos, hoc est, profanat omne sacrum, vel sanctissima quaevis, dum cupiditates suas expleat.

55) Quaecumque regio, etiam orbis ultimi, obstabit armis Romae victricibus, ejusque triumphos morari voluerit, hanc debellet, eo perveniat armata et victrix: etiam in illas oras pertingat, ubi calores et fulmina debacchantur, nempe in torridam mundi zonam; aut in illas, ubi glacies et nebulae rigent: indicatur hic zona frigida. Visere gestiens: id est: eam mundi plagam visendi, adeundi cupida.

56) Sed: haec tamen felicia Romanis fata denuncio, et praedico, ea tantum conditione etc.

57) Nimium pii: nimio erga patriam suam, id est, Trojam amore capti, rebusque secundis, opibus confisi, potentia freti etc.

58) Avitae: Roma enim Trojae quasi colonia fuit.

Trojae [59]) renascens alite [60]) lugubri
Fortuna tristi clade irritabitur,
Ducente victrices catervas
Conjuge me Jovis et sorore.
Ter [61]) si resurgat murus aëneus
Auctore [62]) Phoebo, ter pereat meis
Excisus Argivis [63]); ter uxor [64])
Capta virum, puerosque ploret.
Non [65]) haec jocosae [66]) conveniunt lyrae:
Quo Musa tendis [67])? Desine [68]) pervicax
Referre sermones Deorum, et
Magna modis tenuare parvis.

Ode IV.

Ad Calliopen.

Argumentum.

Singularem hoc carmen ingressum habet; poëta enim, sublimium sensuum ac phantasmatum plenus, Musam invocat, quae illa evolvat, sibique praesto sit. Quumque hujus praesentissimam opem experiretur, animum ejus pristinorum, a Musis sibi collatorum, beneficiorum subit recordatio, quibus recensendis gratissimus immoratur, indeque sese, Mu-

59) Sententia: Troja instaurata iterum exscindetur.

60) Alite lugubri: infausto augurio, pessimis auspiciis reaedificatae Trojae fortuna, seu fatum iterabitur, idem erit tristi clade, funestissimo interitu; cum ego Juno iterum adversus Trojam hostes paratura, victrices hostium catervas ductura sum.

61) Sententia: quoties resurgat, toties pereat murus aëneus, id est: Troja firmisssimo munimento circumdata.

62) Auctore Phoebo: structore aedificante. Vide supra not. 27.

63) Meis Argivis; Graecis enim praecipue favebat Juno.

64) Uxor capta, in servitutem abducta lugeat virum, maritum et filios, insolentia victoris occisos.

65) Tandem cohibet Musam poëta et revocat, paulo liberius evagatam, Junonis indignatione effervescente, penitusque exaestuante.

66) Jocosae lyrae: jocis, et lusibus tantum accomodatae.

67) Tendis: evagaris, fines tuos excedendo, sublimia tractando?

68) Desine, noli pervicax, pervicaci ausu, arroganter referre sermones Deorum, id est, Junonis, atque ita magna, quae majoris sunt moliminis, quae vires tuas excedunt, tenuare, extenuare, imminuere, deprimere modis parvis, tenuioribus cantibus, quam argumenti dignitas ac gravitas postulat.

sis quippe addictum, earumdem praesidio ubivis locorum tuto versaturum gloriabundus profitetur; qua sententiarum conversione poëta suo ipsius exemplo comprobare voluit, optime cum eo agi, qui Musis sese in clientelam commendaverit: sicque satis complanata via erat, ad primarium carminis argumentum, quo Augustum, finitis bellis civilibus, ad Musarum castra transgressum, mitem ac lenem principem Romanis poëta exhibere atque commendare conatus est. Musis enim deberi ait, quod Augustus imperium et acceperit, et tenuerit, quae quippe talibus animum ejus praeceptis imbuerint, quibus illud optime fundatum sit, atque in dies corroboretur.

Metrum, quale L. I. carm. 8.

Descende caelo [1]), et dic age tibia
Regina [2]) longum Calliope melos [3]),
Seu voce nunc mavis acuta [4]),
Seu fidibus citharaque [5]) Phoebi.
Auditis [6])? — an [7]) me ludit amabilis
Insania? Audire [8]) et videor pios
Errare per lucos, amoenae
Quos et aquae subeunt et aurae.

---

1) Caelo Musam devocat poëta; quod Musae tamquam filiae Jovis et sedem habeant in Olympo; descendunt tamen non raro in terras, ut et in his montes, templa, atque fontes sibi sacros habere dicantur.

2) Regina: Vel eam sic honoris tantum causa nominat, quatenus epithetum commune omnium Dearum est; vel quia Calliope, Musa heroici carminis, Musarum princeps esse dicitur.

3) Dic melos: cane carmen longum, longe duraturum, perenne; quod quidem nihil arrogantiae habet, cum illud carmen a Calliope dici cupiat.

4) Acuta voce: clara, arguta. Dicuntur Musae voce canere, Phoebus vero cithara.

5) Tibiam et citharam cumulat poëta, quoniam ad utrumque carmina lyrica canebantur. Fidibus citharaque, pro: fidibusque citharae.

6) Voti compos factus, sese in Musarum lucos abreptum, ibique consortio concentuque Dearum suavissimo frui sibi adeo persuasum habet poëta, ut et alios eadem videre atque audire credat. Unde: Auditis? scilicet Musarum cantum?

7) An enthusiasmo correptum deludit me vana imago? an decipior falsa specie? Insania praeclare de animo, sublimium phantasmatum vi ac copia conturbato, qui excelsiore spiritu incensus, expulso humano sensu, furentis instar extra se rapitur.

8) Ego quidem certe videor mihi illam polo delapsam audire et circumerrare in amoenis saltibus, et lucis piis, Musis consecratis, quos aquae amoenae subeunt, perfluunt, et aurae amoenae, lenes perflant.

Me [9]) fabulosae [10]) Vulture [11]) in Appulo,
Altricis extra limen Apuliae,
Ludo fatigatumque somno [12])
Fronde nova puerum palumbes
Texere: mirum [13]) quod foret omnibus,
Quicumque celsae nidum Acherontiae [14]),
Saltusque Bantinos [15]), et arvum
Pingue tenent humilis Ferenti;
Ut tuto ab atris corpore viperis
Dormirem et ursis; ut [16]) premerer sacra
Lauroque collataque myrto,
Non sine Dîs animosus infans.

---

9) Quum Musas sibi invocanti praesto esse intelligeret, vivide hujus rei sensu percussus inflammatusque pristinorum, quae sibi ab iisdem inde a tenerrima aetate obtigerint, beneficiorum memoriam grata mente recolit, atque ita suo ipsius exemplo sententiam luculentissime comprobat; illos, qui Musarum sese addixerint patrocinio imperturbata securitate frui. Ordo verborum: me puerum aliquando in Vulture Appulo ludo somnoque fatigatum fabulosae palumbes texere.

10) Fabulosae palumbes: quarum plura in fabulis ministeria occurrunt, quae narrationi de sua juventute mirationem faciunt, prodigiosa.

11) Vultur, seu Vulturus, mons in finibus Apuliae, cujus jugum in Lucaniam porrigebatur. In hoc igitur, quod extra limen, seu fines Apuliae, altricis suae, hoc est, quae patria ipsi esset, protenditur, ferocioribus animalibus infestum, Horatium puerum evagatum cogita, ita, ut ibi ludens seque distrahens tandem dormiturus decubuerit.

12) Somno fatigatus dicitur is, qui eo obrepente vincitur, opprimitur ei tandem succumbit. Eleganter ergo jungere potuit poëta: ludo et somno fatigatum contexere palumbes nova fronde, id est: viridi; ramis recentibus non aridis.

13) Mirum: id quod mirabantur omnes in vicinia habitantes, nempe Acherontini, Bantini et Ferentini, quomodo in regione, saevissimis feris infestata, tam confidenter somno indulgerem, corpore nempe tuto, seu tutus, nihil timens a viperis et ursis atris, venenatis, et nocuis.

14) Acherontia urbs exigua in limite Apuliae et Lucaniae, in monte posita instar niduli.

15) Bantia et Ferentum oppida etiam in Apuliae finibus, illa erat saltibus et pascuis amoena; hoc vero in valle fertilissima situm; unde humile et pingue arvum Ferenti.

16) Supplendum est hic: omnes mirati sunt, ut, vel quomodo ego infans puer animosus non sine Diis, id est: fretus praesidio Musarum, qui non expavisset solus terrores nemorum, premerer, tegerer Apollini sacra lauro et myrto collata, comportata a palumbibus; magnam enim frondium in eum congestarum copiam animo subjicit. Vide supra not. 12.

Qui [42]) terram inertem [43]), qui mare temperat
Ventosum, et urbes, regnaque [44]) tristia,
Divosque mortalesque turmas
Imperio [45]) regit unus aequo.
Magnum [46]) illa terrorem intulerat Jovi
Fidens, juventus [47]) horrida, brachiis [48]),
Fratresque [49]) tendentes opaco
Pelion imposuisse Olympo.
Sed [50]) quid Typhoeus [51]), et validus Mimas,
Aut quid minaci Porphyrion statu [52]),
Quid Rhoetus, evolsisque truncis
Enceladus jaculator [53]) audax,
Contra sonantem Palladis aegida
Possent ruentes [54])? Hinc [55]) avidus [56]) stetit
Vulcanus; hinc matrona Juno, et
Nunquam [57]) humeris positurus arcum,

mam Gigantum, quos Jupiter fulmine caduco, desuper irruente, cum impetu dejectos, prostravit ac fugavit.

42) Descriptio Jovis omnia gubernantis.

43) Inertem, brutam, immobilem.

44) Regna tristia, id est, Tartara, Inferos.

45) Imperio aequo: sapienter, juste.

46) Immani virium robore istos valuisse, declarat poëta per consequens ipsum Jovem exterritum fuisse istorum molitionibus.

47) Juventus horrida, Titanum, quos pro Gigantibus, eorum fratribus, ponit: horrida, id est: immani corpore et adspectu.

48) Brachiis fidens, hoc est, immani robore.

49) Fratresque: Othum et Ephialten, qui singulis mensibus novem digitis crescebant, a poëta designari, patet ex sequentibus; nam hi tendebant, nitebantur Pelium montem Olympo opaco, seu nemoroso imponere. Ambo autem hi montes sunt in Thessalia.

50) Sententia: neque tamen quidquam temerarii isti adsultus valuere adversus vim Deorum prudenter oppositam.

51) Typhoeus, Mimas, Porphyrion, Rhoetus, Enceladus, Gigantum sunt nomina.

52) Statu, statura, habitu corporis.

53) Jaculator audax: truncos arborum radicitus evulsos ad caelum audacter jaculans.

54) Ruentes: irruentes, temeraria audacia adgressi Pallada, pro quo significantius poëta Aegida Palladis posuit, quo insignior esset Gigantum temeritas, propter Gorgonis caput, Aegidi insertum. Vide Myth. et od. 13. not. 15. L. I.

55) Hinc avidus stetit: variavit poëta orationem, quae vulgari modo ita procedebat: quid efficerent isti adversus Palladem, Vulcanum, Junonem, Apollinem?

56) Avidus pugnandi, et ulciscendi cupidus.

57) Qui semper arcum portat Apollo, quia sic pingitur.

Qui rore puro Castaliae [58]) lavit
Crines solutos, qui Lyciae [59]) tenet
Dumeta [60]), natalemque silvam,
Delius et Patareus Apollo.
Vis [61]) consilî expers mole ruit sua:
Vim [62]) temperatam Dî quoque provehunt
In majus, îdem [63]) odere vires
Omne nefas animo moventes.
Testis mearum centimanus Gyges [64])
Sententiarum, notus et integrae
Tentator [65]) Orion Dianae,
Virginea domitus sagitta.
Injecta [66]) monstris Terra dolet suis,
Maeretque partus [67]) fulmine luridum [68])

58) Castalia fons est Parnassi, Apollini sacer; hunc tenet, incolit Apollo, et pro hoc: rore puro, unda pura lavat crines solutos, promissos, ut declaretur Apollinis juventas.

59) Lycia est regio in Asia minori; ejus praecipua urbs Patara, ubi Apollo colebatur.

60) Dumeta, id est: nemora, et natalem silvam in Cyntho, monte Deli, ubi natus Apollo. Myth.

61) Sententia ex antecedentibus deducta: vires consilii expertes, prudentia destitutae, per se, ipsa mole sua, corruunt, praecipites dantur.

62) Contra vero vim prudentia temperatam, hominem potentia, qua pollet, sapienter utentem Dii in majus provehunt, id est, Dii augent, extollunt, successum ejus conatus habere jubent.

63) Iidem Dii graviter in eos animadvertunt, qui animo movent, moliuntur, concipiunt omne nefas, id est, nefaria quaevis, nihil non ex animi lubidine agentes.

64) Gyges, Cottus et Briareus, Centimani, Caeli et Terrae filii, a patre in Tartara detrusi, indeque a Jove ad debellandos Titanas reducti, hisque in Tartarum conjectis custodes adpositi. Iterum satis manifestam cosmogonicarum istarum fabularum deprehendere licet confusionem, qua Centimani, qui multo antiquiores sunt, et quos a partibus Deorum stetisse perhibent cum Gigantibus rebellibus permiscentur.

65) Tentator. Orion Gigas, infamis, famosus ob tentatam a se Dianam integram, illaesam pudicitia, perpetua virginitate gaudentem, a qua ille sagittis confossus est.

66) Ordo sententiarum vulgaris: testes mearum sententiarum sunt Gigantes; montibus atque insulis obruti, et Titanes, fulmine in Tartarum detrusi. Et pro hoc poëta: Terra mater dolet injecta, Graece pro, se injectam impositam monstris filiis suis, Gigantibus. Jupiter enim montes in eosdem detorsit, eosque illis obruit.

67) Partus, id est: filios missos, deturbatos.

68) Luridum: pallidum, perpetuum Orci epithetum.

Missos ad Orcum: nec peredit [69])
Impositam celer ignis Aetnen:
Incontinentis nec Tityi [70]) jecur
Relinquit ales [71]), nequitiae additus
Custos [72]): amatorem trecentae
Pirithoum [73]) cohibent catenae [74]).

Ode V.

In laudem Caesaris Augusti.

Occasio et argumentum.

Phraates, quum filium Romae detentum, a. u. 731 ea lege ab Augusto recepisset, ut captivos et signa militaria, Crassi et Antonii cladibus amissa, restitueret; huic tamen ut satisfaceret, haud prius impelli potuit, quam ea ab Augusto, quem in Asiam trajecisse, et ad Syriam usque pervenisse satis constabat, bello repetitum iri fama percrebuisset. Anno itaque 734, quo id factum est, elapso, ea propter celebratus est tanto plausu ejus reditus in urbem, ut indictae sint feriae, quae Augustalia sunt adpellatae, et ara ex senatus consulto Fortunae reduci sit consecrata; qua de re excusus exstat nummus cum gemina inscriptione; hinc quidem: *Fortunae Antiatum*, illinc: *Caesari Aug. Fortuna redux S. C.* Ne autem inter haec sileret, Horatius hanc scripsit oden, quae Apotheosis quaedam Augusti est, similis illi, quae legitur sub finem L. I. od. 11. Cum enim ante aliquot annos Augustus sibi subjecisset Britannos, ultimum fere populum tunc orbis noti

---

69) Ignis, celeriter res absumens, haud peredit, exussit, absumsit Aetnen impositam Typhaeo, pro: Typhaeus nunquam Aetnae mole levatur, adhuc sub Aetna laborat.

70) Tityus aeternas in continentiae suae poenas apud inferos luit. Vide L. II. od. 11. not. 5.

71) Ales: vultur perpetuo exedit jecur incontinentis, quod Latonam temerarie tentaret.

72) Hominis impuri et impudici custos et tortor adpositus, qui, adhaerendo ejus jecuri, poenas nequitiae illius irrogatas, exigit.

73. Pirithous, Thesei amicus, qui cum eo adortus est, rapere ex Inferis Proserpinam: sed Pluto admonitus eos in vincula conjecit. Theseum tamen postea Hercules solvisse dicitur, manente in Inferis Pirithoo. Myth.

74) Catenae trecentae firmitatem vinculorum designant; ex quibus adeo sese Pirithous nunquam expediet.

ad Occidentem; et a. 734. Parthos ad Orientem remotisimos domuisset sine bello, sic ut jam videretur inferiorem orbem habere totum potestate, putavit poëta posse Augustum Jovi subparem Deum dici, et alterum in terris Jovem. Initio itaque statim evidentiora divinitatis Augusti argumenta vix dari posse persuasissimum habet, quandoquidem is ab hoste formidolosissimo, quae maximi antea duces magnis amisissent proeliis, absque ullo certamine receperit. Tum quo exactior magnitudinis rei fieri posset judicatio, vivide poëta declarat ignominiam, turpi Crassianorum militum deditione, turpiusque acta servitute Romani imperii majestati inflictam, quam Augustus, salva ejusdem dignitate absterserit, armisque vindicandam statuerit; captivos humili redemtionis conditione liberandi indignum reique publicae damnosum existimans. Generosum hunc Augusti sensum, quo incalescit poëtae, patriae amantissimi, animus, Reguli, eadem olim de captivis statuentis, gravissima oratione explicuit. Atque hac sententiarum conversione, tacitaque Augusti cum Regulo, venerando priscae disciplinae exemplo, comparatione, ipsius Augusti, disciplinae severissime regundae itidem intenti, laudes quam maxime celebrantur.

Metrum, quale L. I. carm. 8.

Caelo [1]) tonantem credidimus Jovem
Regnare: praesens Divus habebitur
Augustus, adjectis Britannis [2])
Imperio, gravibusque Persis.
Milesne [3]) Crassi conjuge barbara

---

1) Splendida atque augusta rei imago: divisum imperium cum Jove Divus Augustus sortitus est; ille caelum moderatur, huic orbis terrarum cura suscepta; hujus numen praesens venerari licet, illius certis tantum signis cognoscere datur. Quemadmodum, quando tonantem audimus Jovem, eum credimus regnare caelo; ita quum Augustum videmus Persas et Britannos adjecisse imperio Romano, nemo dubitare poterit, quin revera Deus sit, etiam praesens et vivens.

2) Hic aliquid est adulationis poëticae. Britanni enim non aliter imperio adjecti erant, quam quod pacis conditiones ab Augusto acceperant a. u. 727. Phraates vero Parthorum rex sine bello reddiderat captivos et signa. Vide argumentum.

3) Omissis Britannis immoratur unice poëta victoriae, de Parthis reportatae; utque speciosior magnitudo rei esset, persequitur atque exaggerat ignominiam, caesis exercitibus, militibusque turpiter sese dedentibus, turpiusque in ista captivitate viventibus, nomini Romano inustam, quam sola imperii sui majestate, rerumque gestarum fama Augustus aboleverit. — Adeone, ait, miles

Turpis [4]) maritus vixit? et hostium [5]) —
Proh [6]) Curia inversique mores! —
Consenuit [7]) socerorum in arvis [8]),
Sub rege Medo [9]), Marsus [10]) et Appulus,
Anciliorum [11]) et nominis [12]) et togae [13])
Oblitus, aeternaeque Vestae [14]),
Incolumi Jove, et urbe Roma?
Hoc [15]) caverat [16]) mens provida Reguli [17]),

Crassi, civis Romanus sub Crasso stipendia merens, sui oblitus est, itane a majorum virtute degeneravit, ut, qui mortem pro patria oppetere debuisset, turpem deditionem honestae morti praeferret, eoque delaberetur infamia ac dedecore, ut maritus, ducta conjuge barbara externa viveret, ut matrimonium cum Parthica femina iniret?

4) Turpis: turpe enim erat Romano, barbaram et hostis filiam conjugem accipere.

5) Et hostium socerorum. Ordo est: Et Marsus atque Appulus, oblitus anciliorum, nominis et togae, Jove incolumi et Roma consenuit sub rege Medo in arvis hostium, socerorum suorum, nempe Parthorum, quorum filias duxerat.

6) Proh curia etc. O inversos Curiae mores! Quantum inversa est, deflexit Curia, senatus a pristinis moribus, ab antiqua majestate, qui tanti dedecoris infamiam per tam longum annorum decursum sustinere potuit, adeo, ut ne bello quidem eam vindicandam, armisque captivos redimendos statuerit!

7) Consenuit: cum M. Crassus ab Orode Phraatis patre victus caesusque esset a. u. 701, necesse fuit milites eos, qui tum a barbaris capti fuere, jam senuisse a. u. 734.

8) In arvis: designat Romanos milites in Parthorum gentem ac familias adscitos, tamquam novos colonos in nova sede arvis colendis operam dantes.

9) Sub rege Medo: Parthorum regis jugo, servitio, adsuefacti, quum in libera republica vixissent antea.

10) Marsus et Appulus positi sunt pro fortissimis Romani exercitus militibus: ambo sunt populi Italiae.

11) Ancilia erant clipeoli 12 sacri. Eorum unus e caelo decidisse ferebatur, editumque fuisse oraculum, fore, ut tamdiu Roma staret, quamdiu ille servaretur. Is igitur ne facile surripi posset, ad ejus formam 11 alii facti erant, qui in templo Martis adservabantur.

12) Nominis, Romani scilicet et gloriae.

13) Togae: Dignitatis ipsorum pristinae, quod liberae reipublicae cives fuissent. Toga, vestimenti genus, Romanis proprium, quod tunicae imponebatur instar pallii. Vide Antiquitates.

14) Vestae aeternae, cujus ignes aeterni, hoc est, nunquam exstinguendi, et ipsi Romam aeternam spondebant. Vide Myth.

15) Amplificare pergit Crassianae cladis infamiam, per comparationem illius, quam Atilius Regulus tantam putaverat, ut quamquam sibi pereundum videret: tamen apud senatum contenderit, nequaquam redimendos eos, qui cum ingenti probro servire, quam, sicut Romanos decebat, cadere maluissent pugnando.

16) Caverat, id est, cavere studuit, dedecus a populo Romano prohibere

Dissentientis [18]) conditionibus
Foedis, et exemplo [19]) trahenti
Perniciem veniens in aevum,
Si non periret immiserabilis
Captiva pubes. Signa [20]) ego Punicis
Adfixa delubris, et arma
Militibus sine caede [21]), dixit,
Derepta vidi: vidi ego civium
Retorta [22]) tergo brachia libero;
Portasque [23]) non clausas, et arva
Marte coli populata nostro.
Auro repensus [24]) scilicet acrior

voluit, ne scilicet turpem deditionem Romanus miles spe redemtionis honestae morti praeferret.

17) M. Attilius Regulus bello Punico primo circa a. u. 500 vixit. Is captus a Carthaginiensibus Romam missus est ad senatum, captivos utrimque redimendi causa, ille autem hoc dissuasit.

18) Dissentientis: Dissuadentis, repudiantis foedas conditiones. Ea enim conditio proponebatur a Poenis, ut redderent Romanos captivos; ac suos vicissim ipsi, facta permutatione, reciperent; hoc autem indignum ac turpe Romano nomini censebat Regulus.

19) Exemplo trahenti, scilicet, dissentientis, id est: qui exemplum exstare nolebat, quod tracturum, adlaturum esset perniciem, quod perniciosissimum esset inveniens, futurum aevum, ad omnem posteritatem; si captiva pubes, capti milites, immiserabilis, id est, sine misericordia non periret, non in captivitate eam retinendam senatus judicaret. Ordo sententiarum vulgaris est, dissuasit conditiones recipiendas, foedas quippe, pessimique ad posteros exempli, si captivi redimerentur.

20) Oratio Reguli in senatu, quae habet miram gravitatem ad concitandam augendamque in audientium animis indignationem. Sensus: vidi ego arma et signa militaria Romanis derepta suspendi delubris, templis Punicis. De veteri ritu, quo signa atque arma hostibus erepta in templorum fastigiis, donarii loco, suspendi solita sunt. Vide Antiqui.

21) Sine caede: qui milites Romani non occisi, sed in turpissimam deditionem concedentes, per summam ignaviam arma sibi eripi passi sunt.

22) Retorta: vidi cives nostros et milites, qui antea erant liberi, quorum praecipua laus et gloria libertas esse debuit, retortis, restrictis in tergum manibus ligatos, instar servorum.

23) Portas etc. Vidi Carthaginienses in summa securitate degentes, ex contemtu vestri, quos quidem a se fractos oppressosque, ignominiam vix unquam ulturos existiment. Securitatem designant portae non amplius clausae. Vidi et arva nunc, tamquam in pace, coli, quae modo depopulata erant Marte nostro, a militibus nostris.

24) Repensus: neque vero turpe tantum, sed et inutile atque damnosum adeo Reipublicae est, captivos redimi. An enim unquam sperare licet, mili-

Miles redibit. Flagitio [25]) additis
Damnum. Neque amissos colores
Lana refert medicata fuco [26]),
Nec vera virtus, quum semel excidit,
Curat reponi deterioribus.
Si pugnat [27]) extricata densis
Cerva plagis, erit ille fortis,
Qui perfidis se credidit hostibus;
Et [28]) Marte Poenos proteret altero,
Qui lora restrictis lacertis
Sensit iners, timuitque mortem.
Hic [29]), unde vitam sumeret, inscius,
Pacem duello miscuit. O pudor!
O magna [30]) Carthago, probrosis
Altior Italiae ruinis!

---

tem, qui semel vitam abjectis armis cum hoste pactus sit, auro repensum, ubi auro penso ab hoste redemtus fuerit, acriorem rediturum, manu magis strenuum, fortiorem deinceps evasurum?

25) Flagitio: Praeterquam quod flagitiose agitis, infamiam nomini Romano adspergitis, damno insuper adficitis rempublicam, pretio pro ignavis istis solvendo; turpiter auri jacturam facitis.

26) Fucus est herba marina aliquatenus rubens, qua in Creta tinguntur vestes. Purpura itaque intelligenda videtur, quae male fuci succo restituatur, pannis jam decoloribus. Sensus: ut lana colorem, quem, fuco medicata, id est, tincta, amisit, nunquam postea refert, resumit, sed illum posteriorem retinet: ita animus iners, ignavia semel imbutus, amissam fortitudinem non recipit, semper ignavus restat; et pro hoc: virtus quae semel excidit animo, amissa est, non curat in deterioribus, ignavis, qui perdendo fortitudinem ignavi facti sunt, ut iterum restituatur in animum, e quo excidit.

27) Sensus: qui semel captus est, is non magis fortis erit, quam cerva plagis seu retibus extricata, elapsa.

28) Sensus: neque Marte seu proelio altero unquam proteret, prosternet Poenos hostes, qui semel iners seu ignavus manus ad terga sibi ligari sivit, et non potius mortem oppetivit.

29) Sententia: hic, per contemtum: ignavus iste miles (nesciens vitam ac salutem non esse precibus, aut fuga quaerendam, sed manu et victoria retinendam, in ipsa acie) cum pugnandum fuisset, pacem ac vitam ab hoste petere maluit; resque disjunctissimas ita confudit, ac miscuit pacem duello, id est: in ipsa pugna cum hoste, tamquam in pace, transegit; de impetranda vita armatus cum hoste pactus est; deditionis pactione saluti suae consuluit, vi atque ferro tantum obtinendae.

30) Sensus: O magna Carthago, quantum gloriae partum tibi est ex nostro hoc dedecore! Altior Italiae ruinis! cujus magnitudo nostris cladibus probrosis, summa cum ignominia conjunctis, unice innititur!

Fertur [31]) pudicae [32]) conjugis osculum,
Parvosque natos, ut capitis minor,
Ab se removisse, et virilem
Torvus humi posuisse vultum:
Donec [33]) labantes consilio patres
Firmaret auctor [34]) nunquam alias dato [35]),
Interque [36]) moerentes amicos
Egregius properaret exsul.
Atqui [37]) sciebat, quae sibi barbarus
Tortor pararet: non aliter tamen
Dimovit obstantes propinquos,
Et populum reditus morantem,
Quam [38]) si clientum longa negotia

---

31) Huc usque oratio Reguli in senatu habita. Prosequitur poëta: Fertur, narratur, quod capitis minor, id est, capite deminuto etc. Caput apud Romanos statum significabat, qui perfectus erat, cum quis et liber et civis esset. Si alterutrum, id est, aut libertatem aut jus civitatis amiserat, minui capite vel capitis dicebatur. Cum itaque Regulus jure jurando se ad reditum in captivitatem obstrinxisset, si, ob quae missus erat Romam, in effectum non deduceret; se non jam ut Romanum civem aspiciens, sed ut servum, utrumque amisisse dici poterat; cumque servi etiam cognationis jus amiserint, eatenus etiam dici poterat, se conjugem ac liberos, quasi alienos amovisse tamquam capitis minorem, id est: preces eorum, quibus ad remanendum eum deprecati sint, non exaudivisse, et, virilem seu immobilem vultum suorum lacrimis et civium precibus, humi posuisse seu defixisse.

32) Pudicae, id est, castae conjugis Marciae. Pudicitia enim maximum Romanorum matronarum ornamentum.

33) Sensus: atque ita Regulus tamdiu perstitit, donec patres firmaret consilio suo, in sententiam, quam ipse suasisset, quamquam sibi perniciosissimam; prius enim labantes, dubii erant.

34) Auctor adpellatur is, qui aliquid suadet, consulit, praestat, et in se recipit.

35) Nunquam alias dato, id est: inaudito.

36) Sensus: e curia se proripit, atque citato gradu, quo laetitiam suam testatam faceret, inter amicos, abitu ejus contristatos, ad hostem pergit tamquam exsul egregius, singularis prorsus exempli, ut qui sui ipse exsilii auctor esset, captivos retinendos suadendo.

37) Atqui: attamen, quamquam probe norat, quae sibi barbarus tortor pararet, quibus cruciatibus pereundum foret, si infecta re Carthaginem rediret; ita dimovit, repulit, viam sibi per obstantes aperuit etc. Dicunt autem Regulum revera maximis cruciatibus occisum fuisse a Carthaginiensibus. De ejus supplicio non consentiunt scriptores; vulgo eum ajunt resectis palpebris, inclusum arca seu machina, undique acutis stimulis munita intus, necatum.

38) Non aliter, ac si urbem relinqueret, in qua clientum negotiis, quae vel orator, vel advocatus curasset, quaeque diuturnitate sua summo eum taedio adfecissent, detentus atque distractus fuisset.

Dijudicata [39]) lite relinqueret,
Tendens [40]) Venafranos [41]) in agros
Aut Lacedaemonium Tarentum [42]).

Ode VI.

Ad Romanos.

Occasio et argumentum.

Quum respublica, collapsa, qua ad summum cacumen emersisset disciplina veteri, perditissimis laboraret moribus, adeo quidem, ut innumeris malis gravissimisque, quae inde in eam redundarent, calamitatibus in summum eam discrimen adductum iri posset colligi; Augustus, sustentaturus eam, multis gravibus severisque legibus latis, corruptelam morum coërcendam statuit. Quum autem praeprimis Deorum cultum, jamjam labantem, in hunc finem restituere vellet; Horatius, utrumque ad erigendam stabiliendamque rempublicam efficacissimum, hoc carmine commendaturus, Romanorum in universum terrarum orbem imperium a Deorum cultu, maximas contra clades, quae illud paene perverterint, a neglectis religionibus repetendas esse pronunciat. Inde ad alterum malorum fontem, morum corruptelam, delatus, eam vividissimis coloribus depingit. Tum, quo magis perspiceretur quantum ista pestis reipublicae detrimenti adferret, enervi suae aetatis proli graviter opponuntur mores priscorum hominum, qui pudice nati, duriterque educati, maximas olim terra marique res patrassent.

Metrum, quod L. I. carm. 8.

Delicta [1]) majorum immeritus lues,
Romane, donec templa refeceris,

39) Dijudicata, id est, judicum sententiis finita et composita.

40) Tendens, profectus in praedium suum Campanum, pro quo in specie Venafrum posuit, aut Tarentinum.

41) De Venafro vide L. II. od. 4. not. 16.

42) De Tarento vide L. II. od. 4. not. 12. Lacedaemonium dicitur, quia fundatum a Phalante Lacedaemonio.

1) Delicta: sensus: ob majorum flagitia, dabis poenas, ac licet eorum scelera non commiseris, atque adeo immeritus et innocens videaris, juste tamen plecteris, ob tuam in rebus sacris, templis v. g. reficiendis, negligentiam, et impietatem. Neglectam in Deos pietatem ita designat poëta, quod Augustus cum reficiendorum, tum novorum templorum exstruendorum curam populo, quamquam aliis de causis, ostentaret.

Aedesque labentes Deorum, et
Foeda nigro simulacra [2]) fumo.
Dîs [3]) te minorem quod geris, imperas:
Hinc [4]) omne principium, huc refer exitum.
Dî multa neglecti dederunt
Hesperiae [5]) mala luctuosae.
Jam bis [6]) Monaeses et Pacori manus
Non auspicatos [7]) contudit impetus
Nostros, et adjecisse [8]) praedam
Torquibus exiguis renidet.

2) Simulacra Deorum foeda, squalida, sordida nigro fumo, quorum adeo cura diu intermissa fuerat. Consueverant enim Deorum simulacra, fumo aërisve injuriis inquinata, stato tempore ac solenni ritu purgari apud veteres.

3) Imperas, id est, imperium orbis terrarum tenes, omnia tibi prospere cedunt, quod, seu, propterea quod, quatenus te minorem Diis geris, Deos te superiores habes, eorum adeo benevolentiam cultu atque obsequio promereri studes.

4) Hinc: A Diis et eorum cultu initium pete rerum omnium agendarum: Huc, id est, ad eosdem refer, iis refer acceptum exitum, et felicitatem tuam in rebus bene gerendis. Nota porro vocem hanc, principium, esse trisyllabam, quasi esset, principum.

5) Hesperiae, id est, Italiae, vide L. I. od. 30. not. 5. Luctuosae, quae habet multum luctum, tristi, cladibus adfectae, et in luctum inde versae.

6) Exemplis gravissimis e suo populo petitis jam illustrat poëta, quantum humana consilia castigentur, ubi se caelestibus praeferant. Bis ait cladem res Romana a Parthis acceperat, primum imperatore M. Crasso, quem Monaeses Orodis dux, circumfusis immanibus copiis equitum, una cum parte majore exercitus Romani interemit; et iterum duce M. Antonio, cujus primum legatus Didius Saxa cum legionibus interemtus a Parthis a. u. 714. duce Pacoro, Orodis regis filio, tum et ipse a. u. 718 exercitum adversus illos ductum amisit. Uterque Diis adversantibus istam adversus Parthos expeditionem susceperat.

7) Non auspicatos impetus, id est: neglectis auspiciis et Deorum monitis, se adgredi ausos contudit, fregit, gravissima clade adflixit. Fuit haec veterum superstitio, ne quid alicujus momenti susciperent, nisi captis prius auspiciis, hoc est, nisi observato motu et volatu avium, ex quibus posset divinari, quis exitus futurus esset.

8) Adjecisse. Imago ad augendam rei invidiam mire efficax, maxime si cogites, Crassum Parthici auri cupiditate hoc bellum molitum fuisse. Parthus nempe renidet, id est, arroganter ridet, hiantibus leviter labiis, adjecisse, hoc est, quod adjecerit suis torquibus, quos antea admodum exiguos habuerat, praedam, id est, militibus Romanis, maxime equitibus, detractos torques aureos. Sensus ergo est: superinduit exiguis suis torquibus majores et aureos equitum Romanorum, istaque praeda se jactat, cum irrisione nostri.

Paene [9]) occupatam seditionibus
Delevit Urbem Dacus [10]) et Aethiops [11]):
Hic classe formidatus, ille
Missilibus melior sagittis.
Fecunda [12]) culpae saecula nuptias
Primum inquinavere, et genus, et domos:
Hoc [13]) fonte derivata clades
In patriam populumque fluxit.
Motus [14]) doceri gaudet Jonicos [15])
Matura virgo, et fingitur [16]) artibus
Jam nunc, et incestos amores
De tenero [17]) meditatur ungui.
Non [18]) his juventus orta parentibus

9) Aliud impietatis genus subjicit poëta, bella civilia; quibus Deos adeo populo Romano infensos fuisse factos ait, ut immissis externis hostibus urbem atque imperium Romanum paene deleverint.

10) Dacus, populus Europae septemtrionalis, ubi nunc Transilvania, Moldavia, Hungaria. Hujus incursiones Augustus repressit, tribus eorum ducibus caesis; erat autem hic populus peritus sagittandi arte.

11) Aethiopes vero vocantur hic Aegyptii, qui in bello Aegyptiaco contra Augustum pro Cleopatra sua et pro Antonio pugnavere, navium copia atque magnitudine formidati.

12) Altera calamitatum origo: Mores antiqui adulteriis, omnium flagitiorum seminariis, potissimum subversi atque prostrati. Sensus: aetas ista flagitiorum ferax, connubia primum corripuit, genus atque familias inquinavit adulteriis, id est: primam morum labem adulteriis contraxere nostra saecula; nam depravarunt haec adulteria genus, id est, sobolem, ita, ut non solum in corpus, sed etiam in animum liberorum transfusa sit turpitudinis macula. Atque sic fieri haud poterat, quin malum istud per plures domos seu familias propagatum universam tandem civitatem invaderet.

13) Sententia: hic fuit fons, unde profluxit patriae, totiusque populi labes.

14) Hinc illud est, quod a tenerrima statim aetate feminae non tam prava institutione, quam ipsa natura duce, ad omnem lasciviam ac nequitiam proclives ferantur. Sensus: postquam puella adolevit saltationis Jonicae modos omnes cupide discit, et ea jam aetate, nequitiae artibus cunctis imbuitur, adhucque tenera, nefarios amores incipit cogitare.

15) Jonum mollitia atque lascivia prae ceteris Asiae populis nota erat, adeo quidem, ut proverbio traducerentur ipsorum saltationes ac lasciviores gestus. Vocabulum igitur, motus non tantum ad saltationes, sed omnino ad gestum, habitum corporis atque incessum referendum est.

16) Fingitur, id est, instituitur in artibus his cunctis nequitiae jam nunc, in tam tenera adhuc aetate.

17) De tenero ungui, id est: inde a prima aetate.

18) Flagitiosae saeculi hujus libidini, capitali reipublicae pesti, graviter opponitur antiquae simplicitatis, frugalitatis, severiorisque disciplinae, quibus

Infecit [19]) aequor sanguine Punico,
Pyrrhumque [20]) et ingentem cecidit
Antiochum [21]), Hannibalemque [22]) dirum:
Sed [23]) rusticorum mascula militum
Proles [24]), Sabellis [25]) docta [26]) ligonibus
Versare glebas, et severae
Matris [27]) ad arbitrium recisos
Portare fustes; sol [28]) ubi montium
Mutaret umbras, et juga [29]) demeret
Bobus fatigatis, amicum
Tempus agens [30]) abeunte curru.
Damnosa [31]) quid non imminuit dies?

domi militiaeque majores inclaruerunt, remque Romanam ad summum fastigium evexerant imago sanctissima. Non his tam mollibus flagitiosis parentibus orta erat illa juventus, proles, quae maximas olim res terra marique patraret, maximosque exercitus deleret.

19) Infecit: profudit mari sanguinem Carthaginiensium.

20) Pyrrhus rex Epirotarum in Graecia, a Tarentinis in auxilium vocatus adversus Romanos, hisque aliquot proeliis superior, tandem a Curio Cons. ad internecionem victus est. A. u. 480.

21) Antiochus, rex Syriae Hannibalis impulsu Romanos bello adgressus, primum mari, duce Aemilio Regillo, dein terra ab Acilio Glabrione et Corn. Scipione devictus est. A. u. 567. Ingens dicitur, quod tanto adparatu illud adversus Romanos bellum moliretur, ut vix aliud formidolosius fama videretur.

22) De Hannibale vide L. II. od. 9. not. 3.

23) Sensus: sed hi ruri nati educatique, sub dio opere rustico faciendo membra ad omnium laborum tolerantiam firmaverant.

24) Proles rusticorum militum: prognati a parentibus rusticis, luxuria ac desidia haud corruptis, sed militia, agriculturaeque studio induratis; unde mascula, robusta, fortis.

25) Sabellis, id est, Sabinis. Erant illi Italiae populus, apud quem diutissime viguit illa morum asperitas, continentia, laborumque tolerantia, quae eos militiae aptissimos efficeret.

26) Docta a pueritia, ad rusticorum operum molestias adsuefacta. Pro rusticis operibus ponit poëta enumerationem horum operum.

27) Matris severae, seu durae ad arbitrium, id est, jussu portare fustes, intellige ligna seu sarmenta, coenae adparandae inservientia.

28) Sol ubi etc. Vesperi cadente sole, qui umbras montium projicit in aliam partem, atque illam, in quam oriens eas projiciebat.

29) Juga: sol demit, detrahit, solvit juga bobus fatigatis, opere diurno fessis; suaviter, quatenus occasus ejus detrahenda ea admonet.

30) Agens: id est, adducens amicum, jucundum illis tempus noctis, cessationem ab opere diurno, requiem, properante versus occasum solis ipsius curru.

31) Damnosa, quae omnia consumit. Sensus: sic tempus omnia carpit successu temporis omnia deteriora fiunt.

Actas [32]) parentum, pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Ode VII.

Ad Maecenatem.

Occasio et argumentum.

Maecenas, quum Calendis Martiis, ipso adeo Matronalium die, ad festas epulas ab Horatio invitatus esset, neque, quid poëta sibi caelibi cum importuno solennium adparatu vellet, perspiceret; ingenue ipsum, ne mala sedulitate risum moveret, monuerat. Horatius igitur respondet Maecenati hoc carmine, veraque sacri causa exposita, ut huncce diem sepositis curis publicis, erat enim tum temporis Maecenas praefectus Urbi, hilarissime secum agat, adhortatur. E versu 17 patet, hoc carmen ad a. u. 734 referendum esse.

Metrum, quod L. I. od. 2.

Martiis [1]) caelebs quid agam Calendis,
Quid velint flores, et acerra [2]) thuris
Plena, miraris, positusque carbo [3])
Cespite vivo,
Docte [4]) sermones utriusque linguae.
Voveram [5]) dulces epulas, et album

32) Aetas parentum, id est, qua parentes nostri vixerunt. Sensus: nostri parentes erant avis nequiores, nos parentibus sumus, et nostri liberi nobis erunt.

1) Sacrae Junoni, utpote conjugiorum praesidi, erant Calendae Martiae, magnaque eas matronae prosequebantur religione, sacra isto die Junoni pro conjugii felicitate facientes; unde Matronalium nomine ipse iste dies festus insignitus erat. Viri suis uxoribus hoc die munera floresque missitabant. Cum autem Horatius sine uxore esset, bene inducitur interrogans illum Maecenas, quid sibi vellet festivus ille adparatus?

2) Acerra, thuris vasculum, unde thus in foco ad olendum expromebatur.

3) Carbo: carbones positi, ingesti cespiti vivo, seu arae e cespite viridi exstructae, quales in privatis sacrificiis usitatae erant.

4) Docte, id est: qui probe calles sermones tam Graecae quam Latinae linguae. Sensus: O Maecenas, qui Latinam et Graecam linguam egregie doctus es, miraris quid agam, quid mihi velim cum isto sacrificio? etc.

5) Poëta Baccho, seu Libero, qui praesentissimum mortis periculum, arboris trunco ipsi intentatum, a cervicibus suis depulisset, sacrum se voti-

Libero caprum [6]), prope funeratus
Arboris ictu.
Hic [7]) dies anno redeunte festus
Corticem adstrictum pice demovebit
Amphorae, fumum [8]) bibere institutae
Consule Tullo.
Sume [9]), Maecenas, cyathos amici
Sospitis [10]) centum [11]), et vigiles lucernas
Perfer [12]) in lucem: procul omnis esto
Clamor et ira.
Mitte [13]) civiles super Urbe curas:
Occidit [14]) Daci Cotisonis [15]) agmen:
Medus [16]) infestus sibi luctuosis
Dissidet armis:

vum isto die debere ait, tamquam agresti, ac speciatim hortorum, eidemque poëtarum tutelari numini. Vide L. II. od. 10.

6) Caprum album offert, quia hoc animal sacrum erat Baccho, et quia Diis inferis atrae, superis vero candidae immolabantur hostiae.

7) Sensus: hic dies festus, mihi solennis erit anno in se redeunte, seu quotannis; et pro vulgari: hoc die demovebitur, detrahetur cortex seu suber, pice adstrictus, obturatus, amphorae, dicit poëta: dies festus demovebit, detrahet amphorae suber; subere enim claudi solebant vini amphorae.

8) Sensus vulgaris: amphorae optimae notae, quae vetustissimum vinum continet; et pro hoc dicit poëta: amphorae institutae seu destinatae fumum bibere, seu ad fumum maturitatemque contrahendam, id est: amphorae in fumario repositae Consule Tullo a. u. 688. Erat autem mos veterum, vina in superiore aedium parte, quae fumo pervia erat, unde vetuscerent, amaritudinemque contraherent, reponendi. Voluit ergo poëta per hanc hyperbolem vinum vetustissimum indicare, quod bibiturus sit in honorem Bacchi hoc festo die.

9) Praeclare poëta, adparando convivio intentus, ipsum statim repraesentat, et convivas ad bibendum exhortatur.

10) Sospitis: in gratiam amici gravissimo periculo liberati.

11) Centum: magnam omnino isto die bibendi copiam designat.

12) Perfer, id est: fac, ut continuent usque ad lucem lucernae. Sensus: Producito convivium usque ad diem; compotemus, lucernis accensis, et vigilemus in lucem, sed sine rixis et clamore, quo saepe compotores debacchantur.

13) Sententia: Totum te hodie da mihi, et recte animum civilibus curis exsolvere potes, quum ab externo hoste omnia tuta sint. Erat scilicet Maecenas tum temporis a. u. 734 praefectus Urbi, absente atque occupato in Oriente Augusto cum Phraate Parthorum rege, cujus adeo vices per totam Italiam sustinebat.

14) Securitatem imperii externam ostendit poëta adnumeratis, qui nuper victi subactique essent, populis.

15) Daci fines Romanos continuis incursionibus infestantes, duce rege ipsorum Cotisone, occiderunt, gravissima clade adfecti sunt a Lentulo a. u. 734.

16) Medus, id est, Parthi infesti nobis, sibi dissident, discordant inter se

Servit Hispanae vetus hostis orae,
Cantaber [17]), sera domitus catena;
Jam Scythae [18]) laxo [19]) meditantur arcu
Cedere campis.
Negligens [20]), ne qua populus laboret,
Parce privatus nimium cavere;
Dona praesentis cape laetus horae, et
Linque [21]) severa.

Ode VIII.

Ad Mercurium.

Argumentum.

Lydes, puellae asperae et feroculae, animum carmine exoraturus poëta, Mercurium, inventorem Lyrae, ipsamque lyram, tanquam numen, invocat, ut sibi in re tam ardua ac difficultatis plena praesto sint, ipsique modos suppeditent, quibus Lydes duritia emolliatur. Invocationi laudes ac virtutes lyrae, more priscorum hymnorum, adnectit, itaque ad loca infera delatus, effectus ejus in summis Inferni cruciatibus gravissimos ac plane stupendos vividissime designat, sicque fortuito potius, quam quaesito transitu in Danaidum saevitia, hujusque poena exponenda immoratur; scilicet gravissima crudelissimarum Danaidum poena exposita Horatius Lyden docere voluisse putandus est, superbiam illam delicatam atque fastidiosam a Diis gravissime vindicari.

armis luctuosis, bellis civilibus; discordia civili, quae vires ipsorum atterit. Respicit autem poëta intestinas post Phraatem a Scytharum rege solio redditum in ejus regno turbas, Teridatis, regno dejecti, partibus ob immanem illius crudelitatem continuo rebellantibus. Vide L. II. od. 2. not. 23. Atque inter ipsa haec bella civilia Romanis signa cum captivis a Phraate, metu externi belli, hoc ipso anno 734 reddita fuisse constat.

17) Cantabri, bellicosissima Hispaniae septentrionalis natio, hoc ipso demum anno, post insignes clades, ac difficulter admodum ab Agrippa devicta est; ac proinde servit, plane subjugata est haec natio, quae jam diu seu vetus hostis Romanorum fuit; cui etiam respondet, sera catena.

18) Scythae sunt Istri accolae, et hos ultra Istrum a Lentulo submotos designant illa: meditantur, maxime in eo sunt, ut coacti a Lentulo cedant, excedant campis citerioris Istri ripae, finibus Romanis, quos continuis incursionibus vexaverant.

19) Laxo, id est, laxato, inutili arcu.

20) Sensus: quo circa, missis curis civilibus, quibus recte supersedere potes, da te hodie hilarem. Negligens, id est, remittens paulisper curam, qua reipublicae providebas, parce, seu fuge, cum tu sis privatus, nimium cavere et sollicitus esse, ne quid populus detrimenti capiat, ne qua parte laboret. Fuit enim praefectura Urbis non tam magistratus ordinarius, quam commissum ad tempus officium; ne per absentiam Caesarum deesset Romae rector, et tamquam imperii vicarius.

21) Linque severa, id est: omissis seriis, abjectis curis cape, ne elabi sine, fruere laetus donis horae seu temporis; intellige: vitam, valetudinem, epulas.

Metrum, ut L. I. carm. 2.

Mercuri [1]), nam te docilis magistro
Movit Amphion [2]) lapides canendo,
Tuque testudo [3]), resonare septem
Callida [4]) nervis,
Nec loquax [5]) olim, neque grata; nunc et
Divitum mensis, et amica templis;
Dic [6]) modos, Lyde quibus obstinatas
Adplicet aures.
Tu [7]) potes tigres, comitesque silvas
Ducere [8]) et rivos celeres morari.
Cessit immanis tibi blandienti
Janitor aulae,

---

1) Mercurium invocat poëta, tamquam inventorem lyrae, ejusdemque scite pulsandae artificem solertissimum. Vide Myth.

2) Amphion, Jovis et Antiopes filius, haec fuit uxor Lyci regis Thebanorum, cumque in Citherone monte gemellos edidisset, Amphionem et Zetum, inventos pueros educarunt pastores. Amphion cithara delectatus, quam a Mercurio acceperat, ad ejus sonum Thebarum muros exstruxit. Zetus venationem adamavit. Dicitur eapropter de Amphione: docilis te magistro, id est, edoctus a te, usus te magistro, tua opera movit, effecit canendo, ut lapides moverentur, mutuoque nexu in muros Thebanos erigerentur.

3) Testudo posita est pro lyra. Eam invenit Mercurius et compegit primo e testudinis tergo et tegmine, quod cavum est, additis 7 chordis. Myth.

4) Callida, quae calles resonare, quae scite resonas, septem nervis seu chordis instructa.

5) Nec loquax: quae non eras canora, apta ad canendum, priusquam Mercurius te nervis instruxisset, et ideo etiam nec grata; ast nunc amica, frequenter adhibita in lautioribus epulis, et templis Deorum, festisque sacris, choreis celebrari solitis.

6) Dic modos: O Mercuri, o lyra mea, doce me carmina, quae Lyde libenter audiat.

7) Tu potes etc. Suam lyram alloquitur, et ei adtribuit effecta Orpheae lyrae. Myth.

8) Comites ducere, id est, movere, ut cantum tuum sequerentur.

9) De Cerbero vide Myth. Est janitor aulae seu Inferorum, excubans

Cerberus [9]); quamvis furiale [10]) centum
Muniant angues caput ejus, atque
Spiritus [11]) teter saniesque manet
Ore trilingui.
Quin [12]) et Ixion [13]), Tityosque [14]) vultu
Risit invito [15]): stetit [16]) urna paullum
Sicca, dum grato Danai puellas
Carmine mulces.
Audiat Lyde scelus atque notas
Virginum [17]) poenas, et inane [18]) lymphae
Dolium fundo pereuntis imo,
Seraque fata [19]),

in limine, vestibulo immani vastae, horrendae Plutonis regiae. Cum Orpheus descendisset ad Inferos Eurydicem, conjugem suam, repetiturus, Cerberus eidem cessit, non prohibuit eum aditu. Vide Myth.

10) Furiale caput, id est, anguibus hirsutum, ut caput Furiarum.

11) Spiritus, anhelitus tetri, foedi odoris, et sanies, spuma tetra pestilens, tabum manet, profluat ex tribus ejus oris.

12) Quin et ii, qui Tartaro inclusi scelerum poenas luunt, lyrae suavitate permulcentur, dolores minus sentiunt, cantu deliniti.

13) Ixion, cum Junonem temerare voluisset, dejectus in Inferos fuit, et rotae, quae perpetuo circumagitur, adfixus.

14) Tityus aeternas incontinentiae suae poenas apud inferos luit. Vide L. II. od. 11. not. 5.

15) Invito, id est, voluptatem cepere tuo cantu, hocque vultu prodiderunt invito, quem ad hilaritatem componere admodum difficile erat, propter summos cruciatus, quibus continuo adficerentur.

16) Sententia vulgaris: etiam Danaides laborum oblitae sunt, tuo cantu attonitae. Urnae Danaidum, quibus aquam haustam in dolium pertusum et rimosum infundunt, siccae aliquamdiu manserunt, illis te audientibus, et laborem omittentibus.

17) Virginum, id est, Danaidum; sic vocantur a patre Danao Argivorum rege; adpellantur etiam Belides ab avo suo Belo. Aegyptus et Danaus fratres fuere, Beli filii: Aegyptus filios habebat 50 quibus uxores a fratre Danao petiit totidem ejusdem Danai filias: adnuit Danaus, sed, cum accepisset oraculum, se ab uno e suis generis necandum esse, filiabus suis imperavit, ut suos singulae sponsos mactarent noctu, quod omnes, praeter Hypermnestram, fecere. Damnatae sunt eapropter ad poenam commemoratam not. 16.

18) Ordo est: et audiat dolium inane lymphae pereuntis, seu effluentis, in imo ejusdem dolii fundo, pertuso scilicet. Inane dolium, pro, vacuum aqua, nunquam aqua plenum.

19) Fata: poenas a fatis destinatas; sera vocat, quia post mortem inferuntur sceleratis sub Orco, quae viventibus jam inferri debuerant; vel quia nullo exitu terminanda sunt. Sensus ergo est: audiat Lyde, perpendat, Danaidum exemplo admonita superbiam exuat.

Quae manent [20]) culpas etiam sub Orco.
Impiae, nam quid potuere majus [21])?
Impiae [22]) sponsos potuere duro
Perdere [23]) ferro.
Una de multis, face [24]) nuptiali
Digna, perjurum [25]) fuit in parentem
Splendide [26]) mendax, et in omne virgo
Nobilis [27]) aevum:
"Surge, quae dixit juveni marito [28]),
Surge, ne longus tibi somnus [29]), unde [30])
Non times, detur; socerum et scelestas
Falle [31]) sorores,
Quae, velut nactae [32]) vitulos leaenae,
Singulos, eheu! lacerant: ego illis
Mollior [33]), nec te feriam [34]), neque intra
Claustra [35]) tenebo.
Me pater [36]) saevis oneret catenis,

20) Quae manent: Quae fata, quae poenae destinatae fato inevitabili manent, constitutae sunt culpis, id est, sceleratis hominibus etiam post mortem.

21) Majus, crudelius, subaudi: facere?

22) In repitito, impiae, magna vis est: crudeles, detestandae, execrabiles.

23) Perdere duro ferro, id est: occidere ense immiti, ad scelus praecusso et adhibito.

24) Face nuptiali, id est, propter humanitatis sensum tali conjuge digna. Facem nuptialem vocat matrimonium, quia ad faces noctibus nubebant.

25) Perjurum: jura hospitalia violantem, perfidum, scelestum parentem Danaum.

26) Splendide, gloriose, pulchre mendax, id est, fallens, promissis jure jurando confirmatis non stando; mendacium enim hoc Hypermnestrae maximae laudi cedebat, honorificentissimum erat.

27) Nobilis puella, cujus generosus animus, humanitas in omne aevum, ad omnem posteritatem vigebit.

28) Juveni marito, id est, Lynceo.

29) Longus somnus, id est, mors.

30) Unde non times: ab ea manu, quae tibi suspecta non est, a me; aut a Danao, si te vivum offendat.

31) Falle: clam socero Danao et sororibus meis scelestis aufuge.

32) Nactae: quemadmodum leaenae, quae inciderunt in vitulos, ita sorores suum quaeque trucidant sponsum.

33) Mollior. Ego tantum facinus in me non admittam, molliore, humaniore sensu praedita.

34) Feriam, non occidam.

35) Claustra: nec etiam thalamo inclusum servabo, ab aliis necandum; fugam tuam non cohibebo.

36) Sensus: etiamsi vincula, atque extrema omnia mihi impendeant; modo

Quod viro clemens misero peperci;
Me [37]) vel extremos Numidarum [38]) in agros
Classe releget [39]).
I, pedes [40]) quo te rapiunt et aurae,
Dum favet nox et Venus [41]): i secundo [42])
Omine; et nostri memorem sepulcro
Scalpe [43]) querelam.

Ode IX.

Ad fontem Blandusiam.

Argumentum.

Laudes fontis Blandusiae, qui haud longe a villa sua sub monte Lucretili profluebat, poëta a limpidissima ejus aqua locique amoenitate repetit, quibus adeo delenitur, ut sacrificium in posterum diem ei promittat, immortalitatique sese eum carmine consecraturum gratus spondeat.

Metrum, ut L. I. carm. 12.

O fons Blandusiae [1]), splendidior [2]) vitro,
Dulci digne [3]) mero, non sine floribus,

Lynceus meus sospes evadat. Et pro hoc dicit poëta: Licet me pater in vincula conjiciat, propterea, quod clemens fuerim erga virum, eique pepercerim.

37) Me patria extorrem agat, exsulem patria proturbet. Quae poena iis infligi solebat, quos propter consanguinitatem ultimo supplicio adficere nefas putabatur.

38) Numidarum, id est: Africae.

39) Releget, id est: in exsilium mittat classe, seu navi.

40) I, pedes etc.: sententia: proripe te hinc quam potes velocissime quocumque, vel terra vel mari, dum eundi tibi potestas est. Illud, quocunque, proverbiali locutione expressit poëta, quo pedes ferunt, et venti te impellunt. Rapiunt et aurae: festinationis rationem exprimunt.

41) Venus, id est, ob meum in te amorem et pietatem.

42) Secundo, hoc est: fausto omine.

43) Scalpe: incide mei sepulcri monumento querelam, hoc est, epigraphen, miserrimi fati indicem, si mortua fuero crudelitate patris; nostri memorem, id est: qua significes te nostri, mei amoris, et vitae, meo beneficio tibi servatae, meminisse.

1) Blandusia, quam nonnulli etiam Bandusiam vocant, fons est in Sabinorum finibus, ubi Horatius villam habebat, a Maecenate donatam.

2) Splendidior, id est: perlucidior, purior vitro, cujus aqua limpidissima est.

3) Digne mero: qui dignus es, cui fiat sacrificium, fontium numini fier solitum, sparsis floribus et mero.

Cras donaberis haedo [4]),
Cui frons turgida [5]) cornibus
Primis, et Venerem et proelia destinat;
Frustra [6]): nam gelidos inficiet tibi
Rubro sanguine rivos
Lascivi soboles gregis.
Te flagrantis atrox hora [7]) Caniculae [8])
Nescit tangere [9]): tu frigus [10]) amabile
Fessis vomere tauris
Praebes, et pecori vago.
Fies [11]) nobilium tu quoque fontium,
Me dicente [12]) cavis impositam ilicem
Saxis, unde [13]) loquaces
Lymphae [14]) desiliunt [15]) tuae.

4) Haedus cras tibi immolabitur, seu numini, quod tibi praesidet. Sua enim singulis fontibus esse credebantur numina, unde etiam sacri saepe adpellantur. Vult scilicet sacrum tribus rebus absolvi poëta, vino libando, floribus spargendis, et haedo mactando. Sensus simplex ergo: cras vino, floribus, haedo sacrum tibi parabo. His autem tribus fontis Genio, Nymphisque fontanis, uti omnino Diis agrestibus, ad quos isti referendi sunt, rem divinam factam esse, explorata res est.

5) Turgida: e cujus fronte prorumpunt prima cornua; sed quum nascentia cornua haedi maturitatem indicent, qua ad Venerem exstimuletur, docte poëta frontem ejus turgidam, ait, destinare, hoc est, adpetere, cupere Venerem, et proelia propter hanc ipsam Venerem cum aliis haedis.

6) Sed frustra; nam tibi in honorem, o fons, tinget sanguine rivos, seu aquas tuas gelidas soboles gregis lascivi, id est: haedus ille lascivus mactabitur.

7) Hora, de quavis anni tempestate; hic autem designatur calida tempestas, aestivum tempus, quo saevire solet Canicula.

8) Canicula est sidus, quo circa medium Julium exoriente maximi calores excitantur.

9) Nescit tangere, id est: non potest te attingere, ad te penetrare, ob densum, quod circa et supra est, nemus.

10) Frigus amabile, id est: tu gratam umbram refrigerium praebes; umbris aquisque tuis refrigeras tauros, vomere, seu arando in aprico solo fessos, et pecus vagum seu pascens.

11) Tu quoque fies unus fontium, poëtarum carminibus nobilium illustrium.

12) Me dicente: id est: cum ego laudabo quercum, quae imminet rupi, e qua fluis.

13) Unde, id est: e quibus saxis.

14) Lymphae loquaces, garrulae, suaviter strepentes.

15) Desiliunt, defluunt, decurrunt.

Ode X.

Augusti laudes.

Occasio et argumentum.

Quum Britanni, in quos a. u. 727 Augustus, exercitu in Galliam ducto, bellum translaturus videbatur, pacem per legatos ab eo obtinuissent, idem, Galliae rebus, quae per intestinos motus turbatae essent, iterum compositis, quum adversus Cantabros, imperium Romanum detrectantes, belli molem convertisset, subito gravi morbo implicitus Tarracone subsistere cogebatur. Quum igitur perdomitae Cantabrorum gentis, felicisque Augusti fama reditus, spe citioris, Romam perlata esset, poëta publica populo Romano solennia hoc carmine indicit, ad eaque privata cujusque laetitia prosequenda suo ipsius exemplo hortatur. Ab initio itaque publicos familiae Augusti, totiusque populi laetitiae sensus manifestat; in fine autem suos privatim exponit.

Metrum, quod L. I. carm. 2.

Herculis [1]) ritu [2]), modo dictus, o plebs,
Morte [3]) venalem petiisse laurum,
Caesar, Hispana repetit Penates [4])
Victor [5]) ab ora.
Unico [6]) gaudens mulier marito

1) Comparat poëta Augustum cum Hercule, qui olim in Hispaniam profectus, illius regem Geryonem superavit. Ordo est: o plebs, o Quirites, Caesar Augustus, qui modo, qui nuper vobis dictus est, laurum et victoriam de Cantabris, Hispaniae populo, morte venalem petiisse, instar Herculis, repetit victor domum ab Hispania.

2) Ritu, id est, more et exemplo Herculis.

3) Morte venalem laurum: victoriam sanguine et periculo sui capitis emendam. Alludit hic ad morbum Augusti, quo laboravit Tarracone in Hispania Tarraconensi, in qua regione etiam Cantabri habitabant.

4) Penates. Dii domestici, pro ipsa domo ponuntur. Vide Myth.

5) Victor: de Cantabris.

6) Supplicationes pro felici Augusti reditu ad omnia Deorum pulvinaria decretas magnifice persequitur poëta, pompam matronarum, vota pro maritorum, fratrum, filiorum, generorum denique reditu suscepta, inter sacra publica solventium, sigillatim exponendo. Sensus: mulier, Livia, id est, uxor Augusti, gaudens marito unico, hoc est, uxor mariti plane singularis, egregii, prodeat obviam Caesari, postquam sacrificia obtulerit Diis justis, qui Augustum, id merentem, et belli et morbi periculo liberaverunt.

Prodeat, justis operata [7]) Divis;
Et soror [8]) clari ducis, et decorae
Supplice vitta
Virginum matres [9]), juvenumque [10]) nuper
Sospitum. Vos [11]) o pueri et puellae
Jam virûm expertes, male [12]) ominatis
Parcite verbis.
Hic [13]) dies vere mihi festus atras
Eximet curas: ego nec tumultum [14]),
Nec mori [15]) per vim metuam, tenente
Caesare terras.
I, pete [16]) unguentum, puer, et coronas,
Et cadum Marsi [17]) memorem duelli,
Spartacum [18]) si qua potuit vagantem
Fallere testa.

7) Operari idem ac, facere, sacrificare.

8) Soror Augusti, Octavia, Antonii nuper demortui uxor.

9) Tum matres decorae more supplicantium, pro vulgari: supplicaturae, vota exsoluturae pro generorum ac filiorum reditu. In publicis enim supplicationibus solebant matronae Romanae caput et manus taeniolis quibusdam sacris ornare.

10) Juvenum sospitum, qui nuper e bello Cantabrico sospites reverterunt.

11) Jam ad eos se convertit poëta, quibus bellum istud lugendi materiam praebuerit, monetque, ne importunis lamentis ac querelis sacrorum solennitatem interturbent. Ex his nominat pueros patribus, et puellas tam mature jam virorum expertes, id est, orbatos per istud bellum.

12) Sensus: abstinete verbis sinistri ominis infaustis, rem divinam profanantibus, id est: lamentis et querelis.

13) Privata jam cujusque cum publica certet laetitia. Pro hoc suo ipsius exemplo statim, quo fortius eundem in aliis sensum excitaret, poëta Augusti reditum celebrandum proponit. Sensus: hic dies vere mihi festus erit, aut hoc die omnes curas missum faciam, totum me hilaritati tradam.

14) Tumultum, id est: bellum civile.

15) Mori per vim: mortem violentam per tales civiles tumultus.

16) Percenset adparatus convivalis solennia: unguenta, coronas, vinum; hoc peti, adferri jubet vetustissimum, alloquiturque puerum seu servum.

17) Vetustatem vini designat a bello Marsico; solebant enim, ut saepe dictum antea, inscribere in operculo cadi, seu dolii, quo anno vinum conditum sit. Bellum porro Marsicum etiam sociale dicitur, quia fuerat conflatum a sociis Italiae populis et foederatis; qui cum jus civitatis sibi promissum obtinere non possent, arma ceperunt. Hos inter quia praecipui Marsi erant, Marsicum est vocatum. Incidit in a. u. 663.

18) Si qua ratione, vel si forte aliqua testa potuit fallere, id est, latere Spartacum vagantem per totam Italiam, et eam devastantem. Fuit autem Spartacus gladiator celebris, qui aliquot annis post bellum sociale, excitavit servile, pro libertate obtinenda vel potius extorquenda, confluentibus

Dic et argutae [19]) properet Neaerae
Myrrheum [20]) nodo cohibere crinem:
Si per [21]) invisum mora janitorem
Fiet, abito.
Lenit [22]) albescens animos capillus
Litium, et rixae cupidos protervae:
Non [23]) ego hoc ferrem calidus juventa,
Consule Planco [24]).

Ode XI.

Ad Maecenatem.

Argumentum.

Sententia, aurum summi materiem mali esse atque irritamentum, exemplis, fabulosis pariter atque historicis, exposita, ad excutiendam possessorum ejus conditionem progreditur poëta, eamque miserrimam esse, adlatis judicii sui causis pronunciat. Tum suo ipsius exemplo, hominem mediocri sorte sua contentum et istis divitum miseriis carere, et felicitatis sensu frui jucundissimo, seque adeo Sabino suo praediolo mortalium felicissimum esse ostendit.

---

undique servis ad Spartacum, qui tandem oppressus est post unam alteramve victoriam reportatam a. u. 681.

19) Argutae: scite et eleganter canenti. Erat fidicina, psaltria Neaera, quales saepe in conviviis adhibebant. Eam Horatius per servum arcessi jubet celerrime.

20) Sensus: dic, properet cohibere, id est propere constringat crinem myrrheum, myrrhae unguento delibutum, in nodum, et veniat; hoc enim sine ullo temporis impendio fieri poterat.

21) Sensus: quod si te morabitur, non statim intromittet janitor invisus, quatenus nempe moratur puerum; illico redito, abito, ne scilicet commissatio longius differatur.

22) Quae sequuntur, per digressionem addita sunt. Sensus: ego aetate provectior, aequiore repulsae injuriam fero animo, quam quum juvenis essem. Et pro hoc poëta: albus capillus, seu senectus lenit, mitigat animum cupidum seu proclivem in lites et rixas protervas seu insultantes.

23) Sensus: ego talem repulsam non tulissem a janitore, cum adhuc calidus essem juventa, per juventutem calidior.

24) Plancus Consul fuit a. u. 712, cum Horatius annum egit 23ium.

Metrum, quod L. I. od. 5.

Inclusam [1]) Danaën [2]) turris ahenea,
Robustaeque fores, et vigilum canum [3])
Tristes excubiae munierant satis
Nocturnis ab adulteris:
Si non Acrisium, virginis abditae
Custodem [4]) pavidum, Jupiter et Venus [5])
Risissent [6]): fore [7]) enim tutum iter et patens
Converso in pretium Deo [8]).
Aurum [9]) per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo: Concidit Auguris [10])
Argivi domus, ob lucrum
Demersa exitio: diffidit urbium
Portas vir Macedo [11]), et subruit aemulos

---

1) Sententiam, maximam esse auri vim, nihil tam munitum esse, quod expugnari pecunia non possit, poëta, quo fortius animum percelleret, illustribus statim exemplis, e mythica aetate petitis communit.

2) Danaë erat Acrisii filia, regis Argivorum. Audierat Acrisius se a nepote vita privatum iri; quare filiam, ne quis ex ea nasceretur, ahena turri incluserat. Jupiter in pluviam auream conversus, Perseum ex ea suscepit, a quo Acrisius interfectus est. Huic fabulae occasionem dedit Proetus Acrisii frater, qui, corruptis auro custodibus, aditum ad Danaën invenit.

3) Canum excubiae: canes ante fores excubantes, vigilantes: tristes, id est, molestae et graves adulteris seu amatoribus; tristes eos facientes, dum non admittuntur.

4) Custodem pavidum: Danaën sollicite custodientem, oraculi metu.

5) Venus, qua Dea amoris, hic adducta est propter furtum amatorium.

6) Risissent, id est, conatus ejus irritos reddidissent.

7) Fore enim, subaudi: sciebant.

8) Deo, id est, Jovi in aurum converso, quatenus id pretiosum est.

9) Nunc demum generalis subjicitur sententia, nihil esse potentius auro.

10) Auguris Argivi; Amphiarai familia, qui, cum, ut erat augur optimus, intellexisset, periturum se in bello Thebano, quod agitabant Polynices et Adrastus, cujus sororem Eriphylem Amphiaraus duxerat, adduci non poterat, ut ad illud proficisceretur; donec Adrastus monile, auro et gemmis praestans, Eriphylae dedit; quo illecta persuasit viro, ut bellum peteret; in quo ipse, terra dehiscente, haustus est. Eriphyle postea fuit ab Alcmaeone filio interemta; Alcmaeon ab Adrasto et Polynice: Amphilocus etiam, Alcmaeonis frater, in bello Thebano periit. Ita ob unius mulieris avaritiam tota domus Amphiarai exitio demersa est, id est, exstincta, eversa.

11) Vir Macedo: Philippus rex Macedoniae, Alexandri magni pater, quem constat triumphos suos auro magis, quo corrumperet exercituum, urbium, classium praefectos, quam armis et virtuti debuisse; Graeciaeque mercatorem potius, quam victorem fuisse. Quapropter dicitur de illo: Diffi-

Reges muneribus. Munera [12]) navium
Saevos illaqueant duces.
Crescentem [13]) sequitur cura pecuniam,
Majorumque fames. Jure [14]) perhorrui
Late conspicuum tollere verticem,
Maecenas, equitum decus.
Quanto [15]) quisque sibi plura negaverit,
A Dîs plura feret. Nil cupientium
Nudus castra [16]) peto; et transfuga divitum
Partes linquere gestio [17]),
Contemtae [18]) dominus splendidior rei,
Quam si, quidquid arat impiger Appulus [19]),

dit, diffregit, aperuit urbium portas, et subruit, subvertit, devicit reges, potentiae ac gloriae ejus aemulos, muneribus, id est, corruptis ducibus exercituum etc. Historicum exemplum.

12) Munera blandis insidiis illaqueant, inescant vel navium duces, quantumvis ingenio saevo, truci, horrido. Referunt hoc ad Menam, Pompeji classi praefectum, qui, deserto eo, ad Augustum 716 desciscere, mox, eo relicto, ad Pompeji iterum partes transiret, indeque iterum ad Augustum sese conferret.

13) Nexus sententiarum: quantacunque autem divitiarum vis sit, neutiquam tamen eas, propter innumera mala, quibus possessorem suum adfligunt, expetendae sunt. Etenim (ita statim continuat sensum poëta, omissa generali sententia) tantum abest, ut felicem praestent sui possidentem, ut potius gravissimis curis continuo premant ac obruant. Miseria ista cernitur in cura, studio, cupiditate augendarum opum, id est: in fame majorum opum, quae sequitur crescentem pecuniam, quae pariter, cum pecunia augetur, sicque omnem vitae fructum intercipit.

14) Nexus: quae ipsa causa est, cur divitias minime expetendas putem. Et pro hoc: Perhorrui, aversatus sum, nolui unquam late conspicuum tollere verticem, id est, insignis esse, splendere, scilicet opibus, et quae iis parantur, dignitate et honoribus.

15) Sententia: is demum beatus erit, qui sorte sua contentus degit; quando quidem nullis cupiditatibus vexatus, neque augendarum opum studio maceratus, rebus, quas habet modicas, secure atque jucunde fruitur. Et pro hoc poëta: quo plura quisque sibi animo negaverit; quo magis cupiditatem habendi compescuerit, tanto plura feret a Diis, id est, vere possidebit.

16) Castra peto: metaphora deducta a re bellica. Ego partes relinquo avarorum, et amplector partes illorum, qui nihil desiderant, pauper, et nihil ipse possidens aut cupiens, praeter id, quod satis est.

17) Gestio, id est: cupio relinquere.

18) Sensus: dumque ita de divitiis statuo, dominis splendidior sum, locupletior, omnino ditior sum; rei contemtae, id est: divitias contemnendo, nihili aestimando, adeoque nec concupiscendo etc.

19) Appuliae solum ferax; et agricolae laboriosi erant ibidem.

Occultare meis dicerer horreis,
Magnas [20]) inter opes inops.
Purae [21]) rivus aquae, silvaque jugerum
Paucorum, et segetis certa fides [22]) meae,
Fulgentem imperio fertilis Africae
Fallit [23]) sorte beatior.
Quamquam [24]) nec Calabrae [25]) mella ferunt apes,
Nec Laestrygonia [26]) Bacchus in amphora
Languescit [27]) mihi, nec pinguia Gallicis [28])
Crescunt vellera [29]) pascuis:
Importuna [30]) tamen pauperies abest;
Nec, si plura velim, tu dare [31]) deneges.
Contracto [32]) melius parvâ cupidine
Vectigalia porrigam,
Quam [33]) si Mygdoniis [34]) regnum Alyattei [35])

20) Magnas inter opes inops, id est: et semper tamen egerem, ob fruendi metum, et cupiditatem insatiabilem.

21) Sententia: ecce me Sabino meo agello opulentiorem altero, latissimas in Africa possessiones habente.

22) Certa fides segetis: pro, fidelis ager, fertilis, unde, quod satis est, mihi semper succrescit.

23) Id est: agellus meus fallit seu latet fulgentem imperio Africae, possessorem latifundiorum Africae, hoc est: ignoratur ei, quod agellus meus sit sorte beatior, opulentior, et proventus ubertate omnes istius possessiones exsuperet. Sensus: dives, qui totius Africae proventum colligit, vix sibi persuadebit, meum longe uberius esse praediolum.

24) Sententia vulgaris: quamquam meae res parum lautae sunt.

25) Calabria pars est extrema Italiae, prope Siciliam, ubi mel optimum.

26) Formiae, oppidum est Campaniae in Italia, ad quod olim Laestrygones, Siciliae populi, commigrarunt, in ejus agro vites optimae.

27) Bacchus languescit: vinum mitescit, vetustatem trahit.

28) Gallicis; nempe in Gallia Cisalpina, ad Padum fluvium, ubi laeta pascua.

29) Vellera pinguia: lana densa, spissa, qualis est ovium pinguium.

30) Importuna, molesta pauperies, ob quam homini nunquam quieto esse licet, quae continuo vexat, curisque obruit hominem etc.

31) Spectat hoc ad Maecenatis munificentiam erga Horatium.

32) Contracto cupidine: melius porrigam, latius extendam vectigalia, id est, reditus ex agris exiguos, hoc loco autem, ipsos agros, agellum meum Sabinum; dum contraho, coarcto, coërceo cupiditates, pauca desiderando etc.

33) Sensus: quam si longinquos Asiae tractus, eosque fertilissimos possideam, et pro hoc: quam si Mygdoniis campis regnum Alyattei jungam, continuem.

34) Phrygia adpellatur etiam Mygdonia, quia Mygdon fuit rex Phrygiae.

35) Alyattei, id est, Croesi, qui fuit filius Halyattis, et rex Lydiae in Asia minori ditissimus.

Campis continuem. Multa petentibus
Desunt multa. Bene [36]) est, cui Deus obtulit
Parca, quod satis est, manu.

Ode XII.

Ad Aelium Lamiam.

Occasio et argumentum.

Fuit Lamia nobilis genere, ordine, ac honoribus; deduxit originem suam a vetusto Lamo, Laestrygonum rege, et Formiarum conditore (vide od. praecedentem not. 26). Interfuit bello Cantabrico, et Augusto carus exstitit. Habuit praedium probabilius non procul Formiis ad fluvium Lirim, ubi commoratus est una cum Horatio percaro sibi amico atque hospite. Summam igitur viri hujus exspectationem, quam exordio fecerat, stemmate ejus ab antiquissimo usque Lamo deducendo, tempestatisque, a cornice praedictae, commemoratione aliquantisper suspensam, ita extremis demum verbis explicat poëta, seu potius cludit, ut crastinum diem Genio, omninoque convivali hilaritati dandum pronunciet. Urbane se ita simul convivam Lamiae offerre Horatium, facile patet.

Metrum, quod L. I. carm. 8.

Aeli, vetusto nobilis ab Lamo,—
(Quando [1]) et priores hinc Lamias ferunt
Denominatos, et nepotum
Per memores genus omne fastos [2]):)

---

36) Bene est, id est: beatissimus est, cui Deus parca manu obtulit, dedit modicas facultates, seu tantum, quantum satis est, et necessarium.

---

1) Quando: quandoquidem ferunt, constans fama est, hinc, ab isto nempe Lamo denominatos fuisse, nomen traxisse Lamias priores, id est, majores tuos, primores gentis; et genus omne nepotum, id est, longam inde ortam seriem, per memores fastos celebratam. Sensus: siquidem omnes ab eo Lamo, tum qui olim fuere, tum qui deinceps exstitere, et quorum per aetates singulas Fasti Romani meminere, nomen traxisse feruntur.

2) Fasti erant libri, et tabulae publicae, in quas referebatur, quid quoque die gestum esset, ad rempublicam spectans: virorum principum nomina, et res gestae etc.

Auctore [3]) ab illo ducis originem,
Qui Formiarum moenia dicitur
Princeps [4]), et innantem Maricae [5])
Litoribus tenuisse Lirim [6]),
Late tyrannus [7]): cras [8]) foliis nemus
Multis, et alga [9]) litus inutili
Demissa tempestas ab Euro
Sternet; aquae nisi fallit augur
Annosa cornix [10]). Dum [11]) potes, aridum
Compone lignum: cras [12]) Genium mero
Curabis et porco bimestri,
Cum famulis operum [13]) solutis.

---

3) Auctore ab illo, id est: Formiarum conditore.

4) Princeps, seu primus.

5) Marica hic ponitur pro Minturnis, Campaniae oppido, in quo Marica Nympha, Fauni olim uxor colebatur. Habuit haec Nympha etiam templum et nemus sibi sacrum ad fluvium Lirim prope maris litus, quapropter integra etiam ora maritima Maricae nomine insignita est.

6) Liris est fluvius Italiae dividens Latium a Campania. Innans dicitur a poëta, quia saepius se effudit in has regiones vicinas.

7) Late tyrannus: late rex, amplam ditionem obtinens.

8) Sententia: cras pluvia tempestas erit. Quod poëta circumscribit: cras tempestas immissa ab Euro, vento orientali, nisi fallit me cornix, quae est augur praesagiens imbres imminentes, consternet silvas, foliis excussis vento, et litora inutili alga.

9) Alga est herba quaedam marina, quam fluctus in litus projiciunt; herba nullius usus: unde proverbium, alga vilius, de re inutili. Alga demissa litus, pro: alga projecta in litus.

10) Cornix annosa dicitur, quia diutissime vivit. Rauca voce sua praenuncians pluviam aquae augur adpellatur.

11) Dum potes, nempe, antequam imbre et tempestate madefiat lignum, compone, para, repone illud sub tecto, crastina die foco admovendum. His festive poëta praeludit sequentibus, quae tandem Lamiam, per longas ambages in summam exspectationem adductum, de ejus consilio certiorem faciunt.

12) Cras genio, epulis indulgebis. Et pro hoc, Genio vinum atque porcum immolandum esse asserit; haec enim Geniis atque Laribus offerri solebant. Vide Myth.

13) Operum. Graecus genitivus pro, ab opere diurno solutis per festum diem.

Ode XIII.

Ad Faunum.

Argumentum.

Faunum Faunalium die hoc hymno veneratur poëta, precaturque, ut Sabino suo imposterum etiam prospiciat. Progreditur inde poëta ad describendam rusticam istius diei laetitiam, rusticis, ut ita dicam, coloribus egregie adumbratam.

Metrum, quod L. I. od 2.

Faune [1]), Nympharum fugientum amator,
Per [2]) meos fines, et aprica rura
Lenis incedas, abeasque [3]) parvis
Aequus [4]) alumnis [5]);
Si [6]) tener pleno cadit haedus anno [7]),
Larga [8]) nec desunt Veneris sodali [9])
Vina craterae, vetus ara multo
Fumat odore [10]).
Ludit [11]) herboso pecus omne campo,
Quum tibi Nonae redeunt Decembres [12]):
Festus [13]) in pratis vacat otioso [14])
Cum bove pagus:

1) De Fauno, agresti Deo, vide Myth.

2) Pro vulgari: lenis, propitius sis, tuere agros ac greges meos, doctius erat: lenis invisas, adeas meam villam in Sabino.

3) Incedas abeasque aequus: propitio numine transeas; utpote de Deo agros et silvas continuo pervagante, ac nullibi morante, ideoque nec templis culto, ut cetera agrestia numina.

4) Aequus, mitis, innoxius.

5) Alumnis, id est: agnis et haedis tenellis, qui aluntur in villa.

6) Sententia: si quotannis sacro, stato die tibi parando, numen tuum veneror; si Faunalia tua quotannis rite celebro.

7) Anno pleno, impleto, exacto, quotannis cadit, immolatur.

8) Larga vina: si neque largum vinum deest craterae; si impleo vino, tibi libando, pateram; si merum tibi libo.

9) Cratera, sodalis dicitur Veneris, id est, socia et amica Veneris, quia Venus et Bacchus eodem templo colebantur.

10) Odore, id est, thure.

11) Effrenior hilaritas Faunalibus, omninoque festis Deorum agrestium diebus propria, vivide admodum adumbrata a poëta subjicitur.

12) Die 5ta Decembris fiebat sacrificium istud Fauno.

13) Festus pagus: agricolae diem festum, hilarem agentes, laeti vacant in pratis, opere intermisso feriantur, exsultant in pratis; sacra enim rustica sub dio celebrabantur.

14) Otioso bove, id est, libere per prata vagante.

Inter [15]) audaces lupus errat agnos:
Spargit [16]) agrestes tibi silva frondes:
Gaudet invisam pepulisse fossor [17])
Ter pede terram.

Ode XIV.

Ad Telephum.

Occasio et argumentum.

De hoc carmine cum aliis interpretibus ita statuendum esse videtur. Quum Horatii sodales, de coena forte in L. Licinii Varronis Murenae novi auguris honorem habenda deliberaturi, conventum antea agerent, interque confabulandum sermo a proposito sensim, ut fit, ad alia aberrasset; poëta nonnisi de convivio cogitans, ut eos inde revocaret, Telephum potissimum ex his increpat, quem maxime a re, ad consultandum proposita, eademque judicio suo gravissima, ad doctas nugas deflectere, in iisque mire sibi placere animadverteret. Tum ad ipsum convivii futuri hilaritatem delineandam progreditur, quam exquisito artificio repraesentat.

Metrum, quod L. I. od. 3.

Quantum [1]) distet ab Inacho [2])
Codrus [3]), pro patria non timidus mori,

15) Ita freti sunt praesidio tuo agni, ut lupos non curent, interque ipsos lupi essent sine fraude.

16) Silvae spoliant se frondibus, quod in Italia circa hoc tempus fieri solet, non tam hiemis adventu, quam pietate erga te, ut nempe tibi humum sternant foliis suis, et sic transeuntem colant, cohonestent.

17) Fossorem speciatim memorat poëta, propter graviorem vineae fodiendae laborem, a quo per festum diem vacuus gaudet pepulisse, id est: pellere, quatere pede terram; idem ac, tripudiat, saltat. Invisam terram, id est, tot aerumnarum suarum causam.

1) Sensus simplex: Quanto temporis intervallo a se invicem distent Inachus et Codrus: tales chronologicas difficultates exponis, genus et stirpem Aeaci percenses, sicque delaberis tandem ad bella et pugnas, ad Ilium pugnatas: ceterum de re multo majoris momenti, de adparando, quod instat, convivio, verbum nullum profers, Telephe.

2) Inachus Argivorum regno initium dedit.

3) Codrus, Atheniensium rex ultimus, qui cum intellexisset in bello, quod inter Dorienses et Athenienses erat, hostes ab oraculo monitos esse,

Narras, et genus Aeaci [4]),
Et pugnata sacro bella sub Ilio [5]):
Quo Chium [6]) pretio cadum [7])
Mercemur, quis aquam [8]) temperet ignibus,
Quo [9]) praebente domum et quota [10])
Pelignis caream frigoribus, taces.
Da [11]) Lunae [12]) propere novae,
Da noctis mediae, da, puer, auguris [14])
Murenae [13]): tribus [15]) aut novem
Miscentur cyathis [16]) pocula commodis [17]).

---

eos fore superiores, quorum dux in acie occidisset, pastorali sumto habitu, hostium castra ingressus, dum temere jurgium ciet, a milite quodam occisus est, et sic suis victoriam propria morte peperit.

4) Aeacus fuit Jovis filius, Pelei pater, Achillis avus, Achillis filius fuit Pirrhus.

5) Ilium. Troja, ita dicta ab Ilo Trojano rege. Sacrum dicitur ob templorum in ea urbe celebritatem et multitudinem, vel quia Neptunus et Apollo ejus moenia condiderant.

6) Chios est insula maris Aegei, inter Samum et Lesbum, vino suo inclyta.

7) Cadum, pro: vinum.

8) Aquam, id est: quis aquam balnei, quo utebantur ante coenam veteres, praeparet, calefaciat.

9) Quo praebente domum: quis domum praebeat, apud quem convivemur.

10) Et quota hora epulaturi simus, et pro hoc dicit poëta: quota hora caream frigoribus, id est, calefiam; coenaculum enim hieme calefiebat. Pelignum autem frigus vocat ab regione Pelignorum in Sabinis, ubi propter montes frigus vix tolerabile erat.

11) Jam nunc phantasia poëtam ad convivium ipsum abripit; et jubet servum, sibi, aliisque convivis vinum ministrare.

12) Lunae novae, id est: da sine mora poculum Lunae surgentis vespere.

13) Da poculum scilicet auguris Murenae, id est, quod hauriam in honorem auguris, recens creati, dum ille summo mane auguria captat, haec enim tempore matutino captari solebant. Tria tempora hic ergo poëta denotare videtur, nempe vespertinum, mediam noctem, et matutinum; quod totam noctem vellet potando transigere. Ceterum pocula solenni loquendi usu illius dicebantur, in cujus honorem ebibebantur. Nota: Murena fuit frater uxoris Maecenatis.

14) Augures illi erant, qui ex avium cantu, pastu, volatu, futura praedicebant, ac Deorum voluntatem renunciabant.

15) Duo miscendi vini modos imperat poëta, alterum, quo tribus vini novem aquae cyathi admisceantur; alterum, quo novem vini cyathi cum tribus aquae temperentur, vel quod simplicius erit, tres aquae partes cum una aquae parte.

16) Cyathi erant vasa minora seu paterae, pocula autem vasa majora.

Qui [18]) Musas amat impares,
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates: tres [19]) prohibet supra
Rixarum metuens tangere Gratia,
Nudis juncta sororibus.
Insanire [20]) juvat; cur Berecynthiae [21])
Cessant flamina tibiae?
Cur pendet tacita fistula cum lyra?
Parcentes [22]) ego dexteras
Odi: sparge rosas: audiat invidus
Dementem [23]) strepitum Lycus,
Et vicina [24]) seni non habilis Lyco.

Misceri proprie vinum seu cyathi dicuntur in poculo, sed exquisitius, pocula cyathis, quatenus hi, in alia infusi, in iis miscentur, seu, aqua temperantur.

17) Commodis, docta inversione pro, commode miscentur, id est: apte et convenienter cujusque compotoris ingenio, ut omnibus satis fiat.

18) Qui Musas amat, vates attonitus (poëtis enim insania propria ob enthusiasmum divinitus immissum, in quo et furor quidam et stupor est) eum petere decet novem cyathos ob Musas impares seu novem.

19) Sententia vulgaris: verecundiorum portio erunt tres cyathi. Et pro hoc: Gratia sororibus nudis, id est, leviter amictis juncta, seu: tres Gratiae prohibent tangi cyathos, et ebibi super tres, quia si bibantur plures periculum est rixarum, quas Gratiae metuunt, fugiunt.

20) Juvat, dulce est insanire, exsultare laetitia; cur non inflatur, reboat tibia?

21) Berecynthiae, seu Phrygiae; nam in Phrygia, ubi mons Berecynthus, primum tibiae inventae, et in religione Cybeles adhibitae sunt. Solebant autem Phrygiae tibiae adhiberi conviviis, ut ad earum sonum convivantes saltarent.

22) Parcentes, id est, parcas, avaras manus ferre non possum; sparge ergo, o puer, affatim et large rosas; liberalis esto. Hic mensa potissimum, uti mos erat conviviis veterum, rosis atque floribus constrata intelligi debet.

23) Audiat Lycus (nomen alicujus vicini) invidus, propter ingravescentem aetatem invidens hilaritati juvenili nostrae, strepitum dementem insanientium juvenum, ut a compotoribus tollitur.

24) Vicina; uxor Lyci, ei, utpote seni, non habilis, minus apta; cujus mores discrepant a mariti morosi moribus, adeo, ut tanto aegrius accidat Lyci auribus iste juvenum strepitus.

Ode XV.

Ad Amphoram.

Occasio et argumentum.

M. Valerius Messala Corvinus poëseos atque philosophiae laude florebat eximia; imo et rebus pace belloque egregie gestis amicitiam, gratiamque Augusti promeruerat; idemque cum Octaviano Consul fuerat a. u. 723. Talis igitur tantusque vir quum coenam apud Horatium condixisset, poëta laetitiae sensum, quo penitus adfectus erat, ita expromit, ut vetustum atque optimae notae Massicum suum in Messalae honorem de veterario descendere jubeat. Facta hac sententiarum conversione, facile erat poëtae, in vini laudes atque effecta, excurrere.

Metrum, quale L. I. carm. 8.

O nata [1]) mecum [2]) consule Manlio,
Seu tu querelas, sive geris [3]) jocos,
Seu rixam et insanos amores,
Seu facilem, pia [4]) testa, somnum,
Quocunque [5]) lectum nomine Massicum [6])
Servas, moveri [7]) digna bono [8]) die:

1) O nata mecum testa, seu amphora: hic non designari aetatem amphorae, in aperto est, quia amphorae ab aetate non solebant laudari; sed vinum tantum laudatur a vetustate sua. Ergo hic intelligenda est amphora vino impleta; ab hoc tempore enim incepit esse, non solum amphora, sed vini amphora.

2) Mecum, id est: eodem anno, quo ego natus sum, anno nempe 689; consulibus L. Manlio Torquato, et L. Aurelio Cotta.

3) Geris: facit vinum alios querulos, id est, morosos, difficiles; alios jocosos et hilares; alios amore furiosos et rixantes, somnolentos alios. Unde amphora dicitur gerere, continere querelas, jocos etc.

4) Pia, id est, munifica, benigna, quod in genere de vino recte dici poterat, nulla abusus ejus ratione habita.

5) Quocunque: hic non designatur nomen Consulis; illud enim dissertis verbis jam attulit Horatius. Haec igitur est sententia: quaecunque fuerit causa, cur vinum in te adservaretur. Varia enim erat vini bonitas et virtus: aliud lenitate, aliud robore, aliud subtilitate, aliud alio nomine praestabat.

6) De Massico vino, optimo in Campania jam saepius dictum. Vinum lectum, pro, conditum, nam uvae proprie leguntur.

7) Moveri, pro, depromi, loco enim tunc cadus movetur.

8) Bono, id est, laeto, festo die, quo Messalam Corvinum convivam habebat.

Descende [9]), Corvino jubente,
Promere languidiora vina.
Non ille, quamquam [10]) Socraticis madet
Sermonibus, te negliget horridus:
Narratur et prisci Catonis [11])
Saepe mero caluisse virtus.
Tu [12]) lene tormentum [13]) ingenio admoves
Plerumque duro: tu sapientium
Curas [14]), et arcanum [15]) jocoso
Consilium retegis Lyaeo [16]):
Tu [17]) spem reducis [18]) mentibus anxiis
Viresque; et addis cornua [19]) pauperi,
Post te neque iratos trementi

9) Descende promere, Graece, pro, ut promas; jubente Corvino, id est, in honorem ejus; languidiora, vetustate mitigata, lenia vina. Descendere autem jubet amphoram, non tam, quod superiore aedium parte recondita esset, quam quia parieti alte adclinata staret.

10) Etsi est philosophus, Socratis doctrinis penitus imbutus, ac delibutus, adeo, ut, quemadmodum hic Socrates, strenue sobrietatem commendet: tamen non erit ita horridus, morosus ac tristis, ut te negligat, spernat.

11) Catonis Censorii prisci seu majoris; Cato minor erat Uticensis, illius nepos. Ille Plutarcho teste moderatas epulas non spernebat.

12) A Catone facilis erat ac plane naturalis transitus ad effecta vini in viris sese prodentia, qui Catoni sunt simillimi, hoc est, vel natura graves atque severi, vel continuo rerum abstrusarum studio ad gravitatem compositi, id est, philosophi, qualem Messalam fuisse, ex hoc carmine satis constat. Adpositum igitur est, quod hoc potissimum nomine poëta vini virtutes praedicat.

13) Vinum tormenta admovet lenia, id est, machinas quasi bellicas, quae etsi efficacissimae, blanda tamen vi sese pectori insinuant, ut iis expugnet ingenium durum, animi duritiem, severitatem, morositatem, hoc est, profligata gravitate, laetum, hilarem ac jocosum reddat animum.

14) Curas sapientium, id est, cognitiones rerum gravium, cura et studio comparatarum.

15) Arcana consilia: interiores super aliqua parte doctrinae cogitationes, atque opiniones, quas alias non facile prodit philosophus.

16) Jocoso Lyaeo: ope vini, ad lusus ac jocos provocantis. Lyaeus, cognomen Bacchi.

17) Nunc poëta laudes vini generatim exponit.

18) Reducis: tu sperare iterum jubes mentes anxias, sollicitas; melioris sortis spe erigis afflictos, et reparas vires cura et anxietate fessas.

19) Cornua, id est: vires, audaciam pauperi, humili addis; adeo quidem, ut ne potentissimorum quidem iram ac minas tremat, metuat post te, id est, vino tuo hausto.

Regum apices [20]), neque militum arma.
Te [21]) Liber, et, si laeta aderit, Venus,
Segnesque [22]) nodum solvere Gratiae,
Vivaeque producent lucernae,
Dum rediens fugat astra Phoebus.

Ode XVI.

Ad Phidylen.

Argumentum.

Corripit hoc carmine poëta meticolosam rusticarum mulierum, quae sacra in agris procurarent, religionem, quotidianis sacrificiis, iisque pro facultate lautioribus, Deorum pacem exposcentium; monetque exiguis donis, novilunii diebus oblatis, agrorum ubertatem gregumque fecunditatem abunde a Diis posse redimi. Inde defertur ad auream sententiam: Deos non tam sacrificii sumtus, quam pium offerentis animum spectare.

Metrum, quod L. I. carm. 8.

Caelo [1]) supinas si tuleris manus
Nascente Luna, rustica Phidyle [2]),

---

20) Apices: diademata, potestatem et iram.

21) Tecum suaviter noctem traducemus, id est, per totam noctem potabimus. Poëtice autem hoc ita expressit Horatius: per te o amphora, convivium potu, lusibus amoris, si qui dabuntur, amicitiae deliciis et laetis jocis (quae ad Liberum seu Bacchum, Venerem et Gratias refert poëta) ad lucernarum fulgorem, usque ad lucem producetur. Et pro hoc: te amphora producent Bacchus, Venus et Gratiae usque ad Phoebum.

22) Segnes solvere, Graece pro, ad solvendum, id est: non facile solventes nodum nexum, complexum; quae semper, implexis invicem brachiis, aegre distrahuntur. Cum delectu, quoniam aegre divelluntur compotantes sodales.

---

1) Sententia vulgaris: satis propitios tibi Deos reddideris, si tenui sacrificio, at pia puraque mente oblato, eos venereris. Et pro hoc: si tuleris, sustuleris caelo, id est, ad caelum manus supinas, porrectas, elevatas, qui solennis olim precantium habitus erat, nascente Luna, seu novilunii die, quam sacram habebat agrestis superstitio etc.

2) Phidyle: suspicantur aliqui fuisse hanc Horatii villicam, quae forte, ut est superstitiosum feminarum ingenium, aliquando non servabat modum in offerendis hostiis etiam majoribus, unde domini greges plus aequo minuerentur.

Si thure placaris [3]), et horna
Fruge Lares [4]), avidaque porca:
Nec pestilentem [5]) sentiet Africum
Fecunda vitis, nec sterilem [6]) seges
Robiginem, aut dulces [7]) alumni
Pomifero grave tempus anno.
Nam [8]), quae nivali pascitur Algido [9])
Devota, quercus inter et ilices,
Aut crescit Albanis in herbis,
Victima, pontificum secures
Cervice tinget [10]). Te [11]) nihil attinet
Tentare [12]) multa caede bidentium
Parvos coronantem marino
Rore Deos [13]), fragilique myrto.
Immunis [14]) aram si tetigit manus,
Non sumtuosa blandior hostia

---

3) Placaris pro, placaveris, sacrum feceris horna fruge, id est, frugum primitiis, seu frugibus hoc anno natis, avidaque, vorace porca.

4) Lares sunt Dii domestici: etiam Penates vocantur. His Laribus porci et primitiae frugum offerebantur.

5) Pestilentem; ob calorem humidum. Est autem Africus ventus meridionalis.

6) Sterilem, id est, quae sterilem faciat segetem; robigo enim morbus est segetis, cum aristae contabescunt.

7) Dulces alumni, id est: tenelli haedi et agni (pro universis gregibus) non sentient tempus grave, nocivum, insalubre propter pluvias et ventos, anno pomifero, id est, auctumno, quo tempore fructus leguntur, et morbi ingravescunt.

8) Sententia est: majores illae victimae, quae, sacrificiis destinatae, pascuntur in Algido, aut in pascuis laetis prope Albam, ferientur a pontificibus, in majoribus videlicet, publicisque sacrificiis.

9) Algidus mons est Italiae, in regione Latio, perpetuis nivibus tectus ob altitudinem, et quercubus consitus. Sic etiam Alba longa urbs antiqua Latii erat.

10) Tinget: ista nempe victima tinget, madefaciet cervice, id est, sanguine e cervice ebulliente pontificum secures; pro: a pontificibus mactabitur.

11) Sensus est: te vero nihil opus est tentare Deos tuos Lares multa bidentium seu ovium caede, quae coronare illos rore marino, et myrto debes.

12) Tentare Deos, id est: quasi corrumpere, magno sacrificiorum adparatu propitios sibi reddere velle.

13) Parvos Deos coronantem, id est: quae coronas exigua Larium simulacra serto, e rore marino et myrto plexo.

14) Sensus: si immunis manus, scilicet a scelere, tetigerit aram, Deos veneratura; tunc hostia sumtuosa non erit blandior, acceptior ad mollien-

Mollivit aversos Penates
Farre [15]) pio, et saliente mica [16]).

Ode XVII.

In sui aevi vitia.

Argumentum.

Insectatur poëta hoc carmine luxum, et inde ortam avaritiam, omnium scelerum ac maleficiorum matrem fecundissimam, pestemque reipublicae deterrimam. Quae mala in summum aliquando discrimen civitatem adductura, ut ab ea prohibeantur, scelerum licentiam severissime vindicandam, scelerumque causas, luxum et habendi cupiditatem tollendas atque exstirpandas esse graviter monet. Ut autem paupertati honos suus reddatur, sicque virtuti iterum locus pateat, hoc ita demum effici contendit, si prava animis eximatur opinio, doceaturque, divitias neminem beatum efficere, continentiam contra atque frugalitatem maximum ad vitam bene beateque agendam momentum esse; id quod Scytharum Getarumque exemplo poëta ostendit.

Metrum, quale L. I. carm. 3.

Intactis [1]) opulentior
Thesauris Arabum [2]), et divitis Indiae [3]),
Caementis [4]) licet occupes

---

dos, placandos Penates aversos, quam far pium et mica saliens, id est: tenue sacrificium.

15) Farre, seu hordeo molito, cui sal mistus erat. Utrumque enim in ignem, arae impositum, conjiciebant; sal autem injectus igni salit.

16) Mica salis, seu particula.

---

1) Sententia vulgaris: ii, qui beati vulgo censentur, haud immunes sunt a fatali moriendi necessitate, maximeque mortis metu aguntur. Ordo autem est: licet tu, opulentior Arabibus et Indis, occupes et repleas domibus tuis litus maris Tyrrheni et Adriatici: tamen non expedies animum curis et metu, nec corpus mortis necessitate. Divitias ergo primum exagitat poëta, et quidem ab ea parte, qua eas potissimum perditissimus Romanorum luxus ostenderet.

2) Arabes sunt in Asia inter Aegyptum et Judaeam latrociniis suis infames, ac divites. Intacti adpellantur hic, quia nondum in eos arma Romani verterant, quod tamen tardius factum est.

3) India est regio orientalis, prope Sinam, quam medius Ganges secat, gemmis et auro locuples.

4) Caementis, id est aedificiis. Vide Od. I. not. 33. hujus libri.

Tyrrhenum omne tuis, et mare Apulicum [5]);
Si figit adamantinos [6])
Summis verticibus dira Necessitas
Clavos; non animum metu,
Non mortis laqueis expedies caput.
Campestres melius Scythae [7]),
Quorum plaustra vagas [9]) rite trahunt domos,
Vivunt, et rigidi Getae [8]);
Immetata [10]) quibus jugera liberas
Fruges, et Cererem [11]) ferunt,
Nec cultura [12]) placet longior annua;
Defunctumque [13]) laboribus
Aequali recreat sorte vicarius.
Illic [14]) matre carentibus
Privignis mulier temperat innocens:

---

5) Apulicum, Adriaticum, oppositum Tyrrheno.

6) Adamantinos clavos: notio firmitatis ac violentiae. Sensus: tamen si fatalis hora instat, nihil est, quod a morte te liberet.

7) Scythae: septentrionales populi, qui nullis certis sedibus adstricti in aperto campo vivebant, errantes et vagi, et quibus plaustrum instar domus erat, eapropter adpellantur campestres.

8) Getae, Thraciae populus, eadem, qua Scythae, victus simplicitate, morumque integritate notus; unde rigidi, moribus asperis oppositi Romanis, luxu effeminatis.

9) Vagas domos, id est: qui re ac familia plaustris imposita vagam vitam ducunt.

10) Immetata: utrique huic populo jugera immetata sunt, terram colunt haud in jugera descriptam, nullis limitibus distinctam, sed communem; unde eadem fruges liberas iis fert, seu profert, quae ad omnes pertinent.

11) Ceres, Dea frugum, pro his posita est.

12) Nec cultura ejusdem agri ipsis placet longior annua, anno longius, sedem quippe quotannis mutantibus.

13) Sensus: sed postquam annuo labore aliquis eorum defunctus est, eum vicarius, id est: successor, qui vices ejus et locum accipit, recreat, id est, copiam dat illi se recreandi, a labore cessandi, eadem sorte nimirum et lege, ut post annuum laborem ipsi quoque succedatur.

14) Laudata Scytharum simplici vitae ratione ac continentia, ad morum, qui isthac nituntur, integritatem progreditur poëta, ita quidem, ut semper Romanum populum, avarum illum ac luxu perditum, eundemque scelerum, inde propullulantium, infamia laborantem in oculis ferat, notetque. Sensus: illic, id est, apud illos noverca non nocet privignis, sui viri filiis, ex alia conjuge susceptis; noverca haec innocens, sine noxa temperat sibi a saeviendo in illos, quod apud nos tam frequenter accidit.

Nec dotata [15]) regit virum
Conjux, nec nitido fidit [16]) adultero:
Dos [17]) est magna parentium [18])
Virtus, et metuens [19]) alterius viri
Certo foedere castitas,
Et peccare [20]) nefas, aut pretium est mori [21]).
O quisquis [22]) volet impias
Caedes et rabiem [23]) tollere civicam;
Si quaeret [24]) pater urbium
Subscribi statuis, indomitam audeat
Refrenare licentiam,

15) Dotata, quae dotem amplam viro adtulit, non regit, non est domina viri.

16) Fidit, credit, gaudet, id est: non amat alium amatorem pulchrum, nitidum penes maritum suum, ut fit apud nos.

17) Sensus: castitas ac probitas uxoris magnae instar dotis apud eos aestimatur.

18) Virtus parentum, cujus semina in liberos propagari credita.

19) Metuens: castitas, quae ab alio viro abhorret, certo foedere matrimonii, id est, dum sancte servat foedus cum marito initum.

20) Uxores porro nefas, summum flagitium existimant peccare, fidem marito datam fallere; aut si peccant, pretium, poena, merces peccati mors est.

21) Voluit autem poëta hoc exemplo a Scythis et Getis desumto ostendere, quod ne felices quidem habendi sunt in amplissima fortuna constituti, quandoquidem cupiditatibus continuo vexantur, quibus explendis intenti per omnia scelerum flagitiorumque grassantur genera; unde perversis, quibus continetur civitas, moribus, nulloque amplius virtuti statuto pretio, rei ipsi publicae damna infliguntur funestissima. Quare Scythas Getasque, in paupertate nihil alienum concupiscentes, sic melius, beatius vivere contendit.

22) Exposita Scytharum in pauperie sua continentia, morumque integritate, adumbrataque hoc modo Romanorum effreni opum constipandarum cupiditate, enataque inde morum corruptela, satis consentaneum erat, ut remedia poëta, patriae amantissimus, sollicite circumspiceret, quibus obviam iretur malis, inde in rempublicam redundantibus. Ac horum quidem causae quum a subversa disciplina antiqua repetendae sint, de hac restituenda primo loco cogitare oportuit; quae autem restitui non potest, nisi scelerum licentia tollatur, severeque puniatur.

23) Rabiem civicam: seditiones, bella civilia, quorum causae sunt vitia civium. Speciatim haec pro calamitatibus universis, quas mores corrupti civitati inflixerint, commemorat poëta, tanquam reipublicae funestissima.

24) Si quaeret, hoc adsequi velit, ut statuis urbium, per urbes, per terrarum orbem adeo, qua habitatur, in honorem ejus ponendis, splendidissimum Patris nomen subscribatur. Sensus simplex: si Patris Augusto nomine adpellari, statuasque sibi erigi cupiat; si optime de republica mereri velit; refrenet, audeat refrenare, severissimis legibus coërcere in-

Clarus postgenitis; quatenus [25]), heu nefas,
Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quaerimus, invidi.
Quid [26]) tristes querimoniae,
Si non [27]) supplicio culpa reciditur?
Quid leges, sine moribus [28])
Vanae, proficiunt? si [29]) neque fervidis [30])
Pars inclusa caloribus
Mundi, nec Boreae [31]) finitimum latus,
Durataeque solo nives
Mercatorem abigunt [32])? horrida [33]) callidi
Vincunt aequora navitae?
Magnum [34]) pauperies opprobrium jubet

domitam morum et effrenatam licentiam; clarus, id est, unde summam nominis claritatem et famam apud postgenitos seu posteros, atque adeo immortalitatem sibi paret.

25) Quatenus, id est, quia virtutem seu homines virtute praeditos odio habemus, dum sunt incolumes et vivunt; sublatos vero ex oculis, seu mortuos quaerimus, desideramus, colimus, veneramur, idque ob invidiam in praesentem virtutem.

26) Sententia vulgaris: quid autem juvat, si omnes de corruptis civitatis moribus conquerimur, neque tamen remedia pati possumus?

27) Si non; nisi culpa, id est, flagitia, scelera supplicio, seu atrocissimis poenis recidantur, compescantur, amputentur, luantur.

28) Sine moribus, seu virtutibus, studio et amore probitatis: non satis est hominum peccata legibus et metu poenae coërcere, sed etiam oportet cives ad virtutem informari.

29) Sententia: si insatiabilis lucri cupido animos hominum vexat, adeo quidem, ut ejus explendae causa maximas aerumnas tolerent, ipsiusque vitae pericula adeant?

30) Fervidis caloribus pars inclusa mundi, circumscriptio poëtica zonae torridae.

31) Boreae latus mundi, id est, regio Boreae finitima, adeoque zona frigida, plaga Borealis, quam nives continuo gelu, solo duratae, induratae, adeoque perpetuae tegunt, ita, ut a sole nunquam solvantur; quae adeo semper frigore riget.

32) Abigunt, id est: arcent, absterrent mercatorem, quo minus ad ea loca accedat.

33) Si navitae, mercatores callidi, callida arte, navigandi peritia vincunt seu domant, sibi subjiciunt aequora horrida, aspera fluctibus, mare procellosum; id est, si vel procelloso mari navigant?

34) Nexus sententiarum: quid proficiunt leges etc. si divitiae honori sunt; pauperies contra magnum opprobrium, turpis ab avaris reputatur, atque ideo quaevis, quantumvis scelesta, jubet, ad facinora quaevis instigat, ad ferenda cuncta cogit, et sic in causa est, cur virtutis arduae, in excelso collocatae via deseratur?

Quidvis et facere, et pati,
Virtutisque viam deserit arduae?
Vel [35]) nos in Capitolium [36]),
Quo clamor [37]) vocat, et turba faventium,
Vel nos in mare proximum
Gemmas, et lapides, aurum et inutile,
Summi materiem [38]) mali,
Mittamus; scelerum si bene poenitet [39]).
Eradenda [40]) Cupidinis
Pravi sunt elementa; et tenerae nimis
Mentes asperioribus
Formandae studiis. Nescit [41]) equo rudis
Haerere ingenuus [42]) puer,

35) Nexus idearum: quod si igitur rempublicam calamitatibus, quibuscum aegre conflictatur, liberatam cupimus, scelera, unde eae promanant, non tam legibus compescenda, quam radicitus exstirpanda sunt. Non poterunt autem exstirpari, nisi sublatis causis ipsorum, luxu et immensis cupiditatibus. Neque hae vero tollentur, nisi divitiae, fomes istarum atque nutrimentum, ab hominum usu removeantur, paupertatique atque parsimoniae suus iterum honor reddatur. Ita demum respublica persanata ad pristinum splendorem resurget. His igitur omissis, per saltum statim subjungit poëta: vel in Capitolium opes deferamus, Diis consecrandas, vel potius in mare proximum, nempe Tyrrhenum, projiciamus, e medio prorsus tollamus, ne divitiarum conspectu amplius conturbemur, irritemur.

36) Capitolium, templum Jovis Capitolini.

37) Quo clamor turbae faventis; id est, dum populus praeit pompam, et favet, seu, acclamationibus favorem prodit. Romani enim cives, interdum etiam imperatores (id quod de Augusto Suetonius narrat) dona ejusmodi Capitolio et Jovi offerebant, quod populus secundo favore, et laetis acclamationibus spectabat; imo eos, qui haec ferrent, in templum applaudens deducebat.

38) Materiem: omnium criminum occasionem et irritamentum.

39) Poenitet: si vere emendari, salvamque rempublicam cupimus.

40) Statim e teneris mentibus, puerorum animis eradenda, evellenda, tollenda sunt pravi Cupidinis, pravarum cupiditatum, elementa ac semina, antequam radices egerint, id est: in pueris statim videndum, ne luxu atque otio ipsorum diffluant ac corrumpantur animi; quos contra formari, institui, adsuefieri oportet asperioribus studiis, exercitationibus, fami, siti, laboribus tolerandis; verbo, severiore opus est disciplina in educando puero.

41) Sententia vulgaris; at nostri adolescentes parum curant campestria studia, et e campestribus exercitationibus equitationem in specie memorat poëta et venationem.

42) Ingenuus puer: adolescens Romanus; et rudis, copia poëtica, non exercitatus.

Venarique timet; ludere doctior [43]),
Seu Graeco jubeas trocho [44]),
Seu malis vetita legibus alea [45]):
Quum [46]) perjura patris fides
Consortem [47]) socium fallat, et hospitem;
Indignoque [48]) pecuniam
Heredi properet. Scilicet [49]) improbae
Crescunt divitiae: tamen
Curtae nescio quid semper abest rei.

Ode XVIII.

Ad Bacchum.

Argumentum.

Horatius Augusti laudum acri thyrso percussus, attonitusque rerum magnitudine, materiaeque amplitudine, et excelsissimorum phantasmatum, inde animo ejus, dum eloqui ea conatur, objectorum, exuberantia ita confunditur, ut extra se rapi, Bacchicoque furore se tentari existimet. Atque in hoc furore Bacchico, qui per totum carmen decurrit, ad pri-

43) Doctior: peritior est, magis callet, habiliorem se ostendit ad ludendum trocho et alea.

44) Trochus rota quaedam erat, sive circulus ferreus, insertis annulis refertus, quem vicatim pueri non sine arte quadam et venustate, cum sonoro annulorum tinnitu agitabant. Trochus hic Graecae erat originis, et differt a trocho seu turbine illo, quem multiplici verbere circumagunt passim nostri pueri. Ludus autem cum illo trocho erat tantum exercitatio debiliorum.

45) Alea, qui tesserarum proprie ludus erat, mox omnes complectebatur, in quibus casus regnabat: quumque Romanorum insania magnam ac totam subinde rem familiarem ei subjiceret; et infamiae nota et poenis publice ea compescebatur; unde: legibus vetita.

46) Sensus: patre interea divitiis quoque, quantumvis scelesto modo, constipandis intento.

47) Consortem: qui pactus est societatem lucri et damni cum alio; fallat, id est, decipiat.

48) Et properet, id est, enixo studio coacervet, paret pecuniam heredi, filio indigno, aleatori etc.

49) Scilicet, quantumvis crescant divitiae, immense ita augeantur, improbae, id est, nefariis modis congestae, vel, quae improbos homines reddunt; tamen nescio quid, seu quantum illis, id est, ipsorum rei, quam curtam, exiguam existimant, semper desit, quod adhuc addi cupiant.

mariam ejus causam expromendam omnes vires convocat, sed in ipso eluctandarum Augusti laudum conamine saepius tentato collabitur, ac plane concidit.

Metrum, ut carm. praeced.

Quo me, Bacche, rapis tui
Plenum [1])? Quae nemora [2]), aut quos agor in specus,
Velox mente [3]) nova? Quibus [4])
Antris egregii Caesaris audiar,
Aeternum meditans [5]) decus
Stellis inserere, et consilio Jovis?
Dicam [6]) insigne, recens, adhuc
Indictum ore alio. Nec [7]) secus in jugis [8])
Exsomnis [9]) stupet Evias [10]),
Hebrum [11]) prospiciens, et nive candidam
Thracen, ac pede [12]) barbaro
Lustratam Rhodopen. Ut [13]) mihi devio

1) Tui plenum: tuo numine, tua vi perculsum atque attonitum.

2) Nemora ac specus, solitaria loca, Bacchis frequentari solita.

3) Mente nova: quippe a Deo possessa, alio plane mentis habitu, expulso pristino sensus, ob novas animo ejus objectas rerum species, novos ac sublimiores sensus, a Deo immissos.

4) Quibus antris: in quae antra abreptus audiar meditans, id est, mediter atque canam Augustum; quibus in antris resonent immortales Augusti laudes?

5) Meditans inserere: dum meditor, id unice ago, ut inseram stellis, ad caelum tollam gloriam Augusti, et ipsum Caesarem coetui Deorum, e quibus concilium Jovis constat, adscribam? Augustus enim adhuc superstes inter Divos relatus, et Deus adpellatus est.

6) Pulchre decet arrogantia ista poëtam, ab argumenti, quod tractat, majestate sumta; quo ita adflatur, ut se plane divinum quoddam proloquuturum audacter adfirmet. Dicam, cantabo aliquid eximium de Caesare, res novas, nulli antea dictas.

7) Egregie jam mentem novam suam repraesentat poëta: non secus, non alio furore Maenades corripiuntur, quam quo me perculsum nunc sentio.

8) In jugis: in montibus Baccho sacris.

9) Exsomnis: sine somno. Orgia enim, sive sacra Bacchi, noctu agitabantur.

10) Evias, Bacchi sacerdos, mulier et comes, ab: Evius, id est, Bacchus.

11) Commemorat loca, Bacchis frequentata, quorum ipso adspectu novos furores Baccha concipit. Hebrus Thraciae fluvius; Thracia nive candida, seu nivalis; Rhodope, mons ejusdem regionis.

12) Pede barbaro, id est: pedibus Thracum, qui ad tua, o Bacche, festa celebranda in Rhodopen conveniunt, eamque pervagantur Graeci autem ceteros omnes populos vocabant barbaros. Adde, quod Thraces, ob asperitatem regionis, erant imprimis barbari et inculti.

13) Bacchae stuporem, quocum antea suum ipsius tantum comparaverat

Ripas et vacuum nemus
Mirari libet! O Naïadum [14]) potens,
Baccharumque valentium [15])
Proceras manibus vertere fraxinos!
Nil parvum [16]), aut humili modo,
Nil mortale loquar. Dulce [17]) periculum est,
O Lenaee [18])! sequi Deum
Cingentem viridi tempora pampino.

Ode XIX.

Ad Galateam.

Argumentum.

Dehortaturus poëta Galateam quamdam ab itinere, quod in Graeciam factura erat, non malis quidem auspiciis eam retineri ait, quum, etiamsi pessima imminerent, avertere ea atque corrigere in promtu esset; sed instare hibernum tempus, tempestatibus, quas secum ferat, periculosissimum; de hoc ei laborandum esse, quod nulla arte propulsari queat. Adblandiri quidem nunc sudum caelum, ventumque ferentem, sed admodum fallax serenum esse, Europae exemplo abunde comprobari.

(ipse enim stupebat divinis Augusti laudibus) jam in summo enthusiasmi fervore suum plane facit: ut libet, ut mihi volupe est, devio, in solitariis locis vaganti, mirari, adstupere ripis praeruptis et sonoris, ac nemori vacuo, deserto, solitario!

14) Bacchum dicit Najadum potentem, ut Venerem Cypri, id est, dominum, ducem. Najades sunt Nymphae fontium, et dantur etiam comites Baccho, quia vinum aqua temperatur.

15) Valentium, id est, quae Bacchae valent, possunt fraxinos altas evertere.

16) Nil parvum: iterum ad Augustum redit, in quo enthusiasmus ejus defixus est. Immortale aliquid, quod aeternum sit, canam, quo immortalitati eum consecrem.

17) Novus enthusiasmi impetus: periculosus quidem est is conatus meus, arduum enim est, ita magna, et sublimi modo de Caesare dicere; sed dulce est hoc periculum illi, qui Bacchum ducem et auctorem sequitur. Saltu autem lyrico illud prius omissum est.

18) Lenaee, id est, Bacche; sequi Deum id est, te. Sequitur autem Deum, qui ab eo rapitur per silvas, montes, campos.

Metrum, quod L. I. od. 2.

Impios [1]) parrae [2]) recinentis omen
Ducat, et praegnans canis, aut ab agro
Rava decurrens lupa [3]) Lanuvino [4]),
Fetaque vulpes;
Rumpat [5]) et serpens iter institutum,
Si per obliquum similis sagittae
Terruit mannos. Ego [6]), cui timebo,
Providus auspex [7]),

1) Dici vix potest, quam superstitiose Romani olim, antequam iter ingrederentur, fortuitis rebus attenderint, indeque vel boni vel mali ominis causas derivarint. E hujusmodi observationibus igitur Galateam, de exitu itineris forte nimis trepidam ac male ominantem, erigere conatur poëta sequenti sententiarum ordine: Non infausta quidem, quae tuum iter morentur, habes omina, neque ea ego tibi profecturae adprecor, quamvis te retinere cupiam, ut potius, quum semel iter apud te certo constitueris, ipse Deos rogem, ut bona, quae felicem profectionis tuae exitum spondeant, omina mittant: sed adversari tibi tempus anni inclementius, ipsa probe intelligis etc. Jam ut ostendat, Galateam, quae utpote proba atque pia sit, infausta nullatenus habere timenda omina, statim a contrario exorditur: homines impios, iter adgressuros, ducant sane ac prosequantur mala omina, qualia sunt: vox parrae recinentis, seu iterum atque iterum canentis; occursus canis fetae, aut lupae ravae, descendentis ab agro Lanuvino, aut vulpis gravidae, vel serpentis transversae ad viam, et instar jaculi jacientis, cum velocitate repentis humi, et equos territantis.

2) De parra, ex avium genere, parum explorata tenemus. Apicem eam in capite habuisse et viridioris coloris fuisse veteres perhibent. Atta men cantum ejus pro malo omine habitum fuisse constat.

3) Lupa ravis oculis, quorum color est inter flavum et caesium.

4) Lanuvium est Latii oppidum, haud longe a via Appia, per quam iter factura erat Galatea, Brundusium versus, ubi portus erat maris Adriatici celeberrimus pro iis, qui in Graeciam trajecturi erant.

5) Rumpat, id est, sistat iter, quod impii instituerant, ulterius progredi vetet; quod infaustissimum hoc etiam prodigium haberetur, cum serpens oblique seu transverse per viam cum celeritate sagittae jaciendo, serpendo terruit mannos, qui sunt parvum quoddam equorum genus.

6) Nexus sententiarum: quamquam te retinere cupiam, attamen haec infausta omina tibi profecturae non adprecor; sed potius faustis te ominibus prosequar, Deosque precabor, ut laeta tibi auguria mittant, ablegatis tristibus. Et omissis illis ideis, per saltum statim subjungit poëta: Ego ei, cui timebo, id est, si quem carum habebo, cui omnia secunda cupiam evenire, de cujus salute ergo sollicitus ero; in illius gratiam, precibus meis conabor obtinere a Diis, ut adpareat illi corvus oscen ab oriente; idque faciam auspex, augur providus, antequam cornix repetat paludes, ibique crocitans pluviam provocet, ac praesagiat. Auguria enim capi non poterant, nisi sereno caelo.

7) Auspex dicitur, qui ex volatu, cantu, aut pastu avium futura praedicit, qui et augur adpellatur.

Antequam stantes repetat paludes
Imbrium divina [8]) avis imminentum,
Oscinem corvum prece suscitabo
Solis [9]) ab ortu.
Sis [10]) licet felix, ubicumque mavis,
Et memor nostri, Galatea, vivas:
Teque [11]) nec laevus vetet ire picus,
Nec vaga cornix.
Sed [12]) vides, quanto trepidet tumultu
Pronus Orion [13]). Ego [14]), quid sit ater
Hadriae, novi, sinus, et quid albus
Peccet Japix.
Hostium [15]) uxores puerique caecos

8) Avis divina, id est, divinans, praesagiens imbrem imminentem cornix, quod facit, dum repetit, accedit ad paludes, aqua sese perfusura.

9) Ab ortu solis prospera fuerunt corvi omina, adversa ab occasu. Augures captaturi auspicia ad ortum solis, tamquam ad locum in auspiciis felicissimum, os convertebant, ita, ut habuerint a dextra meridiem, a laeva septentrionem, et a dorso occasum.

10) Sis licet felix, id est, haud adversor tuae voluntati, imo, ut felix istud iter eveniat, Deos rogo; vivas felix, ubicunque mavis, placuerit, memor nostri, quo solo desiderium nostrum solabimur.

11) Nullae te aves auspicatae morentur. Ex his memorat picum laevum, a sinistra parte malum auspicium facientem; et cornicem, item a laeva mala portendentem. Vaga, id est, nihil certi promittens, quippe quae volatu ancipiti modo in dextra, modo in sinistra esset.

12) Sententia: sed ipsa vides, perspicis, quam graves hoc anni tempus secum tempestates ferat, quibus Adriaticum mare, quod ingressura es, potissimum infestatur. Tempestates imminentes designat poëta ab occasu Orionis, a quo excitari eae creditae.

13) Orion pronus, id est, in devexa caeli parte constitutus, trepidat ad occasum, hoc est, festinat, vergit, in eo est, ut occidat, magno cum ventorum tumultu, maximas in mari tempestates excitante. Monet igitur Galateam de iis, quae proxime per naturae leges certo eventura sint. Est autem sidus istud nocte visibile in Italia, ut apud nos, mensibus hibernis. Vide od. 23. not. 25. L. I.

14) Sensus: ipse expertus sum, quam tempestuosum sit mare Adriaticum; pro quo poëta: quid sit, quam horrendum sit Adria mare, seu, sinus maris Adriatici fluctibus intumescat; et quid Japix albus, caelum serenans, peccet, id est, quam fallax ejus serenum caelum sit, quod adfert; quam facile fidem datam fallat, immutando subito caeli sereni faciem etc. Est autem Japix ventus ex Apulia flans, adeoque secundus in Graeciam proficiscentibus ex Italia. Vide L. I od. 3. not. 6.

15) Sententiarum nexus: ipse expertus sum, quantas turbas excitet Auster in mari, ut nonnisi hostibus illae imprecandae sint; quo nexu per saltum neglecto, poëta dicit: Hostes sentiant etc.

Sentiant motus orientis Austri [16]), et
Aequoris nigri [17]) fremitum, et trementes
Verbere ripas.
Sic [18]) et Europe [19]) niveum [20]) doloso
Credidit tauro latus, et scatentem [21])
Belluis pontum mediasque [22]) fraudes
Palluit audax.
Nuper [23]) in pratis studiosa florum, et
Debitae Nymphis opifex coronae,
Nocte sublustri nihil astra praeter
Vidit et undas.
Quae simul [24]) centum tetigit potentem
Oppidis Creten: Pater [25]) o, relictum
Filiae nomen, pietasque, dixit,
Victa furore!
Impudens liqui patrios Penates:
Impudens Orcum [26]) moror! O Deorum

16) Motus caecos orientis Austri, id est, maris fluctus ab Austro, vento meridionali surgente excitatos subito, quin praevideri aut praecaveri possint.

17) Aequoris nigri, turbidi, tumidi fremitum; fragorem, et ripas, seu litora, fluctuum verbere, ictu, adpulsu trementes, percussas.

18) Sensus: sic et Europa, ut tu Galatea nihil vides, quod metuas, fallacibus tauri blanditiis illecta, conscensoque ejus dorso in mare abrepta, graves temerarii ausi poenas tulit.

19) Europa filia Agenoris, Phaenicum regis, quam fabulantur a Jove tauri specie raptam, et in Cretam obductam esse, vide Mythologiam.

20) Niveum latus, id est, pulchrum corpus.

21) Scatentem, plenum portentosis piscibus.

22) Mediasque fraudes, id est: palluit, cum horrore vidit, se periculis, in quae fraude incidisset, circumventam teneri; se in mediis periculis, quae non amplius effugere liceret, constitutam esse.

23) Ordo sententiarum: quae nuper, quae paullo ante, in pratis erat studiosa opifex florum, quae flores legebat, ut ex iis texeret coronam Nymphis debitam, id est, promissam; eadem Europe nocte sublustri, subobscura, nihil vidit praeter astra et undas, subaudi nempe, a tauro rapta per medium mare.

24) Quae simul atque pervenit in Cretam, in qua olim centum urbes fuisse ferunt.

25) Sensus: dixit haec amens, et furore victa, furenti similis: O pater, quod nomen relictum et violatum est a me, tua filia; o pietas, quam sprevi, patrem ac patriam deserendo!

26) Orcum moror: maneo in vita, superstes sum, Plutonem demoror, qui me ut sibi debitam expectat. Orcum enim videtur is morari, qui non moritur tum, cum mori deberet.

Si quis haec audis, utinam inter errem
Nuda [27]) leones!
Vilis [28]) Europe, pater urget absens,
Quid mori cessas? Potes hac ab orno [29])
Pendulum zona bene te sequuta [30])
Laedere collum.
Sive [31]) te rupes, et acuta leto
Saxa delectant, age, te procellae
Crede veloci; nisi herile mavis
Carpere pensum,
Regius sanguis, dominaeque tradi
Barbarae pellex. Aderat [32]) querenti
Perfidum [33]) ridens Venus, et remisso [34])
Filius arcu.

27) Errem inter leones nuda, id est sola, absque omni auxilio, ut ab iis discerpar.

28) In furore suo eo tandem progreditur puella, ut de morte sibi consciscenda deliberet, deliberantique sibi patrem, quem omnia, quae sibi acciderint, rescisse autumat, truculento vultu adstare sibi imaginatur, et ipsum ad exsequendum quamprimum supplicium sese instigantem, variaque mortis genera, quae in ejus manu sint, liberaliter suggerentem. Sensus: o vilis, id est, infelix et perdita Europa! quae patrem et patriam deseruisti, quibus rebus nihil tibi carius debebat esse, en tuus te pater, quamvis absens, urget, tibi scelus exprobrat. Audisne illum increpantem? Quid praeterea cessas mori? quid cunctaris?

29) Hac ab orno, id est, hac ab arbore pendens tuum collum zona laedere seu circumdare potes. Sensus; potes te ab hac arbore suspendere.

30) Bene te sequuta, id est, quam zonam oportune huc adtulisti.

31) Sive magis delectant, id est, mavis saxa acuta, praerupta, et rupes, quibus letum tibi consciscas; projice, committe te veloci procellae, id est, ventis, qui satis cito te deferant; delabere per auras, praecipita te isthinc. Sensus: potes etiam ab hoc saxo mortem petere, nisi forte tu, regius sanguis, regio prognata genere, servitium tolerare mavis. Pro servitio speciatim poëta ponit: pensi herilis, seu ab hera injuncti, id est, lanae quotidie carpendae ac filis ducendae opus; et dominae barbarae tradi, id est, in alius feminae potestatem venire, dominam nancisci, cujus forte pellex fieri poteris.

32) Postquam puellae adfectus in summum excreverat, adeo quidem, ut res ad exsequendum parandae necis consilium spectaret; hoc demum momento Venus, diu misero isto spectaculo maligne laetata, e nube prodit, ac miseram solatur.

33) Perfidum ridens, id est, perfide, maligne ridens inter maximos Europae dolores.

34) Remisso arcu: nervo laxato, quippe opere ex animi sententia ad finem perducto.

Mox [35]), ubi lusit satis: Abstineto [36]),
Dixit, irarum calidaeque rixae,
Quum [37]) tibi invisus laceranda reddet
Cornua taurus.
Uxor invicti Jovis esse nescis:
Mitte singultus [38]): bene ferre magnam
Disce fortunam: tua sectus [39]) orbis:
Nomina ducet.

Ode XX.

Ad Lyden.

Argumentum.

Offert se Lydae, libertinae atque fidicinae (quod e toto carminis habitu, conviviique adornandi ratione sole clarius patescit) convivam poëta, convivandi occasione a Neptunalibus (quae in V. Cal. Aug. incidunt) desumta.

Metrum, quod Lib. I. carm. 3.

Festo [1]) quid potius die
Neptuni faciam? Prome [2]) reconditum,
Lyde strenua, Caecubum;
Munitaeque adhibe vim [3]) sapientiae.

---

35) Tum, ubi satis ludibrio habuit puellam Venus: noli, inquit, adeo in illum, qui te rapuit taurum, crudelis esse, cum tibi exosus ille iterum ultro praebebit cornua, quae discerpas in frusta. An ignoras, te uxorem esse Jovis, qui in taurum mutatus est?

36) Abstineto irarum etc.: Graece, pro, ab ira et calidis rixis, id est, rixis calidi animi.

37) Sensus: quum taurus iterum in conspectum tuum veniet; pro quo cum amara minarum ejus irrisione positum est: laceranda reddet cornua.

38) Singultus; querelas, et minas.

39) Sensus: pars una ex iis, in quas divisus est orbis, tuum nomen accipiet; nempe Europa, quam ab hac Europe dictam volunt.

---

1) Sententiam: diem hunc hilariter agere convenit, ita exprimit poëta: quid magis consentaneum est festo huic Neptuni diei, quam potando eum transigere?

2) Prome, id est, profer cadum vini Caecubi, ita dicti a cognomine loco in Campania, adeoque, vini optimi; reconditi, id est interius repositi. De interiore nota vini vide L. II. od. 3. not. 6. strenua, pro strenue, celeriter confestim; notus Graecismus.

3) Vim adhibe, admove; expugna, pelle animo sapientiam, temperantiam, sobrietatem munitam, id est, quae contra jocos et hilaritatem videtur munita esse; adeoque indulge genio.

Inclinare [4]) meridiem
Sentis: ac [5]), veluti stet volucris dies,
Parcis [6]) deripere horreo
Cessantem [7]) Bibuli [8]) Consulis amphoram.
Nos [9]) cantabimus invicem
Neptunum [10]), et virides [11]) Nereïdum comas:
Tu curva recines [12]) lyra
Latonam, et celeris spicula Cynthiae:
Summo [13]) carmine, quae Cnidon
Fulgentesque tenet Cycladas [14]), et Paphon
Junctis [15]) visit oloribus:
Dicetur merita Nox [16]) quoque naenia.

---

4) Inclinat meridies, pro, dies vergit ad occasum.

5) Sensus: necdum tamen de auspicanda compotatione cogitas, ac si stet, non properet dies volucris seu celer, tam cito ad finem decurrens.

6) Parcis deripere, id est, non deripis, cito detrahis e superiore loco; nam horrea vinaria erant fere in summa aedium parte, ubi vina in amphoris condita, caelo interdum sereno supposita, vel fumo excocta veterascebant. Vide od. 15. not. 9.

7) Cessantem, jam diu otiosam.

8) Bibuli Consulis, id est, M. Calpurnio Bibulo Consule reconditam, consulatus ejus nota signatam. Incipit is a. u. 694.

9) Sententia: cantu quoque celebrabimus hunc festum diem; invicem, id est, alternatim.

10) De Neptuno, aquarum Deo, et Nereidibus Nerei filiabus, Deabus maris, vide Mythologiam.

11) Virides comas, id est, caeruleas comas habentes.

12) Tu recines, canes convexa lyra tua Latonae matris, et Dianae filiae laudes. Dicitur autem Diana Cynthia a Cyntho monte Deli. Celerem vocat, quia venatrix est; vel quia qua Luna suum orbem celerrime perficit; spicula seu tela ipsi dat, quia cum his qua Dea venationis pingitur. Vide Myth.

13) Summo carmine, id est: tum denique, postremo nos una cantabimus Deam, quae tenet Cnidon, id est, Venerem. Cnidus est urbs Cariae; Paphus Cypri, quibus in locis praecipue Venus colebatur.

14) Cycladas, insulas Aegei maris; fulgentes vocat, quia eminus adparent ob scopulos, quibus abundant, et spumam, quam efficit mare ad ipsas adlisum. Plures ex his insulis etiam Veneri sacrae erant.

15) Junctis suo currui oloribus, invecta curru oloribus juncto visit, invisit, frequentat. Vide Mythologiam.

16) Nox quoque, qua Dea, celebrabitur naenia, id est, hymno, vel carmine, et quidem propter nocturnam compotationem. Est autem Naenia carmen triste vel lugubre. Ast hic tale carmen non est intelligendum, sed hilare et jocosum, quod dignum sit hominum, a multo jam vino calentium; te nonnisi ironice Naenia adpellatur.

Ode XXI.

Ad Maecenatem.

Occasio et argumentum.

Maecenatem invitat poëta, ut, relictis urbanis negotiis, aliquantulum temporis ad se in villam concedat, genioque ibi indulgeat, momentis, quibus eum expugnare conatur, partim ab urbis fastidio, quod luxus ejus aliquando gignat, partim a ferventissimo anni tempore desumtis. Quum autem Maecenatem praefectura urbis, quam tum sustineret (ab a. 733) sollicitusque paullo gereret, maxime, quo minus copiam sui faceret, impediri intelligeret; poëta a nimia ista sollicitudine eum dehortaturus graviter ostendit, certis curas istas circumscribi oportere finibus, ne bona, quae praesens hora largiatur penitus elabantur; futuramque rerum curam vanam esse atque inutilem. Hinc fluminis exundantis ritu provolvitur concitatior poëtae spiritus, ex suo, de rebus humanis, praesentisque temporis in vitae incertitudine fortunaeque inconstantia fructu arripiendo, sensu altus atque nutritus.

Metrum, quod L. I. carm. 8.

Tyrrhena [1]) regum progenies, tibi [2])
Non ante verso lene [3]) merum cado,
Cum flore [4]), Maecenas, rosarum, et
Pressa tuis balanus [5]) capillis,
Jam dudum [6]) apud me est. Eripe [7]) te morae:

1) De Maecenatis a Tyrrhenis seu Etruscis regibus progenie vide L. I. od. 1. not. 1.

2) Sensus: tibi servatur domi meae lene merum in cado nondum inverso, id est, ex quo nondum effusum est vinum. Vasa enim pleraque vinaria in parte tantum superiore habebant os, neque hinc poterat hauriri vinum, nisi inverterentur.

3) Lene merum; vetustate emollitum, lenius factum, annosum.

4) Flore rosarum, id est, cum rosis. Ad solemne convivium pertinebant enim haec tria: vinum, unguenta et flores.

5) Pressa balanus; est haec glans unguentaria, ex qua compressa exprimebatur oleum aptum ad convivas ungendos. Sensus: habeo etiam apud me balanum, ex qua oleum eductum est, ad capillos tuos ungendos.

6) Jam dudum; non quod diu ista domi suae Maecenati servaverit; sed omnino impatientiam, qua amicum exspectat poëta, egregie his declarat.

7) Eripe te ac subducito iis rebus, quae te morantur, et impediunt, quo minus ad nos venias, et genium cures.

Ne [8]) semper udum Tibur [9]) et Aesulae [10])
Declive contempleris arvum, et
Telegoni [11]) juga parricidae.
Fastidiosam desere [12]) copiam, et
Molem [13]) propinquam nubibus arduis:
Omitte [14]) mirari beatae
Fumum [15]), et opes [16]), strepitumque [17]) Romae.
Plerumque [18]) gratae divitibus vices,
Mundaeque [19]) parvo sub lare [20]) pauperum

8) Ne semper in domo tua intra urbem delitescas, desideas. Jam domum Maecenas magnifice alteque exstructam habebat in hortis Esquilinis, unde in totam urbem adjacentesque regiones latissime prospectus pateret, quo eum admodum delectatum fuisse ex hoc loco colligas. Igitur sensus: ne semper contempleris, e domo tua prospicias in amoenissimas regiones, quas speciatim adducit poëta.

9) Tibur, urbs vicina Romae ad Anionem. Udum, propter rivorum et fontium copiam.

10) Aesulae, itidem urbs in vicinia Romae, in declivi posita, propterea declive arvum Aesulae.

11) Telegonus, filius Ulyssis e Circe, patrem imprudens interfecit; et Tusculum condidit in colle; propterea: juga, seu colles Tusculi.

12) Desere aliquantisper urbem, ipsa lautitiarum copia fastidiosam.

13) Moles propinqua, vicina nubibus arduis, altis; est ipsa Maecenatis domus.

14) Omitte, noli mirari, id est, ne te tantopere Urbis illecebrae capiant, ut inde abstrahi nequeas.

15) Per fumum designat poëta epularum luxum; ille enim e fumariis domuum, ubi magnificae adparantur epulae, prodit, et aestatis tempore, ad quod carmen hoc spectat, cum sol altissimus est, continuo tectis ac plateis incumbit, aëremque gravat; sicque explicat luxum et delicias urbis Romae, ut injucundi, molestique, quod iis admixtum est, sensum in Maecenate simul excitet, quo facilius eum inde abducat.

16) Per opes poëta omnia designare videtur, quae in genere ad luxum et splendorem pertinent.

17) Per strepitum autem indicat probabilius coenae lautioris tumultuosiorem adparatum, ministrantium ingenti numero discursus, convivantiumque liberiorem compotationem, ita, ut Romae eatenus omnino epithetum beatae, splendidae, opulentae, addi potuerit a poëta.

18) Sequitur amplificatio praecedentium versuum, et simul argumentum, quo Maecenati persuadeat, ut urbis deliciis aliquantisper careat, et in Sabinum suum commigret. Sensus: gratae enim sunt saepe divitibus vices, id est, vicissitudo, et mutatio, cum dapes opiparas ac mensas mutant frugalibus et parcis.

19) Mundae coenae, id est, nec sordidae, nec sumtuosae.

20) Sub lare, id est, in parva, exigua casa pauperum.

Coenae, sine aulaeis [21]), et ostro [22]),
Sollicitam [23]) explicuere frontem.
Jam [24]) clarus occultum Andromedae [25]) pater
Ostendit ignem: jam Procyon [26]) furit,
Et stella vesani Leonis [27]),
Sole [28]) dies referente siccos.
Jam [29]) pastor umbras cum grege languido,
Rivumque fessus quaerit, et horridi
Dumeta [30]) Silvani; caretque [31])
Ripa vagis taciturna ventis.
Tu [32]), civitatem quis deceat status,
Curas [33]); et Urbi sollicitus [34]) times [35]),

21) Aulaea sunt vela, quibus lacunar desuper integitur, ne quid in mensam suppositam decidat.

22) Ostro, hoc est, purpureis stragulis, quibus lectuli, ubi convivae discumbebant, instrati erant. Sensus ergo est: absque triclinari magnificentia.

23) Sollicitam frontem explicuere divitum hae coenae pauperum, id est, curas iis ademere, easque exhilararunt. Tristitia enim frontem in rugas contrahit; explicat autem laetitia et exporrigit.

24) Aliud argumentum, quo poëta Maecenatem ad suam villam pertrahere conatur: jam ferventissima aestas est, qua omnes ex Urbe rus evolant.

25) Andromedae pater Cepheus, Aethiopum rex, quem cum filia, uxore Cassiopea, et Perseo genero relatum inter sidera poëtae fabulantur. Est autem Cepheus sidus sub cauda ursae minoris, 7. Id. Julii oriens. Clarus seu lucidus, est epithetum cujuslibet sideris. Ostendit ignem; conspicuus fit.

26) Procyon, signum caeleste, canis minor, sive canicula; unus e canibus venaticis Orionis, oritur Idibus Julii, quem 11 diebus post sequitur stella primae magnitudinis in ore canis majoris, Sirii adpellatione frequentata.

27) Leonis stella. Signum Leonis, quod ingreditur Sol 13. Calend. Augusti.

28) Id est: cum sol refert iterum reducit dies siccos, tempus aestuosum et calidum.

29) Praeclare bucolicis, ut ita dicam, ulterius ferventissimum anni tempus poëta adumbrat coloribus, a villa sua, in qua nunc commoraretur, ei suppeditatis.

30) Dumeta Silvani; arbusta, Silvano sacra. Est autem Silvanus Deus silvarum, e Satyrorum gente, caprinis pedibus, prolixa et hirsuta barba. Vide Myth. Unde etiam horridus adpellatur.

31) Caretque etc. Significatur aestus maximus, qui nullo vento leniatur. ne in ipsa quidem fluminum ripa, ubi sunt frequentiores venti vagi, id est, jam ex hac, jam ex illa parte flantes.

32) Sententia: vel sic tamen rus secedere gravaris, haud perpelli potes; propter reipublicae salutem, in qua omnes curas tuas configis.

33) Curas: unice hoc agis, quomodo optime stet civitas, uti omnibus suis partibus integre persistat respublica.

34) Solicitus, anxius times, ne quid Roma detrimenti capiat. Erat enim Maecenas tum Urbis praefectus.

Quid Seres, regnata Cyro
Bactra parent, Tanaisque [36]) discors.
Prudens [37]) futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus;
Ridetque, si mortalis ultra
Fas trepidat. Quod [38]) adest, memento
Componere aequus: cetera fluminis
Ritu feruntur, nunc medio alveo
Cum pace delabentis [39]) Etruscum
In mare, nunc lapides adesos,
Stirpesque raptas, et pecus, et domos
Volventis una; non [41]) sine montium
Clamore, vicinaeque silvae;
Quum [42]) fera diluvies quietos

35) Times, prospicis de extremis imperii Romani finibus, Orientem atque Septentrionem versus. Orientis populos speciatim cum delectu ponit Seres extremos, qui Romanis innotuere, hosque potissimum propter finitimos Parthos, in Romanos fines continuo incursantes; pro quibus est Bactra, urbs regionis Bactrianae primaria, pro universo Parthorum regno, a Cyro quondam regnato, possesso.

36) Tanais, fluvius est in finibus minoris Tartariae. Accolae ejus sunt Scythae; discordes inter se, intestinis motibus distenti, quo minus infestandis nostris finibus vacare queant. Praeclare hoc epitheto, discors, vanam Maecenatis sollicitudinem arguit poëta.

37) Prudens, id est, prudenti consilio, sapienter Deus exitum futuri temporis, quae futuro tempore eventura sint, nocte caliginosa premit, seu, spissis tenebris involvit; ridetque hominum stultitiam ac vanitatem, ultra fas, id est, ultra, quam convenit, trepidantium, ultra modum sollicitorum, rerumque futurarum metu praesentium fructum abjicientium.

38) Imo vero, quod adest, praesens tempus, da operam, ut componas id est, recte ordines, et aequo animo constituas ea, quae praesentia sunt; nam cetera, id est, futura, in tua potestate non sunt, sed fortunae arbitrio subjacent; eaque nullo consilio regere aut mutare potes; quandoquidem more fluminis modo pacata, modo turbida defluunt.

39) Delabentis: defluentis quiete in alveo usque in mare Etruscum, quod Italiam adluit ab Occidente.

40) Nunc volventis etc. sensus: nunc intumescentis, torrentique impetu late stragem edentis, fluminis instar, quod lapides adesos, aquarum adpulsu excavatos, corrosos et comminutos, stirpes seu arbores radicitus evulsas etc. secum volvit et proturbat.

41) Non sine etc. id est: cum ingenti montium fragore, et silvarum vicinarum.

42) Quum fera diluvies, Tiberis immaniter exundans, amnes, qui eum influunt, qui sunt: Anio, Clanius, Nar et alii, e quiete sua proturbat, eodem furore accendit, ut, alveum egressi, late campos populentur; quod Tiberi

Irritat amnes. Ille [43]) potens sui,
Laetusque deget, cui licet in diem
Dixisse: Vixi: cras [44]) vel atra
Nube polum Pater occupato,
Vel sole puro: non tamen irritum [45]),
Quodcunque retro est, efficiet: neque [46])
Diffinget, infectumque reddet,
Quod fugiens semel hora vexit.
Fortuna [47]) saevo laeta negotio, et
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna.
Laudo [48]) manentem: si celeres [49]) quatit
Pennas, resigno [50]) quae dedit, et mea

tumido, indeque flumina, quae sese in eum exonerare solent, aspernante accidere necesse est.

43) Sensus: ille demum sui dominus, ab omni cupiditate atque adfectu liber, sicque laetus, placide et tranquille deget, seu vivet, id est, beatus dicendus est, qui hoc poterit vere pronunciare: ego vixi in diem, id est, praesentem tantum diem curo, de crastino non laboro, praesentibus rebus adquiesco et contentus sum.

44) Nexus sententiarum: crastinum diem nihil ad me pertinere existimo, neque ex futuro suspensus sum; ne tantillum igitur pensi habeo, utrum Pater seu Jupiter cras polum atra nube, spissa caligine occupet, involvat; an solem purum, nulla nubecula obfuscatum ostendat, id est: an boni vel mali quid crastinus dies adferat; unice beatus iis, quae perceperim, hoc solum meum judicans, quod a tergo est; quod nec Deus eripiat mihi.

45) Non tamen irritum efficiet, id est, abolere poterit praeteritum tempus, hujusque hilariter exacti sensum jucundissimum.

46) Neque diffinget, neque immutare poterit, quod fugiens hora, id est, tempus praeteritum semel secum avexit; gaudia praeterita non infecta reddet.

47) Per saltum hic idea omissa est: nam potens mei fortunae mancipium esse nolo; quae utpote laeta est, gaudet saevo negotio, id est, saeve, crudeliter cum hominibus agere, et pertinaciter, continue ludens ludum insolentem, id est, insolenter, arbitrarie homines tractans; transmutat honores, hoc est, modo in hunc modo in alium confert honores et munera sua, quibus hominem decorat favens, seu benigna nunc mihi nunc alii.

48) Sensus: quinimo ego fortunam nec venientem sentiam, nec recedentem. Igitur laudo manentem, apud me constanter habitantem, mihi faventem.

49) Si celeres quatit pennas; si avolat, si me deserit. Solent enim aves avolantes pennas concutere.

50) Resigno, restituo ei, quae dedit. Desumtum verbum a re argentaria veterum; qui enim pecuniam reddebant, quam acceptam significaverant in argentarii aut creditoris tabulis, illi redditam demonstrabant suo signo,

Virtute [51]) me involvo; probamque
Pauperiem [52]) sine dote quaero.
Non [53]) est meum, si mugiat Africis
Malus procellis, ad miseras preces
Decurrere; et votis pacisci,
Ne Cypriae Tyriaeque merces
Addant avaro divitias mari.
Tum [54]) me biremis [55]) praesidio scaphae [56]),
Tutum per Aegeos tumultus
Aura feret, geminusque Pollux [57]).

et nomine vel deleto et inducto, vel iterum scripto et signato, qua etiam significatione sumebatur verbum rescribo.

51) Mea virtute, ut veste, quae nos a frigore defendit, me involvo, munio contra fortunae vim et injuriam; in internis animi bonis adquiesco.

52) Sensus: et paupertatem amplector, pro quo: paupertatem, puellam indotatam quidem, at probam et honestam quaero; ejus consortium expeto, domo mea fortunae discessu vacuefacta.

53) Sententia vulgaris: atque in hac paupertate mihi admodum placeo, quippe quae a curis me immunem praestet, quibus divites continuo anguntur. Pro hoc angoris statim causas adnumerat poëta: non is ego sum, ut velim augere meas opes navigatione et commercio, et vota facere Superis, dum tempestas saevit, malusque navis meae, procellis a vento Africo excitatis, verberatus stridet ac ingemiscit, votisque illis quasi pacisci cum Diis et ab illis emere, ut ne meae merces, quas e Tyro aut Cypro advexerim, demergantur in mare, quod multorum jam opes hausit, servatque instar avarorum.

54) Nexus sententiarum: tum ego potius, quando alii, deprehensi tempestate, de servandis opibus miserrime laborant, in tali periculo constitutus, aequissimo rerum mearum jacturam ferens animo, nave oneraria, tempestati diripienda, relicta, conscensaque scapha, ei adnexa, nudus in litus evadam; seu, demta allegoria: qualescunque opes meas aequo, si fortuna ita ferat, auferri mihi sinam animo.

55) Biremis, navis, quae duobus tantum remis agatur.

56) Scapha. Solent ejusmodi Scaphae adjungi majoribus navigiis, ut, si periculum ingruat, in eas vectores possint se recipere.

57) Geminus Pollux, conjunctus cum suo fratre Castore, qui eodem partu editus est a Leda cum fratre suo Castore. Sunt ignes instar stellarum adparentes in mari, serenitatis indicium facientes, cum simul duo adparent. Vide L. I. od. 3. not. 3.

Ode XXII.

Ad Melpomenen.

Argumentum.

Edidit Horatius tres primos libros carminum suorum simul, et hanc odam illis ut conclusionem operis adjunxit. Auguratur itaque magnifico sensu, immortalibus ingenii operibus innixo, nominis sui immortalitatem, poësi lyrica, quam primus Latio intulerit, partam atque fundatam, laurumque a Musa sibi imponi nobilissima cum arrogantia postulat.

Metrum L. I. carm. 1.

Exegi [1]) monumentum aere perennius,
Regalique situ pyramidum [2]) altius;
Quod non imber [3]) edax, non Aquilo [4]) impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, et fuga [5]) temporum.
Non [6]) omnis moriar; multaque pars mei
Vitabit [7]) Libitinam. Usque [8]) ego postera
Crescam laude recens, dum [9]) Capitolium

1) Exegi, id est, erexi, in altum eduxi monumentum. Carminum suorum monumenta cum iis comparat, quae homines ad propagandum ipsorum ad posteros nomen aere aut congesta saxorum strue educere solent; quibus suum quidem et ad perennitatem famamque durabilius atque illustrius generoso spiritu pronunciat.

2) Atque ipsis pyramidibus altius; unde adeo majorem consequuturus sum nominis gloriam, quam reges Aegyptiorum pyramidibus exstructis. Ea propter: situ pyramidum regio, id est: pyramidibus sumtibus vere regiis erectis, positis. Erant autem pyramides saxeae quaedam moles, e basi quadrata in acumen surgentes, mira altitudine et amplitudine, ab Aegyptii regibus aedificatae; ut in iis, morte obita, conderentur.

3) Imber edax: dissolvens compagem saxeam, arrodens aes.

4) Aquilo impotens, immodice furens licet et vehementissimus; tamen impotentior est, quam ut diruere possit.

5) Fuga temporum: tempus fugiens, id est, aetas longissima, ita quidem, ut illud fuga temporum, longum saeculorum decursum, hoc omne, quod futurum est, tempus designet.

6) Non totus moriar, esse desinam, multa, eaque meliore mei parte superstite.

7) Vitabit, mortem effugiet. Erat enim Libitina Dea funerum.

8) Ego crescam laude postera, id est: laus, gloria, nomen meum crescet apud posteros usque recens, ita, ut nova in dies incrementa capiat; novis usque auctibus apud posteros vigebit, nunquam inveterascet.

9) Dum seu donec Romanum imperium, quod aeternum credebant fore,

Scandet cum tacita Virgine Pontifex.
Dicar [10]), qua violens obstrepit Aufidus [11]),
Et qua pauper aquae Daunus [12]) agrestium [13])
Regnavit populorum, ex humili [14]) potens,
Princeps Aeolium carmen ad Italos
Deduxisse modos. Sume [15]) superbiam
Quaesitam meritis; et mihi Delphica [16])
Lauro cinge volens [17]), Melpomene, comam.

durabit; donec sacra fient in Capitolio, et in illud ascendent Pontifices Maximi cum Vestali Virgine. Singulis enim idibus fiebant a Pontificibus in arce sacrificia, quae idcirco Idualia vocabantur. Aliqua e Vestalibus semper aderat cum Pontifice Maximo in omnibus sacrificiis; neque tamen ulla sacrorum verba pronunciabat: sed solus Pontifex; atque ideo dicitur tacita. Porro per centum gradus in Capitolium ascendebatur. De pontificibus vide Antiquitates; et de Vestalibus Myth.

10) Ordo ac sententia: omnes in Italia, in qua est fluvius Aufidus, et in qua Daunus regnavit, dicent ac praedicabunt me ex humili potentem, id est, clarum ex obscuro et ignobili factum, Aeolium carmen, nempe lyricum, deduxisse ad Italos modos, id est in Latium, in Latinam linguam invexisse, principem seu primum omnium. Nemo enim ante Horatium lyricos versus Latinos fecerat. Lyricum carmen ideo dicitur Aeolium, quod Lesbos insula natalis esset Alcaei et Sapphus, a quibus apud Graecos inventum erat. Vide L. II. od. 10. not. 26 et 28.

11) Aufidus est fluvius Apuliae, Dauniam dividens a Peucetia. Fuit Horatii natale oppidum Venusia in Apuliae finibus. Vide Vitam Horatii. Violens, seu violenter obstrepit, fluit.

12) Daunus in Apulia regnavit; dicitur aquae pauper, quia totus Apuliae tractus maxime siccus est, et aquarum inopia laborat.

13) Agrestes dicuntur Apuli, quia incultiores aliis Italiae populis erant.

14) Ex humili, id est, qui prius eram humilis et ignotus, nempe libertini patris filius.

15) Laurum jam Musam poscit vates, ea dignissimus, ipsa hac arrogantia sua placens, atque amabilis. Sume, o Melpomene, accipe in bonam partem hanc qualemcunque meam arrogantiam, qui mihi tam fidenter immortalem gloriam ausim, polliceri; est illa meritis quaesita, et mihi jure concedenda atque ignoscenda. Est autem Melpomene Musa proprie poëseos tragicae seu tragoediae; ast poëta hic suam superbiam cum illa, tamquam Musa sua lyrica, communicat.

16) Delphica, Apollinea, Delphis enim, quae civitas est Boeotiae juxta Parnassum, Apollo in primis colebatur, ac edebat oracula.

17) Volens, id est, propitia.

Q. Horatii Flacci

Carminum

Liber quartus.

Ode I.

Ad Julum Antonium.

Occasio et argumentum.

Quartum hocce carminum lyricorum volumen, ex longo intervallo ab Horatio, idque Augusti potissimum hortatu, qui ita cavere studeret, quo minus, quae in Nerones, privignos suos, ipsius jussu ab eo composita essent, interciderent carmina, victorias ipsorum celebrantia, tribus prioribus fuisse additum a Suetonio in vita ejus proditum est; et quidem ita, ut partim ea, quae dudum parata, neque dum tamen in vulgus edita, servaret, partim, quae tum temporis primum composuisset, in unum volumen conjecta, tum primum una cum Neronianis ediderit carmina. Jam ad primum carmen quod attinet: a. u. 738 cum Germaniae populi Sygambri, Usipetae, aliique quosdam Romanorum in suo territorio deprehensos cruce necassent, Lolliumque praefectum cum equitatu, contra ipsos misso, vicissent; adversus eos profectus est Roma Augustus. Hujus metu ad sua redeuntes Barbari, datis obsidibus pacem acceperant. Mansit tamen Augustus in Gallia, Druso in Rhaetos misso, donec a. u. 741 rediit Romam. Ejusdem reditum ac victoriam, ludis et varia laetitiae publicae significatione, celebravit Julus Antonius Praetor, Marci Antonii Triumviri filius; hortatusque Horatium erat, ut in idem argumentum versus scriberet. Ad Augusti itaque reditum et triumphum celebrandum ita se componit poëta, ut quum Pindarici spiritus artisque argumentum professus esset, ingenii sui modulum atque imbecillitatem excuset, Antoniumque vicissim, quippe tanto conatui unice parem, ad illud in se recipiendum, sedulo exhortetur.

Metrum L. I. carm. 2.

Pindarum [1]) quisquis studet aemulari [2]),
Jule [3]), ceratis [4]) ope Daedalea
Nititur [5]) pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.
Monte [6]) decurrens velut amnis, imbres
Quem super notas aluere [7]) ripas,
Fervet [8]) immensusque ruit profundo
Pindarus ore:
Laurea [9]) donandus Apollinari,
Seu per audaces nova dithyrambos [10])

1) Sententia vulgaris: Augusti victoriis celebrandis impar sum; Pindari ingenium exprimas necesse est, si cum laude in tam gravi argumento versari cupias. Quod quam arduum ac difficile sit, facile perspicitur. Adeo ille supra omnes eminet in quovis poëseos genere.

Pindarus fuit poëta Thebanus, lyricorum apud Graecos princeps, floruit Olympiade 75, ante Ch. nat. 440.

2) Aemulari, id est, imitari.

3) Julus Antonius, filius M. Antonii Triumviri, post necem patris veniam ab Augusto, et eximios honores adeptus, cum nihilominus in eum conjurasset, ejusdem jussu est interfectus.

4) Ceratis. Sensus: quicunque studet Pindarum imitari, ille alis utitur ceratis ope Daedalea, id est, cera compactis a Daedalo; idem facit, quod Icarus, qui alas humeris aptavit, confectas a patre suo Daedalo; sed ejus fatum idem erit atque Icari, qui solutis pennis, sole ceram liquefaciente, in mare decidit, cui nomen suum dedit. Icarium mare pars est Aegei maris, vitreum vocatur, quia est caeruleum et pellucidum instar vitri.

5) Nititur, enititur, librat se in aëre.

6) Pindarum poëtarum longe principem, neminique adeo imitabilem dum ostendere vult poëta, magnitudine ejus perculsus, transversimque raptus in laudes ejus, tanquam solam hanc exornandam carmine sumsisset materiem, copiosus exundat, hocque ipso felicissimum sese Pindari imitatorem probat. Est autem stylus Pindari incitatus, uberrimus, et sententiarum gravitate praestans, itaque recte cum fluvio aestuante, et de monte ruente comparatur.

7) Amnis, quem aluere, id est, cum auctus est imbribus, super, id est, ita, ut excedat et transeat ripas notas, consuetas, quibus erat decurrere solitus.

8) Fervet, concitato spiritu fertur, aestuat, et immensus ruit, exuberat orationis vi ac copia, ore profundo, id est: carmine ac stylo amplo, sublimi et copioso.

9) Laurea donandus: hoc est, semper primarius et classicus poëta, in quovis poëseos genere lauro dignus, sive etc. Jam Pindari varia opera hinc usque ad v. 24. enumerat. Apollinari, pro, Apollinea.

10) De dithyrambis nullum hodie est certum judicium; hoc saltem sci-

Verba [11]) devolvit [12]), numerisque [13]) fertur [14])
Lege solutis;
Seu Deos, regesve [15]) canit, Deorum
Sanguinem, per quos [16]) cecidere justa
Morte Centauri [17]); cecidit tremendae
Flamma Chimaerae [18]): –
Sive [19]), quos Elea domum reducit

mus, fuisse carmina Bacchica, Libero patri sacra, in quibus regnaret effrenissima enthusiasmi rabies, summa mentis perturbatio, concitatissimus sensuum impetus, verborum et metri, item troporum et figurarum audacissima licentia, denique magna et mystica quaedam obscuritas, ut ab ebrio sive lymphato effusa viderentur. Hinc, audaces, quod in iis ingenii poëtici audacissimus nisus cerneretur.

11) Nova verba: non solum verba per se nova, vel ab ipso poëta efficta, vel novo modo composita; sed etiam novae inusitataeque verborum juncturae, novae antiquiorum verborum significationes, nova totius orationis forma et structura.

12) Devolvit: vox a fluvio desumta, qui magna vi e superiore loco delabitur; adeoque: orationem torrentis instar praecipitat.

13) Numerus est proprie omnis ratio, mensura ac dinumeratis temporibus alternatio, quae in motu aliquo seu progressu observatur. Talis numerus seu rhythmus erat jam apud antiquissimos homines in cantu et saltatione; hinc et in carminibus. Diversum ab illo est metrum, hoc est, horum ipsorum numerorum certus ac semper recurrens ordo. Numeri ergo hoc loco dithyramborum vocantur lege soluti, non quod nullum plane in iis metrum fuerit, sed quod, ut est in omni re majus vel minus aliquid, liberiores hac parte fuerunt.

14) Fertur, id est, praecipitatur.

15) Reges, pro heroibus et magnis hominibus antiquitatis, qui etiam sanguis seu filii Deorum adpellantur; intellige itaque odas heroicas, uti per cantum Deorum hymnos.

16) Per quos: intelligendi hic sunt in specie Hercules, Theseus et Pirithous, qui Centauros confecerunt.

17) Centauri, populus Thessaliae circa Pelium montem, qui primi in equis pugnasse dicuntur, unde orta est fabula, quod Centauri fuerint animalia, composita homine et equo. Ex his Nessum interfecit Hercules; vide Myth. Pirithous vero, rex Lapitharum, itidem Thessaliae populi, assumto in societatem belli Theseo, Centauros poenis gravissimis mulctavit; quod Lapithis gravissimis injuriis adfectis, caedem etiam essent machinati in convivio, ad quod eos invitarat, prima nuptiarum die, quas cum Hippodamia contraxerat. Vide L. I. od. 16. not. 11.

18) Chimaera mons Lyciae fuit, in Asia minori, cujus in vertice leones stabulabantur, in radice serpentes, in medio caprae pascebant; unde nata fabula, monstrum esse leonino capite, alvo caprina, serpentina cauda, flammas vomens ore etc. Hoc monstrum Bellerophon domuit.

19) Sive, subaudi, canit Pindarus eos, quos Elea palma, id est, corona relata in ludis Olympicis, apud Elidem, Graeciae civitatem, celebrari

Palma caelestes, pugilemve [20]), equumve [21])
Dicit, et centum potiore [22]) signis
Munere donat:
Flebili sponsae juvenemve [23]) raptum
Plorat; et vires animumque moresque
Aureos educit [24]) in astra, nigroque
Invidet Orco.
Multa Dircaeum [25]) levat aura cygnum,
Tendit, Antoni, quoties in altos
Nubium tractus [26]): ego, apis Matinae [27])
More, modoque,

solitis, reducit domum caelestes, seu Superis aequales, caelestibus, ob relatam cum victoria gloriam, comparandos.

20) Pugilemve: sive dicit, sive laudat pugilem, id est, aliquem, qui pugno vicerit, quod certaminis genus unum erat e quinque certandi modis, in celeberrimis illis ludis Olympicis usurpari solitis: saltu, disco, cursu, luctu, et pugilatu. Pugiles autem proprie nudis pugnis decertabant inter se, quos interdum tamen armabant caestibus; erantque caestus involucra e corio bubulo facta, quibus extremam brachii partem, ad validiores ictus infligendos, tegebant, armabantque.

21) Equumve: aut aliquem laudat, qui curuli vicit certamine.

22) Potiore; quod praestat centum signis, in victoris honorem erigi solitis, ob carminum immortalitatem.

23) Juvenemve: sive juvenem plorat, raptum praematura morte, ereptum sponsae flebili, contristatae, moerore inde oppletae.

24) Et educit in astra: extollit, celebrat, vires animumque, id est, propter eximias ejus animi corporisque dotes; et morti eripit, mori istas virtutes non sinit; quae enim aliis invidemus, adimimus, aut certe adimere illis volumus. Mores aureos, id est, egregios, sanctos, optimos. Threnos seu carmina lugubria hic designat.

25) Excelsus ingenii Pindarici nisus, praeclare cycni, altissime volantis, specie jam repraesentatur, atque sensibus plane subjicitur a poëta. Sensus vulgaris. Pindarus cycni instar, in altum evolat; pro quo, Pindarus cycnus ille Dircaeus, id est, vates Thebanus, a Dirce, fonte vicino Thebis, quae urbs est Graeciae in Boeotia, ita dictus, multo vento, aura favente et secunda in altas nubes tollitur, id est, utitur in his omnibus dicendis, sive Deos, sive heroes et victores canat, stylo sublimi, et humum spernit fugiente penna. Nota: poëtae cum cycnis, qui suavissime cantare feruntur, comparari solent.

26) Nubium tractus, aëris vasta spatia, ubi nubes pendent, ac trahuntur quasi. Tractus de terra pariter et mari dicitur, pro regione et aequore.

27) Matinus, mons in Calabria, Apuliae, patriae poëtae, vicinus. Sensus: ego Calabrae apis more, circa flores vagandi, et modo, mellis inde conficiendi, thyma carpentis, depascentis, succos mellis inde delibantis, grata,

Grata carpentis thyma per laborem.
Plurimum, circa nemus uvidique
Tiburis ripas operosa parvus
Carmina fingo.
Concines majore poëta [28]) plectro
Caesarem, quandoque [29]) trahet feroces
Per sacrum [30]) clivum, merita decorus [31])
Fronde, Sygambros [32]):
Quo [33]) nihil majus, meliusve terris
Fata donavere, bonique Divi:
Nec dabunt, quamvis redeant in aurum
Tempora priscum.
Concines laetosque dies, et Urbis
Publicum ludum [34]), super impetrato
Fortis Augusti reditu; forumque [35])
Litibus orbum.
Tum [36]) meae, si quid loquar audiendum,

dulcia, quibus libentissime immorantur, per laborem plurimum, laboriose, multo cum labore, sedulitate, ipsis insita, volitans circa nemus et ripas, floribus abundantes Tiberis uvidi, humidi, pro, in secessu meo Tiburtino carmina operosa, operose instar apis, parvus, tenui facultate poëtica praeditus, fingo.

28) Poëta: tu, o Antoni, poëta praestantissime, multo dignius victoriam Augusti de Sygambris reportatam concines, carmine celebrabis.

29) Quandoque, id est, quando trahet, seu, in triumpho ducet feroces, bellicosos Sygambros.

30) Per clivum sacrum: viam sacram, per cujus clivum triumphantes Capitolium petebant.

31) Decorus fronde; id est, redimitus lauro, laureatus.

32) De Sygambris, vide argumentum hujus odae.

33) Quo nihil majus etc. referendum est ad Caesarem. Neque major unquam quisquam, neque melior eo exstitit, quamvis redeant in aurum priscum, id est, tempora aureae aetatis.

34) Publicum ludum Urbis, id est, ludos a Senatu pro felici Augusti reditu Diis votos, nunc edendos.

35) Forum litibus orbum, in quo nullae causae aguntur; declarantur dies laeti seu festi, per quos ab consuetis negotiis vacabant Romani.

36) Nexus sententiarum: concines tu laetitiam universi populi, faustis adclamationibus eam prodentibus; atque hanc ipsam statim subjicit, et ita describit, ut suos laetitiae sensus primarios faciat; quamquam eos intentiore voce ostensos, in effreniori omnium gaudio atque exsultatione vix perceptum iri sperare audeat. Occupatur igitur jam poëta describenda revertentis Augusti pompa, animoque praecipit, quantis eum plausibus populus Romanus excepturus sit, sicque munus capessit; cui se subtrahere videri vult. — Tum ubi Augustus Urbem intraverit, accedet adclamantium

Vocis accidet bona pars: et, o sol [37])
Pulcher, o laudande, canam, recepto
Caesare felix.
Tuque [38]), dum procedis, io triumphe!
Non semel dicemus, io triumphe,
Civitas omnis, dabimusque Divis [39])
Thura benignis.
Te decem [40]) tauri, totidemque vaccae;
Me tener solvet vitulus, relicta [41])
Matre, qui largis juvenescit [42]) herbis
In mea vota;
Fronte [43]) curvatos imitatus ignes
Tertium Lunae referentis ortum,
Qua [44]) notam duxit, niveus [45]) videri,
Cetera fulvus.

turbae, adjungetur bona, magna pars meae vocis, adclamabo ei altissima, qua potero, voce; inter adclamantium voces mea imprimis exaudietur. Si quid loquar audiendum, si tamen quid efficere potero, si vox mea, quantumvis intenta, exaudiri poterit.

37) Sequuntur adclamationum formulae: o sol pulcher, o laudande, o lucem pulcherrimam, o diem praeclarum, qui te nobis restituit. Pro hoc ex sua persona poëta: canam, accinam adclamabo ego felix, felicissimum me mortalium existimans, adeoque laetus exsultans ob receptum, redditum Caesarem.

38) Dum tu in ipsa pompa procedis, id est, insigni quadam pompa, cultuque incessurus es qua praetor, ad ordinandum triumphum, et clamas, io triumphe; nos turba spectatrix, pro quo est, civitas omnis, non semel, iterum, iterumque dicemus, respondebimus, vicissim adclamabimus, io triumphe.

39) Divis benignis; reditum Caesaris benigne praestantibus, tura dabimus; incendi enim ista solebant in aris per plateas, quas pompa ista attingeret, erectis.

40) Ab incenso ture naturali ordine defertur poëta ad describenda sacrificia, publice privatimque isto die Diis offerenda. Sed revocat iterum generalem sententiam ad se et Antonium, et utriusque facultatibus adcommodat. Tu exsolveris voto immolandis 10 tauris, quos Diis vovisti, ego vitulum. Vota enim nuncupantes obligantur Diis, reque, quam propter facta sunt, exitum habente, iisdem debere dicuntur; solvuntur adeo voto, qui Diis, quae voverant, offerunt.

41) Tener vitulus relicta matre, a lacte depulsus.

42) Juvenescit, crescit, adolescit in largis pratis seu herbis, destinatus huic sacro votivo.

43) Fronte curvatus etc. Habens cornua in fronte curvata, instar Lunae crescentis, et tertio die a novilunio adparentis.

44) Certa corporis parte (fortasse in fronte, ubi pecudes solent notari, ut agnoscantur, cujus sint) nota candida insignis; cetero corpore, quod spectat reliquas corporis partes, fulvus.

45) Niveus videri, Graeca constructio pro, niveus visu.

Ode II.

Ad Melpomenen.

Argumentum.

Felicissimum mortalium facultate sua poëtica, quaesitaque inde carminibus inter populares suos fama, ita se hoc carmine jactat Horatius, ut in summa arrogantia arrogantiae prorsus expers videri cupiat, hocque insigni artificio omnem a se invidiam amoliatur. Nimirum Musis dum se acceptum ferre profitetur, quod vi ingenii poëtica polleat, studiisque poëticis ita deditus sit, ut unice inde, vel splendidissimis laudum titulis post habitis, gloriae sibi quaerendam existimet materiem: tantum abest, ut hanc sibi ipse vindicet gloriam, gloriabundique personam induat, ut potius ad Musas eam totam referat, iisque, quae illud in se munus contulerint, gratum suum testari gestiat animum.

Metrum L. I. carm. 3.

Quem [1]) tu, Melpomene, semel
Nascentem placido lumine videris;
Illum [2]) non labor Isthmius [3])
Clarabit [4]) pugilem [5]), non [6]) equus impiger

1) Quem nascentem, vix dum in luminis auras editum Musae (e quibus Melpomenen ponit, forte poëseos lyricae respectu, quo adeo sententiam ad se tacite convertit, vide L. III. od. 22. not. 15.) placido lumine viderint, id est, placidis oculis, placido vultu adspexerint, is nullis aliis illecebris capitur. Sensus vulgaris: quos Musae amant, quibus favent aut propitiae sunt, in hos munera sua liberaliter conferunt; hi poëtae fiunt.

2) Sententia: is illud studium suum poëticum potius habebit ceteris, quibus mortales ad summum felicitatis fastigium enitantur, gloriam adeo poëticam vel victoriae in ludis sacris Graecorum, ac triumpho splendidissimo praeferet.

3) Labor Isthmicus: certamina Isthmica, in honorem Neptuni instituta a Sisypho, et quinto quoque anno celebrari solita in Isthmo Corinthiaco, hoc est in illis terrae argustis faucibus, quae, interpositae Aegeo et Jonio maribus, Achajam Helladi conjungunt. Quidam adfirmant etiam, tertio quovis anno hos ludos celebratos fuisse.

4) Clarabit: clarum efficiet.

5) Vide odam I. not. 20.

6) Neque equus impigro cursu suo efficiet, ut currui victor insistat; non victor vehetur curru; non laborabit ille de victoria potiunda. Achaicum vocat currum, quia Romani in genere Graeciam Achajae nomine intelligebant.

Curru ducet Achaico
Victorem; neque [7]) res bellica Deliis
Ornatum foliis ducem,
Quod regum tumidas contuderit minas,
Ostendet Capitolio:
Sed [8]) quae Tibur [9]) aquae fertile praefluunt [10]),
Et spissae nemorum comae,
Fingent [11]) Aeolio [12]) carmine nobilem.
Romae [13]), principis [14]) urbium,
Dignatur suboles inter amabiles
Vatum ponere me choros:
Et jam [15]) dente minus mordeor invido.
O [16]), testudinis [17]) aureae
Dulcem quae strepitum [18]), Pieri [19]), temperas:

7) Is neque curabit bellica laude inclarescere; non adspirabit ad summam bellicae virtutis gloriam. Ordo est: res bello strenue gesta non eum ostendet Capitolio ducem et imperatorem triumphantem, ornatumque foliis Deliis (id est, lauro Apollini sacra, cujus cognomen Delius, a Delo insula ei natali) quod reges superbos minacesque contuderit, profligaverit.

8) Sensus: sed is Musis unice vacabit. Poëticum studium venuste declaratur secessu poëtarum atque otio in amoenissima regione.

9) Tibur. Vide L. I. od. 6. not. 17.

10) Praefluunt, id est, praeterfluunt Tibur fertile; et nemorum spissae comae, id est, umbrosum Tiburni lucum.

11) Fingent, reddent idoneum, ut Aeolia carmina conficiat, quibus nobilitetur, et famam insignem sibi comparet. Poëtae enim silvarum amoenitate ac secessu maxime gaudent.

12) Aeolio carmine, id est, lyrico; quia Alcaeus et Sappho, ejus carminis auctores, quos Horatius imitatus est, erant oriundi e Lesbo insula, et ex urbe Mitylene, quae ditionis Aeolicae erat.

13) Jam apertius loquitur poëta, sibique hanc ingenii poëtici laudem ac famam Musarum beneficio inter populares suos contigisse profitetur.

14) Romae soboles, pro, Romani. Principis urbium, id est, quae est princeps imperii Romani, quod per totum terrarum orbem porrigitur.

15) Sensus: et jam invidia major sum; minus jam invidis ac malevolis hominum obtrectationibus mea obnoxia sunt carmina.

16) Sensus: totum hoc, quidquid arte poëtica valeo, quantumcunque mihi laudis inde obtigit, tui, o Pieri, Melpomene, muneris est, tibi soli acceptum fero. Amolitur ita a se gloriae invidiam; quamquam de se vel sic, quod se Musis amicum fert, generosum sensum prodit.

17) Testudinis. Sic lyra vocatur, quia Mercurius eam primo compegit e tergo testudinis.

18) Quae dulcem strepitum temperas, id est, quae amoenum lyrae meae cantum moderaris, regis.

19) Musae etiam Pierides vocatae sunt, a Pierio fonte Macedoniae, ipsis sacro.

O, mutis quoque piscibus
Donatura cycni, si libeat, sonum!
Totum muneris hoc tui est,
Quod [20]) monstror digito praetereuntium
Romanae fidicen [21]) lyrae:
Quod spiro et placeo, si placeo, tuum est.

Ode III.

Drusi laus.

Occasio et argumentum.

Rhaeti erant gens bellicosissima atque crudelissima, incolebant Alpium declivia ab oriente meridiem versus vergentia, terram adeo Grisonum ac Tirolensium, et ad Veronam usque, Comumque pertingebant. Vindelici Rhaetis contermini, adeoque plagam septemtrionalem, quae maxime per Bavariae fines porrecta Tirolensis agri partem complectitur, tenebant. Uterque hic populus quum partim Galliam togatam, partim Italiae finitimas partes adsiduis incursionibus vexaret, missus primum ab Augusto Drusus contra Rhaetos cum exercitu a. u. 739. in Tridentinis ad Alpium radices eos obviam sibi factos fudit, fugavitque; mox, quum ab Italia repressi Galliam togatam urgerent, cum Tiberio, adjutore operis ei ab Augusto dato, cum divisis copiis Vindelicis eos adgressus, perdomuit. In laudem igitur Drusi ac Tiberii, privignorum Augusti, jussu hujus, compositum est hoc carmen. Jam quum illud in Druso maxime admiratione dignum esset, quod admodum juvenis 23 annorum tantas res confecisset, juvenilem ejus ferociam cum aquila ac leone comparat ab initio statim, qui, quam primum adoleverint, generosam indolem suam, editis patriae virtutis documentis, luculenter exserant; unde adeo generosa Drusi, clarissimis majoribus orti, indoles optime perspicitur. Neque tamen vel sic Drusus illud effectum dare potuisset, nisi in Augusti domo cum Tiberio fratre caelestium praeceptorum disciplinis innutritus confortatusque fuisset. Ita enim demum, si bono ingenio bona accesserit institutio, praeclarum ac divinum quiddam existere: uti contra, absque hac, optimam quamque indolem degenerare contendit. Tum a Drusi juvenis generosa virtute ad majores ejus, a quibus eam quasi haereditate accepisset, poëtae impetus provehitur, et in illustrando Caji Claudii Neronis splendidissimo, et ad conservandam rem Romanam efficacissimo facinore, in Hasdrubale opprimendo designato, omnem vim suam exserit ac deponit. Quo autem illustriores Claudii Neronis laudes essent, magnifica ipsius Hannibalis oratione, infensissimi Romanorum hostis, eas persequutus est, atque ita campum sibi adperuit, in quo simul invictam Romanorum vim, Punico isto bello ostensam, explicare posset; quae haud dubie magnificentissima est pars carminis.

20) Sensus: quod summam in poësi lyrica laudem consequutus sum; quod in omnium ore versor. Publicam hanc famam atque admirationem pulchre ita designat, ut se jam a populo praetereunte digitis monstrari dicat.

21) Fidicen: poëta Latinus lyricus.

22) Quod spiro, id est, quodcunque poëtici spiritus mihi est etc.

Metrum Lib. I. carm. 8.

Qualem [1]) ministrum [2]) fulminis alitem,
Cui rex Deorum regnum in aves vagas
Permisit, expertus fidelem
Jupiter in Ganymede [3]) flavo [4]),
Olim [5]) juventas et patrius vigor
Nido laborum [6]) propulit inscium:
Vernique [7]), jam nimbis remotis,
Insolitos docuere nisus

---

1) Sententiarum ordo: Sicuti aquila, vix dum volandi facto periculo, vires suas in avibus, mox audacior facta, in draconibus experitur; vel ut caprea leonis catulum ad se accedentem videt; talem Drusum juvenem videre Vindelici.

2) Minister fulminis aquila dicitur, vel, quod, ut Plinius auctor est, nunquam fulmine feriatur; vel quod in altissimos nubium tractus evolet, ubi fulmina producuntur, et unde in terras decidunt.

3) Ganymedes fuit puer elegantissimus, Trois, Trojanorum regis, filius, quem aquila ex monte Ida, ubi venabatur, in caelum sustulit jussu Jovis, qui eum sibi a poculis habere voluit. Eatenus ergo fidele servitium Jovi praestitisse dicitur, rapiendo nimirum Ganymedem.

4) Flavo; flavis crinibus; specialis pulchritudinis notio.

5) Sensus vulgaris: ut ales, juventa ac patrio vigore compulsus, nido evolat. Et pro hoc: ut olim, seu primum juventas et vigor a patre acceptus nido propellit eum.

6) Laborum inscium, id est: volandi adhuc rudem et inscium.

7) Vernique. Ordo est: et venti verni, jam remotis nimbis, seu, jam depulsa et fugata hieme, eandem aquilam, quamvis adhuc paventem, docue-

Venti paventem; mox [8]) in ovilia
Demisit hostem vividus impetus;
Nunc [9]) in reluctantes [10]) dracones
Egit amor dapis, atque pugnae;
Qualemve [11]) laetis caprea pascuis
Intenta, fulvae [12]) matris ab ubere [13])
Jam lacte depulsum leonem,
Dente [14]) novo peritura, vidit [15]):
Videre [16]) Rhaetis [17]) bella sub Alpibus
Drusum [18]) gerentem Vindelici: quibus [19])

runt nisus insolitos. Per nisus autem intellige conatum, et laborem junioris aquilae in volando, in librandis pennis, in quo utitur ope ventorum, a quibus defertur, et veluti volare docetur.

8) Mox volandi periculo facto, ubi nidum reliquerit aquila, vividus et acer impetus demittit eam in ovilia; id est, cum impetu defertur in oves quas rapit.

9) Nunc, id est: et demum cupido dapis seu praedae et pugnae eam agit, impellit in dracones. Sensus: praedae cupidus et pugnae adgreditur magnos serpentes.

10) Reluctantes, pugnantes, et contra aquilam se acriter defendentes. Mutuum enim inter se odium exercent, a natura insitum.

11) Sensus: qualis est leo, cum in capream, occupatam in herbis depascendis, et nihil de hoste ac periculo cogitantem, fertur etc.

12) Fulvae matris, id est, leaenae.

13) Ab ubere. Recentem ab ubere, qui non ita pridem ubera sugere desiit, quod idem est, ac, lacte depulsum, in sequenti versu.

14) Dente novo, nondum ad praedam et caedem exercitato, assuefacto. Peritura: a quo sibi certam necem paratam intelligit.

15) Videt eum, nempe leonem, potiundi ejus cupiditate, adpropinquare.

16) Sententia vulgaris: talem, tam praevalida vi Drusum annorum 23 juvenem videre etc.

17) De Rhaetis et Vindelicis, vide argumentum.

18) Drusus, filius Tiberii Neronis fuit, ac Liviae Augustae, quae, relicto et adnuente priori viro, Augusto nupsit, ac tertio quam nupserat mense, hunc Drusum peperit. Primam autem poëta hic pugnam innuit, quo Drusus Rhetos, apud Alpes Tridentinas obviam sibi factos, celeriter profligavit. Igitur Vindelici, Rhaetis finitimi, videre Drusum bella gerentem, maxima virtutis bellicae specimina edentem sub Rhaetis seu Rhaeticis Alpibus. Recte enim ita efferri poterat propter continua Alpium Rhaeticarum et Tridentinarum juga. De Vindelicis autem nondum his versibus sermo est, nam hi serius una cum Rhaetis, qui ab Italia repressi, cum Galliae togatae imminerent, a Druso Tiberioque, adjutore operis ab Augusto dato, eorumque legatis, divisis copiis, diversisque locis fusi atque perdomiti sunt. Igitur adcurate hoc loco loquitur poëta, dum Vindelicos Drusi virtutem primum in Rhaetis vidisse, mox semet ipsos sensisse, ait.

19) Jam ad armorum, quae in pompa triumphali praeferri solerent,

Mos unde deductus per omne
Tempus Amazonia [20]) securi
Dextras obarmet, quaerere distuli;
Nec [21]) scire fas est omnia: sed diu
Lateque victrices [22]) catervae,
Consiliis juvenis [23]) revictae,
Sensere, quid mens [24]) rite, quid indoles,
Nutrita faustis sub penetralibus [25]),
Posset, quid Augusti paternus
In pueros animus Nerones [26]).
Fortes [27]) creantur fortibus et bonis:

quaeque in Germanis populis haud dubie maximam apud Romanos mirationem facerent, genus notandum paulisper deflectit poëta, ita tamen, ut istam ingenii exuberantis phantasmatum copia atque confusi culpam objectam statim missam faceret atque corrigeret. Sensus: qui Vindelici, cur hunc morem habeant, et unde deductum, id est, derivatum sit, ut arment dextras securi, quali Amazones olim usae sunt, neglexi, et in aliud tempus distuli investigare, disquirere.

20) Amazones fuerunt bellicosae feminae, quae magnam partem Scythiae circa Tanaim, et Asiae minoris circa Thermodontem fluvium occuparunt. Feruntur hae primae securim in bello adhibuisse.

Per omne tempus: vel inde ab antiquissimis temporibus, vel, quod omnino de Germanis tradit Tacitus, quod non belli tantum tempore securi armati sint, sed omnia etiam negotia dextra securigera obire soliti sint.

21) Nec fas, id est, consentaneum est, disquirendae huic rei immorari; non vacat ad has disquisitiones descendere.

22) Victrices catervae, id est, Rhaetorum et Vindelicorum, qui magnas antea clades Romanis intulerant, sensere, hoc est, gravissima clade accepta, cum malo suo intellexere, quanta vis esset bonae indolis, si bona institutio accesserit.

23) Juvenis, Drusi nempe.

24) Mens ad virtutes intelligentiae, sagacitatem, prudentiam; indoles ad animi virtutes, fortitudinem, magnitudinem, pertinet. Mens et indoles nutrita, id est, formata, exculta rite.

25) Faustis sub penetralibus: in Augusti domo. Penetrale proprie est illa pars domus, ubi coluntur Penates, seu Dii domestici, et sumitur pro tota domo, tamquam propitium Augusti numen experta.

26) Pueros Nerones. Tiberium Neronem, et Cl. Drusum, privignos suos, filios Tiberii Neronis et Liviae, quam alteris nuptiis duxit Augustus; et privignos amavit plurimum, Drusum praesertim, non modo propter indolem et fortitudinem; sed etiam, quod apud Augustum natus esset. Vide supra Not. 18.

27) Creantur, gignuntur. Laudat hic Drusum a patre Tiberio Nerone, sed eundem magis adhuc laudat ab Augusto, a quo recte fuerat educatus. Sensus vulgaris: est quidem in generosae stirpis hominibus virtutis mate-

Est [28]) in juvencis, est in equis, patrum [29])
Virtus; neque imbellem feroces
Progenerant aquilae columbam.
Doctrina [30]) sed vim promovet insitam,
Rectique [31]) cultus pectora roborant:
Utcunque [32]) defecere mores,
Indecorant bene nata culpae.
Quid [33]) debeas, o Roma, Neronibus,
Testis Metaurum flumen, et Hasdrubal
Devictus, et pulcher [35]) fugatis
Ille dies Latio tenebris [34]),
Qui [36]) primus alma risit adorea [37]),

ria, sed doctrina atque institutione opus est, quibus illa fingatur et ad summum perducatur; aliter enim corrumpitur atque degenerat.

28) Nexus: quod idem observatur in generosorum animalium fetu.

29) Patrum virtus, id est, generosa indoles taurorum et equorum adparet in pullis ipsorum.

30) Sed doctrina, bona institutio promovet perficitque vim insitam, id est, generosam animi indolem.

31) Rectique cultus, recta disciplina, quatenus animus ea excolitur, ad recta et honesta perducitur, roborant, confirmant pectora, perficiunt naturalem indolem.

32) Utcumque, quotiescunque mores, id est: bona illa institutio ac disciplina deficit, negligitur, multa committuntur vitia, quae dedecorant et corrumpunt bene nata, hoc est, indolem bonam, a natura acceptam, naturae praestantiam ac nobilitatem.

33) Celebrata Neronum generosa indole, a majoribus accepta, satis proclivis poëtae ad celebrandas horum virtutes via erat, unde ampla satis de futura juvenum istorum magnitudine judicandi daretur copia. Satis autem habuit, unum, at splendidissimum avitae virtutis exemplum in C. Claudio Nerone proponere; qui bello Punico 2do a. u. 656, cum Hasdrubalem cum nova belli mole Italiae faucibus imminere intellexisset, relictis clam cum delecto milite, quae in Lucania adversus Hannibalem teneret, castris, in Umbriam profectus Hasdrubalis exercitum praevalidum, collatis cum M. Livio Salinatore signis, ad Metaurum fluvium adgressus, maxima clade penitus contrivit. Atque hujus plane eximiae virtutis imagine incenditur poëtae animus, adeo quidem, ut generoso ad persequendum tam splendidum argumentum, quod a carminis consilio neutiquam alienum videretur, impetu abreptus, in rei hujus magnitudine vividissime oculis subjicienda haereat, unice occupetur.

34) Fugatis tenebris, depulso metu et periculo, quod ab Hannibale victore certissimum imminebat, si suas copias cum Hasdrubalis exercitu junxisset.

35) Pulcher dies, id est, felix, faustus, lucidus.

36) Qui dies primus insigni gloria et felicitate clarus fuit. Asdrubale

Dirus per urbes Afer [38]) ut Italas,
Ceu flamma per taedas [39]), vel Eurus
Per Siculas equitavit [40]) undas.
Post [41]) hoc secundis usque laboribus
Romana pubes crevit, et impio
Vastata Poenorum tumultu [42])
Fana Deos habuere rectos [43]):
Dixitque [44]) tandem [45]) perfidus Hannibal:
Cervi [46]), luporum praeda rapacium,
Sectamur ultro, quos opimus
Fallere [47]), et effugere est triumphus.

quippe caeso, Hannibal de fuga cogitavit; et ex quo hic in Italia fuit, nunquam victores erant Romani.

37) Ador, idem, ac far: frumenti genus, praemium militibus victoribus distributum, mox pro ipsa gloria bellica, atque adeo victoria dici coeptum.

38) Ut, id est, ex quo Hannibal Italiam infestavit; et Hannibal a poëta dicitur, dirus Afer.

39) Taeda est arbor, ex qua fieri solebant faces, propterea, quod lignum ex hac arbore ignem facile concipiat. In genere ergo stant hic taedae pro arboribus, seu silvis.

40) Equitavit, omnia vastando peragravit, instar flammae silvam pervolantis, aut venti per mare Siculum properantis. Eurus enim, ventus orientalis, maximas in Siculo mari turbas ciet.

41) Post hoc, nimirum, victis semel hostibus, nova in dies res Romana incrementa cepit, prospere omnia cessere Romanis; et pro hoc: secundis laboribus usque Romana pubes crevit, id est, fortunatis proeliis semper Romani creverunt.

42) Tumultu, seu bello impie a Poenis gesto.

43) Deos rectos, id est, erectos; restituta sunt templa Deorum, viguit iterum ipsorum cultus.

44) Praeclaro ad Neronis laudem artificio poëta victoriae istius magnitudinem ita extollit, ut ipsorum hostium, in summam dein rerum desperationem adactorum, confessione bellum istud Punicum profligatum fuisse pronunciet, hocque imminentis Carthagini fati praesagium Hannibalis, quo major rei esset gravitas, oratione explicet. Perfidus dicitur Hannibal, vel quia Poeni in genere ob perfidiam insignes erant; vel quia Hannibal primus violavit foedus, quod post primum bellum Punicum Romanos inter et Afros initum erat.

45) Tandem: maximis demum cladibus ad hanc confessionem coactus, victa demum indomita ejus ferocia.

46) Sententia generalis: insanos nos, qui ultra adgrediamur, bello petamus, quos effugere satius erat. Insaniam istam poëta declarat comparatione: nos Poeni instar cervorum sectamur, id est, bello agitamus Romanos, qui sunt instar luporum rapacium, quorum praeda sumus.

47) Fallere et effugere eos, fuga impetum eorum eludere instar victoriae maximae habendum, in summa felicitate ponendum est.

Quas et benigno [68]) numine Jupiter
Defendit, et curae [69]) sagaces
Expediunt per acuta belli.

Ode IV.

Ad Caesarem Augustum.

Argumentum.

Annis 738, 39 et 40 absens erat Augustus in Gallia et Hispania, qua occasione Horatius hanc et primam hujus libri odam scripsit. Exprimit ab initio impatientissimum totius populi Romani desiderium, quo in illum diutius absentem fertur; quo sane tenerrimi amoris ac pietatis, a felicitatis ei debitae sensu profectae, vix liquidius adfectus ostendi poterat. Deinde causas, quibus civium animos sibi conciliasset, ab effectis, suavissima felicitatis istorum temporum pictura declaratis, colligendas dat. Tandem, quo rectius de immortalibus ejus in patriam meritis statuatur, magnitudine eorum universum populum ita attonitum atque adfectum ait, ut, quum humana sorte pene altiora sint, Augustum, publicae istius privataeque felicitatis auctorem, non possit, quin summa veneratione ac pietate, tanquam numen tutelare, prosequatur, utque diutissime inter se moretur, quotidie voveat.

Metrum Lib. I. carm. 5.

Divis [1]) orte bonis, optime Romulae
Custos [2]) gentis, abes jam nimium diu:
Maturum reditum pollicitus Patrum
Sancto consilio, redi [3]).

---

68) Benigno numine, id est, Deorum favor eas defendit, tutatur.

69) Curae sagaces, consilia sagacia, prudentia, in administrando bello spectata, expedit eas per acuta belli, id est, transmittit incolumes per maxima belli discrimina.

---

1) Divis, id est: oriunde a Diis bonis, qui tantum, tamque beneficum Romanis numen ex se nasci voluerunt. Gens enim Julia per Aeneam a Venere originem suam deduxit, et Julius Caesar, Augusti pater adoptione, in Divos relatus fuerat.

2) Custos Romulae, pro, Romuleae, id est, Romanae gentis.

3) Redeas, cum pollicitus sis augusto Senatorum consilio, id est, Senatui, multo maturius, brevi te rediturum.

Lucem [4]) redde tuae, dux bone, patriae;
Instar veris enim vultus ubi tuus
Affulsit populo; gratior it dies,
Et Soles melius nitent.
Ut [5]) mater juvenem [6]), quem Notus invido [7])
Flatu Carpathii [8]) trans maris aequora
Cunctantem [9]) spatio longius annuo
Dulci distinet a domo,
Votis [10]), ominibusque et precibus vocat,
Curvo nec faciem litore dimovet [11]);
Sic, desideriis icta [12]) fidelibus,
Quaerit patria Caesarem.
Tutus [13]) bos etenim rura perambulat;
Nutrit rura Ceres [14]), almaque Faustitas [15]);
Pacatum volitant [16]) per mare navitae;
Culpari [17]) metuit Fides;

---

4) Sensus hujus allegoriae est: exhilara iterum adventu tuo patriam, per longam absentiam prostratam. Cum enim vultus tuus, verno tempori similis, nobis adfulget, id est, cum tu inter nos praesens es, dies amoeniores sunt, et sol nova luce splendere, omniaque collustrare videtur.

5) Mollissimum desiderii adfectum, quo Patrem suum patria pie prosequitur, egregie poëta cum materna sollicitudine comparat, quae per longiorem unici filii absentiam vigorem atque incrementa cepit maxima.

6) Juvenem, id est, filium.

7) Invido, adverso, quasi reditum filii invideret parenti Notus, quem jam alibi diximus esse ventum procellosum a Meridie flantem.

8) Carpathus est insula inter Rhodum et Cretam, unde etiam mare inter ambas insulas nomen Carpathii sortitum est.

9) Cunctantem: anno diutius morantem.

10) Id est: Diis pro incolumitate filii nuncupatis, vocat juvenem, hoc est: Deos exorare studet, ut reddant sibi filium.

11) Non dimovet faciem, id est: fixis in mare oculis prospicit, unde eum venturum sperat.

12) Icta commota, percussa patria, quaerit, seu requirit absentem Caesarem.

13) Subjicit nunc poëta causas, a quibus ardentissimum illud desiderium proficiscatur; insignia ipsius in rempublicam merita. Declarat autem ea a summa omnium rerum abundantia, securitate, innocentia, morumque integritate.

14) De Cerere, vide Mythologiam.

15) Faustitas, felicitas; frugum copia.

16) Volitant, id est, mercatores secure maria trajiciunt, quippe pacata, non amplius infestata, compositis bellis civilibus.

17) Culpari etc. fides cavet, ne culpetur, ne adcusetur perfidiae, id est: omnes fidem aliis datam servant.

Nullis [18]) polluitur casta domus stupris;
Mos [19]) et lex maculosum edomuit nefas;
Laudantur [20]) simili prole puerperae;
Culpam [21]) Poena premit [22]) comes.
Quis [23]) Parthum [24]) paveat? quis gelidum Scythen?
Quis, Germania quos horrida parturit,
Fetus [25]), incolumi Caesare? quis ferae
Bellum curet Iberiae [26])?
Condit [27]) quisque diem collibus in suis,
Et vitem [28]) viduas ducit ad arbores:
Hinc [29]) ad vina redit laetus, et alteris [30])
Te mensis adhibet Deum;
Te multa prece, te prosequitur [31]) mero
Defuso pateris; et Laribus tuum

18) Sensus: matrimonia casta nunc sunt.

19) Sensus: more pristino restituto, latisque, quae adulteria compescant, legibus, exstirpata sunt flagitia. Pro hoc poëtice: mos et lex edomuit, exstirpavit nefas seu adulteria et scelera. Maculosum, id est, turpe.

20) Laudantur etc. feminae partu levatae laudantur ob filios similes parentibus; castitatis enim, fideique uxoris in maritum maximum apud antiquos argumentum erat proles marito similis.

21) Sensus: flagitia statim vindicantur; ne dilatione robur acquirant, latiusque serpant impunitatis illectamento.

22) Premit pede, id est, sequitur statim scelus poena.

23) Securitatem externam civitati Romanae ab Augusto effectam vivide delineat poëta, commemoratis speciatim, qui imperium Romanum antea infestassent, atrocissimis hostibus, nunc partim edomitis, partim repressis.

24) De Parthis, orientali populo, et Scythis, septentrionali, jam saepius dictum est.

25) Fetus: Germanos adspectu truces, immani virium robore feroces. Olim enim Germani erant procera et immani statura.

26) Iberia: Hispania fera, propter Cantabros feros, bellicosos.

27) Succedunt suavissimae, tranquillae, atque inter jucundissimos labores actae vitae picturae; ex opere autem rustico gratam tantum ejus speciem repraesentat, vini culturam, atque ex hac ipsa genus quoddam, quod nec taedii nec defatigationis offensionem habet. Condit, id est, totam diem transigit.

28) Ducit, jungit et maritat vitem quibusdam arboribus sterilibus, et sine illa quasi viduis; tales sunt: ulmus, populus etc.

29) Hinc, absoluto diurno opere, redit ad vina; compotationem instituit.

30) Alteris mensis: alludit poëta ad antiquum Graecorum morem, qui priore mensa sublata, adponebant alteram, cum pomis placentis, uvis, aliisque hujusmodi, et exquisitissimo vino, quo Diis libabant et agebant gratias. Vult itaque poëta Romanis invocari Augustum, ut Deum.

31) Prosequitur, id est: te colit, honorat multis precibus et libatione facta.

Miscet [32]) numen, uti Graecia Castoris
Et magni memor Herculis.
Longas [33]) o utinam, Dux bone, ferias
Praestes Hesperiae! dicimus [34]) integro [35])
Sicci [36]) mane die, dicimus uvidi,
Quum sol Oceano subest.

Ode V.

Ad Apollinem.

Diana

Occasio et argumentum.

Solenne, quod ludis secularibus a. u. 737. magna religione celebrandis, in templo Apollinis Palatini a choro puerorum ac puellarum caneretur, carmen ab Augusto scribere jussus Horatius, quo augustiorem muneri isti, sibi admodum honorifico, speciem ac dignitatem conciliaret, Apollinem hoc carmine, quod quidem respectu secularis carminis, προοιμιου adpellatione optime indigites, antea invocat, eumque, ut se, carmen illud meditantem, adjuvet, divinoque adflatu dignetur, rogat. Jam, quum maxima apud populares suos lyricae poëseos fama vigeret, id quod hujus ipsius muneris injuncti ratio abunde ostendit, satis poëta habet, Apollinem orare, ut, quam ei acceptam ferat laudem poëticam, nunc tueatur, integramque conservet. Tum ut omnia recte peragantur, sumta chorodidascali persona, ad chorum convertit se, monetque eum, ut gravissimis, quas in se tuendas receperit, ne desit partibus, proposita, qua studium ejus acuat, jucundissima quondam rei bene gestae recordatione.

32) Laribus miscet: inter gentis conservatores refert tuum numen, uti Graecia heroas suos Dioscuros et Herculem. De Castore et Polluce vide L. I. od. 3. not. 3. et Myth. de Hercule.

33) Longas ferias, id est: diu largiaris hanc tranquillitatem ac securitatem Italiae seu Hesperiae, pro vulgari, diu vivas.

34) Sensus: precamur et mane et vesperi.

35) Die integro, id est: nulla dum parte sui demta.

36) Sicci: vino necdum irrigati.

37) Uvidi, id est, humidi, poti, coenati, vino madidi.

Metrum Lib. I. carm. 2.

Dive [1]), quem proles Niobea [2]) magnae
Vindicem linguae, Tityosque [3]) raptor
Sensit, et Trojae [4]) prope victor altae
Phthius [5]) Achilles,
Ceteris major [6]), tibi miles impar;
Filius quamquam Thetidos [7]) marinae
Dardanas [8]) turres quateret tremenda
Cuspide [9]) pugnax.
Ille, mordaci [10]) velut icta ferro
Pinus, aut impulsa cupressus Euro,

1) Occupatur poëta ab initio celebrandis Apollinis laudibus, speciali insignium operum ab ipso editorum, quae maximam numinis ejus potentiam arguunt, maximumque ad futuram rem Romanam momentum haberent, adtexto recensu. Igitur exposita Apollinis, a Niobe Tityoque sumta vindicta, in Achille, ab eodem sagittis confosso, haeret, in exornandaque hujus facti magnitudine sibi maximopere indulget; quandoquidem sola Achillis morte effectum est, ut Trojana gens, non plane deleta, laetioribus incrementis revirescere potuerit. Sensus ergo est: o Apollo, quem filii Niobes experti sunt ultorem arrogantis loquacitatis, et Tityus nefarius amator, Phthiusque Achilles, qui cum prope expugnasset nobilem Trojam, reliquis omnibus militia praestantior, sed tibi nequaquam comparandus; quamvis Thetide natus, et hasta armatus terribili concuteret Dardanas turres etc.

2) Proles Niobea, liberi Niobes: Niobe, uxor Amphiarai, Thebarum regis, ausa se Latonae praeferre sobolis numero et pulchritudine, in poenam linguae intemperantis ad luctuosam orbitatem redacta est, filiis sex ab Apolline, et filiabus totidem a Diana ictibus sagittarum occisis; ipsa Niobe dolore contabuit, et in saxum est mutata.

3) Tityus vocatur raptor, quia Latonam rapere voluerat ac temerare; inter Gigantes numeratur. Vide L. II. od. 11. not. 5.

4) Prope victor Trojae: sublato, qui Trojae excidium morabatur; Hectore.

5) Phthius: oriundus Phthia, urbe Thessaliae. Amavit Achilles Polyxenam, filiam Priami, quam in matrimonium a patre petiit. Spe itaque nuptiarum allectus in templum Apollinis, ibidem a Paride interemtus est sagitta, quam Phoebus direxisse dicitur.

6) Ceteris major, id est: ceteris Graecis heroibus fortior.

7) Quamquam Dea natus esset; fuit enim Thetis Nerei filia, et mater Achillis.

8) Dardanas, id est: Trojanas, a Dardano rege sic dictas.

9) Cuspide quateret etc. Hasta immani, adgressus muros urbis eosdem labefactaret, convelleret.

10) Mordaci ferro: securi vel serra.

Procidit [11]) late, posuitque [12]) collum in
Pulvere Teucro.
Ille [13]) non, inclusus equo [14]), Minervae,
Sacra mentito, male feriatos [15])
Troas, et laetam Priami choreis
Falleret [16]) aulam:
Sed [17]) palam captis [18]) gravis, heu nefas! heu!
Nescios [19]) fari pueros Achivis
Ureret [20]) flammis, etiam latentes
Matris in alvo:
Ni [21]), tuis victus, Venerisque gratae
Vocibus, Divum pater adnuisset
Rebus Aeneae potiore ductos
Alite muros.

11) Procidit late, procubuit late, ad vastam corporis molem indicandam.

12) Posuit collum, jacuit in pulvere Trojano. Teucer enim, dux Trojanorum, huic urbi nomen Teucriae indidit.

13) Nexus sententiarum: ille totam Trojanorum gentem, pro ea, quae insita animo ejus erat truculentia ac feritas, penitus exstirpasset, sicque omnem instaurandae aliquando in Latio Trojae spem intercepisset, ni etc. Sensus vulgaris, ille quidem non fraude, sed crudelitate sua Trojanos exstirpasset, nisi etc.

14) Equo ligneo, qui fingebatur Minervae dicatus a Graecis pro reditu in patriam; equum hunc illi a se promissum, quippe pugnaci et pellatrici Deae, simulantibus. Hinc dicitur ab Horatio: equus mentitus sacra Minervae. Vide Virg. Aeneid. L. 2.

15) Male feriatos: cum maximo infortunio suo, satis intempestive, ob simulatum Graecorum discessum feriantes; otio solutos, diem festum secure atque hilariter agentes.

16) Falleret, pro fefellisset laetam aulam, choreis indulgentem ob Graecorum discessum.

17) Sensus: sed aperto Marte urbem expugnasset, incendioque absumsisset, omnesque ad unum Trojanos occidisset.

18) Captis gravis, id est: crudeliter cum captae urbis incolis agens, immaniter in eos saeviens.

19) Nescios fari; qui nondum per aetatem loqui valerent.

20) Ureret, pro: Achivis seu Graecis flammis ussisset; crudelissime tractasset.

21) Sensus simplex: nisi Achilles occisus fuisset, et pro hoc: nisi tuis, Apollo, et Veneris precibus victus Jupiter concessisset rebus Aeneae, ceteris Trojanorum reliquiis, muros, novam urbem Romam, potiore alite, melioribus, quam quibus Troja condita fuisset, auspiciis, ductam, exstruendam, verbo, quae aeterna foret. Concesso enim hoc, etiam in Achillis mortem consentire debuerat Jupiter; quod autem haud necesse erat, ut disertius exponeret poëta lyricus.

Doctor [22]) Argivae fidicen Thaliae,
Phoebe, qui Xantho [23]) lavis [24]) amne crines,
Dauniae [25]) defende decus Camenae
Levis [26]) Agyieu [27]).
Spiritum [28]) Phoebus mihi, Phoebus artem
Carminis, nomenque dedit poëtae.
Virginum [29]) primae, puerique claris
Patribus orti,
Deliae tutela [30]) Deae, fugaces
Lyncas, et cervos cohibentis [31]) arcu,
Lesbium [32]) servate pedem, meique
Pollicis ictum:

22) Nova numinis invocatione facta, quod et ipsum ad priscorum hymnorum formam adcommodate fit, poëta ad preces transit: o Phoebe, qui fidicen peritissimus, doces Thaliam argutam, id est, recte canentem, sonora voce praeditam. Thalia una e Musis est, et hoc loco, Musa lyrica. Ac proinde, doctor Argivae Thaliae, idem est ac, qui docuisti Graecos lyrica carmina.

23) Xanthus. Duo fluvii sic vocati sunt, alter in Troade, alter in Lycia: utraque regio Apollinis religione nota fuit.

24) Lavis crines, pro, lavas. Solebant veteres in amnibus crines lavare, ut melius niterent crescerentque.

25) Dauniae Camenae, id est: Musae Italae, sive: meorum versuum; erat enim Horatius ortus ex Apulia, in qua regnavit olim Daunus. Sensus est: fac, ut mei versus placeant; decus illis et gratiam apud omnes concilia.

26) Levis, imberbis.

27) Agyieu. Graecus vocativus. Cognomen Apollinis Athenis, a αγυια, via. Viis enim praefuit ibidem, et propterea etiam arae ipsi in viis rectae erant.

28) Nunc ab Apolline se exauditum, canendoque carmini saeculari idoneum profitetur poëta, et chorodidascali persona sumta, chorum juvenum et puellarum carminis saecularis modos edocturum se ait. Per spiritum autem designat hic enthusiasmum; ingenium poëticum.

29) Asserta carminum suorum divinitate hic poëta ad chorum ipsum convertitur. Virginum primae, seu primariae, nobiliores. Carmen Saeculare enim a lectissimis pueris puellisque 27, patrimis et matrimis, id est, quorum pater et mater essent superstites, canebatur; idque magno ducebant honori parentes, quorum liberi eligerentur.

30) Tutela: qui in tutela estis Dianae, natae in Delo, insula maris Aegei. Hanc vero solam tutricem chori adpellat Horatius, quum et Apollini suae partes essent, quia pueri et puellae, antequam in matrimonium collocarentur, erant in Dianae fide.

31) Cohibentis, sistentis fugam, pro, figentis sagitta, ferientis lyncas et cervos fugaces. Fuit enim Dea venationis. Myth.

32) Servate, observate, attendite ad pedem, mensuram, numeros Lesbios, id est, metri Sapphici, quo carmen saeculare expressum est; et ad ictum pollicis, seu digiti, quo citharam pulsabo. Lesbios pedes metrum Sapphicum vocat, quia inventum est a poëtria Sappho, quae nata erat in urbe Mithylene, primaria insulae Lesbi. De carmine saeculari vide ultimam oden libri epodon.

Rite [33]) Latonae puerum canentes,
Rite crescentem face Noctilucam [34]),
Prosperam frugum, celeremque [35]) pronos
Volvere menses.
Nupta [36]) jam dices: Ego Dîs [37]) amicum,
Saeculo [38]) festas referente luces,
Reddidi [39]) carmen, docilis modorum
Vatis Horatî.

Ode VI.

Ad L. Manlium Torquatum.

Argumentum.

Ad fruendas vitae voluptates cohortaturus poëta, a vere, quo carmen hoc scripserat Horatius, ad reliquas anni partes progressus, e continuis ipsarum vicibus, velocitatem temporis ita colligit, ut, deducta inde vitae humanae brevitate, ad praesentis horae fructum capiendum tanto acrius exhortetur, quo in certa hac vitae brevitate incertior die-

33) Rite, sancte, religiose canentes Latonae filium, Apollinem.

34) Dianam adpellat Noctilucam; quia noctu lucet, et eadem est cum Luna; deinde constat, hoc nomine eam cultam fuisse in palatio. Crescentem face, id est, cujus fax vel lumen crescit. Prosperam frugum, id est, quae fruges prosperas reddit rore nocturno.

35) Celeremque volvere: graecismus: quae celeriter volvit, cursu suo celeri efficit, ut menses proni, hoc est, prono cursu decurrant. Emetitur enim Luna zodiacum diebus circiter 27, quem sol uno tantum anno lustrat.

36) Unam nunc alloquitur puellam, nomine omnium: tu o virgo carmen saeculare recitatura, cum fueris olim nupta, dices, atque ita gloriaberis: una eram ex iis quae recitabant carmen saeculare.

37) Dîs amicum, id est: Dianae et Apollini gratissimum, in eorum honorem compositum, atque ritu religioso decantandum.

38) Quando saeculum exactum referet, eo finito redibunt festae luces, id est, festi ludorum saecularium dies. De his vide carmen saeculare.

39) Reddidi, recitavi, cecini.

40) Docilis modorum, id est: docilem me praebendo ediscendis, reddendisque modis, quos ab eodem Horatio compositos didici, memoriaeque mandavi.

rum summa sit, quam nobis Dii admensi sint, ut quibus ne crastino quidem fidere liceat. Tum moriendi conditionem ita mortalibus propositam subjicit poëta, ut ea ipsa, quum omnem spem reditus in vitam plane abscindat, de fruendis vitae voluptatibus graviter admoneamur. Ceterum L. Manlium Torquatum nepotem ejus, quo consule Horatius natus fuerat, cum pluribus statuere licet.

Metrum Archilochium.

— ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | — ⏓
— — | — — | — — | — — |
— ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | ⏓

Diffugere [1]) nives, redeunt jam gramina campis,
Arboribusque comae [2]):
Mutat terra vices [3]); et decrescentia ripas
Flumina [4]) praetereunt:
Gratia [5]) cum Nymphis, geminisque sororibus audet
Ducere [6]) nuda choros.
Immortalia [7]) ne speres, monet Annus, et almum
Quae rapit Hora diem.
Frigora [8]) mitescunt Zephyris; ver proterit [9]) Aestas,

1) Diffugere, id est, nix liquefacta est.

2) Comae; de foliis ac frondibus arborum.

3) Mutat terra vices, id est: pro hyeme ver jam succedit.

4) Flumina, quae per hiemem in campos exundassent, jam decrescunt, ac in ripis suis sese continent, in alveo suo defluunt.

5) Verni temporis amoenitatem suavissimo Gratiarum cum Nymphis saltantium phantasmate, explicat poëta. Sunt autem tres Gratiae, Aglaja, Thalia, Euphrosine. De his vide Myth.

6) Ducere choros, simpliciter pro, saltare.

7) Nexus sententiarum: hae ipsae vices annuae, quum graviter admoneant de veloci vitae decursu, age, fruamur praesenti, quod in nostra potestate est, tempore, quum ne crastino quidem confidere liceat. Prius persequitur late poëta in sequentibus versibus; posterius vero, de vita in summa ejus brevitate recte fruenda, leviter tantum attingit, et Torquato inde colligendum relinquit. Sensus est: annus praecipit, cursu praeterlabens, celerrima fuga sese proripiens; et in quo multo magis velocissimam temporis fugam observare licet: Hora, Dea vicissitudinis temporum, quae rapit, aufert quemque diem almum, cujus fruendi nobis copia data est, fuga pernicissima monet, praecipit, ne speres immortalia; id est, vitam citissime praeterlabi, nos docet annus etc.

8) Quo magis praeceps temporis transitus intelligatur, quatuor anni tempestates, ad quas facilis ab Hora, istarum praeside, transitus erat, poëta percenset, maxime continuae, qua sese invicem excipiunt, vicissitudinis habita ratione.

9) Proterit, protrudit, abigit.

Interitura, simul [10])
Pomifer Auctumnus fruges effuderit; et mox
Bruma recurrit iners [11]).
Damna [12]) tamen celeres reparant caelestia Lunae:
Nos, ubi decidimus,
Quo [13]) pius Aeneas, quo dives Tullus, et Ancus;
Pulvis, et umbra sumus.
Quis scit, an [14]) adjiciant hodiernae crastina summae
Tempora Dî superi?
Cuncta [15]) manus avidas fugient heredis, amico
Quae dederis animo.
Quum [16]) semel occideris, et de te splendida Minos [17])
Fecerit arbitria [18]);
Non, Torquate, genus [19]); non te facundia [20]); non te

10) Simul, statim atque, quamprimum.

11) Bruma iners: perpetuum frigoris epithetum, quatenus per hiemem omnis creandi vis cessat.

12) Sensus vulgaris: enimvero anni tempora, quae obire videmus, annuis vicibus redeunt; at nos, semel peractum vitae cursum, non redintegramus. Cum autem in Luna manifestior anni revertentis observatio sit, ideo eam adsumsit poëta dicendo: Lunae, hoc est, menstruus Lunae decursus celeriter reparat, resarcit damna caelestia, id est, jacturam, interitum anni partium; refert adeo et reducit revoluta in orbem anni tempora, quae perierant. Caelestia: quatenus anni interitus caeli seu siderum cursu efficitur. Alii damna decrescentis lunae, quae eadem crescendo reparet, intelligunt.

13) Quo etc. In eum locum, in quem deciderunt Aeneas, Tullus et Ancus; nempe ad inferos. De Aenea vide Aeneidem Virgilii; Tullus fuit tertius, et Ancus 4tus rex Romanorum, ambo autem locupletissimi.

14) Sensus: an Dii adjecturi sint, summae dierum hodiernae, diebus, quos exegimus, vel crastina tempora, id est, crastinum diem?

15) Nexus idearum: quocirca fruere vita, dum licet. Sed novum huic fruendae vitae praecepto, quo altius in Torquati animum penetraret, momentum implicuit contendendo nimirum, omnia ei perire, quibus genium suum defraudaverit; et pro hoc multo efficacius: omnia heredi avido cedere, quae sibi negaverit; ac proinde: omnia ea elabi heredum avidis, exporrectis jam manibus, quae animo amico, quae genio suo impenderit.

16) Sensus: ubi semel vita defunctus fueris; nihil te in vitam restituet.

17) Minos judex inferorum notus. Myth.

18) Arbitria splendida: ubi Minos honorificentissimam vitae, laudabiliter actae a te, sententiam tulerit; praeclare de te statuerit.

19) Genus, id est, nobilitas; originem enim ducebat iste Manlius, ab illo Manlio, qui, quod Gallum interemtum torque spoliasset, Torquati cognomen est adeptus.

20) Facundia: Manlius celebris orator fuisse videtur.

Restituet pietas [21]):
Infernis [22]) neque enim tenebris Diana pudicum
Liberat Hippolytum [23]):
Nec Lethaea [24]) valet Theseus abrumpere caro
Vincula Pirithoo.

Ode VII.

Ad C. Marcium Censorinum.

Occasio et argumentum.

Cum Saturnalibus, aliisque statis diebus dona sibi invicem Romani missitare solerent, Horatius C. Marcio Censorino, quem carminibus delectari nosset, strenae loco, hoc carmen mittit, quo ei obstrictum suum ostenderet animum, illudque munus suum verbis ita exornat, ut pretiosissimo cuique facile praeferendum judicet. Ita ad splendidissimum de poëseos efficacia locum deductus poëta, poëtas solos esse adserit, qui rerum gestarum famam multo certius, quam monumenta iis erecta, ad posteritatis memoriam propagent, imo et viros, immortalibus operibus editis immortalitate dignos, caelo adlegent, et in Deorum numerum referant, laudatis in hanc rem Romulo, Aeaco, et aliis. Ceterum cum duo Romae illustres fuerint Censorini, pater et filius, probabilius est, C. M. Censorinum qui a. u. 746 cum C. Asinio Gallo Consul fuit, hic intelligendum esse.

21) Pietas, id est, vita probe transacta.

22) Sensus: quandoquidem nec ipsi Dii fatorum leges infringere ac resolvere valent. Hoc statim exemplis illustratur.

23) Hippolytus fuit Thesei filius, qui foedos Phaedrae novercae amores respuens, adcusatus est ab ea apud Theseum criminis ab ipsa commissi. Hic filio male precatus, Neptunum rogavit, ut poenas ab eo sumeret Neptunus immissis phocis, id est, marinis monstris, terruit equos, a quibus trahebatur in litore deambulans Hippolytus, ita ut eum excussum curru, et loris implicatum laceraverint. Dianae carus erat ob communem utrique amorem castitatis. Poëta hic antiquiorem fabulae repraesentat faciem, qua frustra Hippolytus a Diana ab inferis repetitus sit. Nam resuscitatum eum ab Aesculapio, aut a Diana ex inferis reductum, et in nemore Aricino Dianae sacro absconditum fuisse, recentiores tradunt.

24) Lethaea vincula: inferorum vincula, quibus homines ita detinentur, ut evadere non possint. Lethe fluvius est Inferorum.

25) Fabulantur poëtae descendisse Theseum ad inferos cum Pirithoo, ut Proserpinam raperet; utrumque a Dite seu Plutone captum, mansisse in vinculis Pirithoum, soluto Herculis ope Theseo. Vide L. III. od. 4. not. 73.

Metrum L. I. carm. 1.

Donarem [1]) pateras, grataque [2]) commodus,
Censorine, meis aera sodalibus;
Donarem tripodas [3]), praemia fortium
Grajorum [4]); neque tu pessima [5]) munerum
Ferres, divite [6]) me scilicet artium,
Quas aut Parrhasius [7]) protulit, aut Scopas [8]);
Hic [9]) saxo, liquidis ille coloribus,
Sollers [10]) nunc hominem ponere, nunc Deum.
Sed [11]) non haec mihi vis: nec tibi talium
Res est, aut animus deliciarum egens.
Gaudes [12]) carminibus: carmina possumus
Donare, et pretium [13]) dicere muneri.

---

1) Donarem commodus; commodum me, id est facilem et liberalem in eo praeberem, quod donarem sodalibus seu amicis meis pateras, aliaque aerea vasa, et tripodas, qui apud Graecos erant praemia fortium virorum.

2) Grata aera: gratum animum testantia.

3) Tripodes, vasa majora aerea, ansata fere tribus pedibus fulta. Erant tripodes alii, quibus igni impositis, aqua calefiebat loturis.

4) Grajorum: Homerus maxime istis muneribus suos heroas donat passim in Iliade.

5) Non pessima munerum: exquisitum, egregium munus aliquod tu ferres, acciperes.

6) Divite me etc. Si essem dives artium antiquarum, seu rerum, quas arte egregia excudit Parrhasius, id est, si haberem opera, signa, vasa artefacta.

7) Parrhasius: Ephesius pictor clarissimus.

8) Scopas: nobilis statuarius.

9) Hic Scopas, ille Parrhasius.

10) Sollers ponere, Graeca constructio, pro, ingeniosus, intelligens, mirus artifex in ponenda, effingenda nunc hominis, nunc Dei statua aut imagine.

11) Sed haec vis: harum rerum copia mihi non suppetit; nec res tibi, tua res familiaris talium operum eget; domum satis instructam habes istis artis operibus. Haec docte delicias adpellat, quia ab elegantiae ac magnificentiae studiosis cupide expetuntur.

12) Nexus sententiarum: minus te capiunt istae deliciae, quam carmina; his magis gaudes, delectaris.

13) Et pretium dicere muneri: de hoc munere recte statuere, quanti aestimandum sit, pronuntiare: quum res cupiditatis, quae istae sunt deliciae, incertae admodum aestimationis sint, libidine semper modum excedente.

Non [14]) incisa notis marmora [15]) publicis [16]),
Per [17]) quae spiritus et vita redit bonis
Post mortem ducibus; non [18]) celeres fugae,
Rejectaeque retrorsum Hannibalis minae,
Non incendia Carthaginis impiae,
Ejus [19]), qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit, clarius [20]) indicant
Laudes, quam Calabrae Pierides. Neque,
Si chartae [21]) sileant, quod bene feceris,
Mercedem tuleris. Quid foret Iliae,

14) Declarat jam poëta, quanti hoc muneris genus haberi debeat; scilicet sola carmina immortalitatem nominis praestare, perenniora ea esse rerum gestarum monumenta, quam reliqua, quibus virtutis famam homines ad posteros propagare adnitantur; utpote quae temporis injuriis obnoxia sint, et angusta terrarum parte contineantur. Sed rem statim Scipionis Africani majoris, Ennii carminibus aeternum nomen adepti, exemplo illustratam subjecit poëta, quo magis ejus veritas elucesceret.

15) Marmora, monumenta marmorea, incisa notis, insignata, consignata literis, epigraphe, titulo, qui honoris habiti causam, adeoque rei egregie gestae argumentum ostentat, in ipsorum basi inciso.

16) Publicis, venuste notis adjicitur; id est, publica senatus populique Romani auctoritate positis, incisis.

17) Sententia vulgaris: quae clarorum hominum memoriam servant, seu: quae efficiunt, ut egregii duces post mortem quasi reviviscant.

18) Non celeres fugae, hoc est, fuga Hannibalis, Italia cedere coacti; non Hannibalis minae, id est, Hannibal minans, imminens ipsi urbi rejectus, repulsus ex Italia; non Carthaginis impiae, perfidae (perpetuo Poenorum epitheto) incendia belli; nam bella et pugnae saepe cum flammis et ignibus comparantur, ut ex Homero notissimum. Devastationem namque et expugnationem Carthaginis, quae bello Punico 3° per Scipionem Africanum minorem in effectum deducta est, hic non esse intelligendam, ex eo patet; quia non est credibile, poëtam Romanum in re adeo nota errorem chronologicum commisisse.

19) Ejus, nimirum Scipionis Africani majoris, qui Carthaginem et Africam domuit, unde ipsi nomen. Major dicitur, id est, senior, ut ab alio minore, qui Carthaginem delevit, distinguatur. Vide Histor. Rom. de bello Punico 2do.

20) Clarius, id est, non magis indicant laudes Scipionis: minus adeo efficaces sunt inscriptiones ad famam Scipionis ad posteritatem propagandam, quam Musa, carmina Ennii Calabri. Ennius, poëta Latinus antiquus, Rudiis, in oppido Calabriae, natus, Scipioni Africano majori carus fuit, ejusque res gestas scripsit. Pierides, est denominatio Musarum. Vide Myth.

21) Chartae, pro carminibus. Sensus: si quis vel maximas res gesserit, tamen nisi poëtae eas celebrent, nullam earum mercedem, nullum praemium feret, merces autem haec est gloria, et nominis immortalitas.

Mavortisque puer [22]), si taciturnitas [23])
Obstaret meritis invida Romuli?
Ereptum Stygiis fluctibus Aeacum [24])
Virtus, et favor, et lingua potentium
Vatum divitibus consecrat insulis.
Dignum laude virum Musa [25]) vetat mori:
Caelo Musa beat [26]). Sic [27]) Jovis interest
Optatis epulis impiger Hercules:
Clarum Tyndaridae [28]) sidus ab infimis
Quassas eripiunt aequoribus rates:
Ornatus viridi tempora pampino,
Liber [29]) vota bonos ducit ad exitus.

Ode VIII.

Ad Lollium. Paullinum

Argumentum.

Exposito ab initio statim suo de aeternitate carminum lyricorum suorum sensu, magnifice sese poëtis Graecis lyri-

22) Puer: Romulus, Iliae et Martis filius; et Ilia erat filia Numitoris. Vide Hist. Romanam.

23) Si taciturnitas etc. Si de illo scriptores tacerent, quod silentium ejus gloriae inimicum et invidum foret.

24) Sententia: Aeacus immortalis factus est vatum opera. Et pro hoc morti et oblivioni ereptum Aeacum virtus, seu ingenii praestantia, favor, id est, studium poëtarum, in laudando eo occupatorum, et lingua seu carmina praestantium, potentium vatum, consecravit insulis divitibus, campis Elysiis, id est, immortalitati. Aeacus, Jovis filius, quem ob insignem, dum viveret, justitiae amorem judiciis inferorum praepositum a patre dicunt poëtae.

25) Musa haud interire sinit, aeternum parat nomen viro laude digno, qui carmine celebrari meruit.

26) Beat caelo, ut: munere beat: divinos honores largitur, Deum facit.

27) Nexus sententiarum: Musa etiam sola effecit, ut Hercules impiger, fortis in laboribus obeundis inter Deos relatus sit, quemadmodum optaverat.

28) Tyndaridae, Dioscuri, clarum sidus; munus hoc a poëtis consequuti sunt, ut rates quassas, tempestate jactatas, in infima aequora, fundum maris detrusas, inde eripiant, serventque. De Dioscuris, Castore et Polluce vide L. I. od. 3. not. 3.

29) Liber seu Bacchus vota bonos ducit ad exitus, id est, preces, ad se factas, exaudit; adeoque divinos honores adeptus est. Pampinus est folium vitis, quo Bacchus coronatur. Intellige porro, hos divinos honores etiam Musae seu poëtarum carminibus tantum in acceptis refert.

cis ingerit, atque tacite comparat, quos, etsi ad epicam Homeri gravitatem non adsurgant, haud minus tamen operibus suis immortalitatem esse consequutos, in confesso esse, ait. Tum, quo illud spectet, quod de carminibus praedicasset, subjicitur, nimirum, aeternam nominis gloriam solis carminibus provenire; solum adeo eum post mortem vivere, qui talem virtutum suarum praeconem nactus fuerit; quum aliis, qui isto destituti sint, memoria praeclare factorum suorum penitus abolita, haec bene factorum merces suorum intercipiatur. Quos quidem, si posteritatis ratio habeatur, ne hilum quidem ab iis, qui inertiae sese per totam vitam dederint, differre, quum in aprico sit, haud ego committam (pergit poëta) ut virtus tua, immortalitate dignissima, oblivioni tradatur. Delatus ita ad rem, quam sibi proposuerat, poëta, in laudes Lollii effunditur, hasque ita tractat, ut facile adpareat, Lollium tum temporis, quo haec de eo praedicaret Horatius, virum omnino magnae aestimationis fuisse.

Metrum carm. I. L. 8.

Ne [1]) forte credas interitura, quae
Longe sonantem natus ad Aufidum [2]),
Non ante vulgatas per artes
Verba loquor [3]) socianda chordis [4]).
Non [5]), si priores Maeonius [6]) tenet
Sedes Homerus, Pindaricae [8]) latent [7]),

1) Sententiam, carmina sua immortalia fore, oratione ad Lollium, quem aeternitati consecraturus esset, conversa, poëta explicat, ceterisque argumentis communit, quo justius laudationis suae statui ab eo posset pretium.

2) Natus ad Aufidum: ego Horatius. Aufidus est fluvius Apuliae, quae Horatii patria fuit. Longe sonans dicitur, quia magno cum impetu et strepitu volvitur ex Apennino in sinum Adriaticum.

3) Loquor: quae ego cano per artes, id est, arte non ante inter Romanos vulgata lyrica; princeps inter Romanos arte lyrica.

4) Socianda chordis, id est, ad lyram canenda. Hinc etiam versus lyrici vocantur.

5) Nexus sententiarum: etenim, etsi Homerus principatum inter poëtas tenet, hoc non impedit, quo minus poëtae Graeci lyrici in honore sint, immortalitatemque consequantur. Generoso spiritu poëtam sese lyricae Graecorum cohorti immiscere, atque aequipare docta hac sententiae conversione, facile quisque sentit.

6) Maeonius: ita dictus est Homerus vel a patre Maeone, vel a patria Maeonia seu Lycia, minoris Asiae regione.

7) Non ideo latent, obscuratae, ingloriae sunt.

8) De Pindaro vide supra Od. 1. not. 1.

Ceaeque [9]), et Alcaei [10]) minaces,
Stesichorique [11]) graves [12]) Camenae;
Nec [13]), si quid olim lusit Anacreon [14]),
Delevit aetas: spirat [15]) adhuc amor,
Vivuntque commissi calores [16])
Aeoliae fidibus puellae.
Non [17]) sola comtos arsit [18]) adulteri
Crines, et aurum [19]) vestibus illitum
Mirata, regalesque cultus,

9) Ceaeque Simonidis, e Cea insula. Persarum bella, et Graecorum calamitates lugubri carmine prosequutus est.

10) De Alcaeo saepe dictum; minaces ejus versus adpellat, quia tyrannos non armis tantum, sed versibus etiam acerrimis exagitavit. Vide L. II. od. 10. not. 28. et L. I. od. 27. not. 6.

11) Stesichorus fuit oriundus Himera, urbe Siciliae, multa scripsit epico carmine. Laudat illum pluribus Quintilianus. L. I. 10.

12) Graves, id est magnificae, majestatis plenae Camenae seu Musae, id est, carmina.

13) Sensus: nec delevit, abolevit aetas; durat adhuc, viget adhuc; si quid, id est, quidquid lusit, levioris argumenti composuit Anacreon.

14) Anacreon, Tejus dictus, a Teja urbe ejus natali in media Jonia, usus est carmine admodum terso et eleganti.

15) Spirat: amor Aeoliae puellae, id est, Sapphus, quae nata erat Mithylenae, quae urbs inter Aeolias urbes numerabatur, ut ante passim dictum, adhuc spirat, et quasi vivus exstat in ejus versibus amatoriis.

16) Calores: amatoriae querelae, quas illa commisit, et quasi credidit suis carminibus, suae lyrae. Vide L. II. od. 10. not. 26.

17) Asserta carminibus immortalitate, poëta ad propositum suum ita progreditur, ut ostendat, solis carminibus effici, ut rerum egregie gestarum fama haud in obscuro sit, et ad posteros pertingat; hocque sole clarius inde perspici ait, quod omnia, quantumvis egregia, iisque, quae a poëtis celebrata aeternum nomen adepta sunt, haud inferiora facinora obliterata, oblivionique tradita sint, quibus laudator suus defuerit. Ab hac posteriori sententia, omissis prioribus, quibus transitus fieret, incipit poëta, eamque speciatim aetate, ut ita dicam, Antehomerica splendide ita exornat, ut plane similia iis, quae divinae Iliados argumentum constituant, pariaque fortitudinis exempla innumera ante Homerum exstitisse pronunciet; de quibus tamen, quum praecone suo destituantur, vel plane nulla, vel admodum tenuis famae aura ad nos perlapsa sit.

18) Arsit: amavit, id est, non sola Helena arsit amore Paridis, mirata ejus comtos crines, et cultum, hoc est, vestes pretiosas, et ornatum corporis adulteri Paridis. Helena autem memoratur tamquam belli Trojani causa.

19) Aurum vestibus illitum, id est: vestes auro intextas, pictas acu.

Et comites [20]), Helene Lacaena [21]):
Primusve Teucer [22]) tela Cydonio [23])
Direxit arcu: non semel Ilios
Vexata [24]): non pugnavit ingens
Idomeneus [25]), Sthenelusve solus
Dicenda [26]) Musis proelia: non ferox
Hector [27]), vel acer Deiphobus [28]) graves
Excepit ictus pro pudicis
Conjugibus, puerisque primus.
Vixere fortes ante Agamemnona [29])
Multi; sed [30]) omnes illacrimabiles
Urgentur, ignotique longa
Nocte; carent quia vate sacro.
Paullum [31]) sepultae distat inertiae

---

20) Comites: comitatum, qui magnificentiam luxuriamque Asiaticam prae se ferret.

21) Lacaena, id est Spartana, fuit enim uxor Menelai, Regis Spartani.

22) Teucer. Hunc Homerus ait in torquendis arcu sagittis peritissimum fuisse. Non ille solus talis fuit, inquit Horatius. De Teucro vide L. I. od. 6. not. 24.

23) Cydonio: Cretensi. Cydon urbs Cretae fuit, ad quam optimae sagittis faciendis nascebantur arundines.

24) Vexata, obsessa, oppugnata. Trojam primo Hercules obsedit, deinde Amazones, demum Graeci.

25) Idomeneus Sthenelusve: duces Graecorum fortissimi, de quibus saepe Homerus meminit.

26) Dicenda Musis proelia, id est, digna quae a poëtis celebrarentur, quae aeternitati consecrarentur.

27) A Graecis ad Trojanos transit. Ferox Hector, fortis, bellicosus filius Priami.

28) Deiphobus, frater Hectoris; gravia vulnera passi sunt, pro civibus, pro conjuge et liberis.

29) Agamemnon, dux praecipuus Graecorum ad Trojam, Rex Mycenarum. Sensus est: Jam ante bellum Trojanum multi fortes heroes vixerunt, his enumeratis similes aut aequales.

30) Sed omnes premuntur, urgentur longa, aeterna nocte; omnium fama in obscuro est; omnes oblivioni traditi sunt illacrimabiles, indefleti, quia nemo ipsorum facta novit, neque infortuniis adeo, quibuscum subinde indignis modis conflictati erant, commovetur.

31) Transitum ad Lollium facit poëta consectaria sententia: Homines rebus egregie gestis sua aetate vel maxime conspicuos, neque tamen carminibus celebratos, ratione posteritatis habita, nihil prorsus differre ab inertibus. Virtus celata, quae occultatur posteris, in oblivionem venit. Inertia, ignavia sepulta, in obscuro latens, nullo facinore sese prodens.

Celata virtus. Non [32]) ego te meis
Chartis inornatum filebo;
Totve tuos patiar labores
Impune, Lolli, carpere lividas
Obliviones. Est animus tibi
Rerumque [33]) prudens, et secundis
Temporibus, dubiisque rectus [34]);
Vindex [35]) avarae fraudis, et abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniae:
Consulque [36]) non unius anni;
Sed quoties bonus, atque fidus
Judex honestum praetulit utili, et
Rejecit alto dona nocentium

---

32) Impune, id est, me non prohibente. Sensus autem est: non patiar, ut invida oblivio carpat, obscuretque impune, nemine injuriam vindicante, tot egregios tuos labores, facta tua praeclara; chartis enim seu carminibus meis te celebrabo.

33) Sensus: et sane dignus es, qui carmine extollaris, cujus ad posteros pertingat memoria, ut qui animum habeas rerum prudentem, id est, rebus agendis idoneum, multo rerum usu exercitatum. Spectat hoc ad Lollii imperatorias virtutes, quas partim fausto, partim minus prospero eventu explicuit.

34) Rectus: in utraque fortuna aequus, qui neque in secundis temporibus effertur, neque in dubiis, adversis deprimitur, adeoque rectus, erectus perstat.

35) Laudes justitiae atque temperantiae Lollii: est animus tibi ab omni cupiditate liber, qui vindicat, ulciscitur fraudem avaram, id est, scelera ex avaritia orta; idemque minime adpetit divitias, ducentes ad se cuncta, id est, quae miras illecebras habent.

36) Sequuntur notiones virtutis stoicis formulis expositae. Scilicet e Stoae praeceptis in sapientem cadit regnum, summus magistratus, summae divitiae etc. quatenus neque honorum neque opum cupiditate animus ejus ducitur, quatenus id solum, quod honestum est, sequitur, nulla utilitatis habita ratione. Jam quum consulatus Romae summus magistratus, isque annuus esset, poëta Lollium ob virtutem istam non unius anni, sed perpetuum declarat consulem. Illud, quoties, exornationi tantum debetur, et minime urgendum est. Sensus: perpetuum animus tuus consulatum gerit, quandoquidem honestum praefert utili, rectum a pravo discernit, illudque sectatur. Specialem notionem pro generali virtutis posuit poëta, atque eam quidem, quae illustre ejus documentum praebet, incorruptam animi integritatem, nullis muneribus expugnabilem. Adpellat illum judicem bonum, quatenus recte statuit, honestum praeferendo, et fidum, quatenus a recto tramite haud deflectit, in recto, neglecta utilitate, perseverat, et rejicit, aspernatur munera nocentium, reorum, qui integritatem judicis student muneribus corrumpere; alto vultu, oculo irretorto, qui animi magnitudinem prodit ea contemnendo.

Vultu, et per [37]) obstantes catervas
Explicuit sua victor arma.
Non [38]) possidentem multa vocaveris
Recte beatum: rectius occupat
Nomen beati, qui Deorum
Muneribus sapienter uti,
Duramque callet [39]) pauperiem pati;
Pejusque [40]) leto flagitium timet,
Non [41]) ille pro caris amicis,
Aut patria timidus perire.

Ode IX.

Ad Ligurinum.

Argumentum.

Ligurinum formosum juvenem, eundemque superbum admonet, ejus pulchritudinem brevi esse perituram.

Metrum Asclepiadeum majus L. I. carm. 10.

– – | – ⏑ ⏑ – | – ⏑ ⏑ – | – ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏓

O *formosus* adhuc, et Veneris [1]) muneribus potens,
Insperata tuae quum veniet pluma [2]) superbiae,

---

37) Nova amplificatur imagine sententia, a milite desumta, qui pugnandi ardore in medias hostium acies provectus, ab iisdem interceptus, arma sua explicat, ferro se expedit, viam sibi aperit, per oppositas hostium catervas, reditum morantes. Per obstantes catervas intelliguntur, adulationes, munera, largitiones, qui sunt judicum hostes; per arma, aequitas, constantia, fides, quibus pugnat judex contra supra dictos hostes. Sensus ergo est: muneribus nequit expugnari virtute adversus cupiditates munitus animus.

38) Sententia generalis est: est animus tibi, Lolli, sorte sua qualicunque contentus. Sed iterum deflectitur oratio ad exprimendam Stoicae virtutis imaginem.

39) Callet pati: aequo animo sustinet pauperiem, modica sorte contentus est. Duram, cujus ferendae magno animo opus est.

40) Pejusque, magis timet peccare, quam mori.

41) Nec timet pro patria mori. Graecismus.

---

1) Veneris muneribus potens, id est: qui eximia pulchritudine praeditus es.

2) Illis rebus dicuntur plumae venire, quae avolant et fugiunt. Sensus ergo est: quando illa forma, quae te superbum facit, te deseruerit.

Et, quae nunc humeris involitant, deciderint [3]) comae,
Nunc [4]) et, qui color est puniceae flore prior rosae,
Mutatus Ligurinum in faciem verterit hispidam:
Dices, heu! quoties te in speculo videris alterum [5]),
Quae [6]) mens est hodie, cur eadem non puero fuit?
Vel [7]) cur his animis incolumes non redeunt genae?

Ode X.

Ad Phyllidem.

Argumentum.

Quum Idus Apriles, qui dies Maecenatis natalis esset, magna cum religione adparatiorique convivio celebrandas statuisset, Phyllidem, quam hujus sacri vellet participem, invitat. Probabile autem est fuisse Phyllidem puellam doctam, poëticis studiis deditam, atque ideo caram Horatio.

Metrum L. I. carm. 2.

Est [1]) mihi nonum superantis annum
Plenus Albani [2]) cadus; est in horto,
Phylli, nectendis [3]) apium coronis;
Est hederae vis [4])

---

3) Deciderint comae, senio avulsae; senes enim vulgo sunt calvi.

4) Sensus: quando color vultus tui, qui nunc potior est et pulchrior flore punicae, hoc est, purpureae rosae, mutatus, te in aliam faciem, nempe hispidam, pilosam e pulchra mutaverit.

5) Alterum: ita mutatum ab illo, qui fueras olim, ut alterum te pene esse credas.

6) Dices: eheu! me miserum! cur eadem non fuit mihi puero mens, quae est hodie mihi seni? Cur voluptates et cetera ludicra non fugiebam tunc, ut modo fugio?

7) Vel quare non redit mihi forma pristina, et integer florensque vultus, mihi, inquam, his animis praedito, nempe, probitatem amanti, contemnenti voluptates? Castos enim ornat forma, quae improbos dedecorat.

---

1) Describit ab initio statim sacri domestici convivii adparatum.

2) Albani; vini optimi, quod in montibus prope Albam nascebatur.

3) Sensus: parati sunt flores nectendis coronis, ad nectendas coronas convivales. Ex his memorat poëta apium et hederam.

4) Vis multa, insignis copia hederae, qua religata, implicata crinibus ful-

Multa, qua crines religata fulges.
Ridet [5]) argento domus: ara [6]) castis
Vincta verbenis [7]) avet immolato
Spargier agno.
Cuncta festinat manus [8]); huc et illuc
Cursitant mixtae pueris puellae [9]);
Sordidum [10]) flammae trepidant [11]) rotantes
Vertice fumum.
Ut tamen noris, quibus [12]) advoceris
Gaudiis: idus tibi sunt agendae,
Qui dies mensem [13]) Veneris marinae
Findit [14]) Aprilem:
Jure [15]) solemnis mihi, sanctiorque
Pene natali proprio; quod ex hac

---

ges, resplendes, pro: qua coronari soles. Convivae enim Romani se apio et hedera coronabant praecipue.

5) Ridet, resplendet domus argento, id est: argenteis vasis, ad hujus diei solennitatem purgatis, praeparatis.

6) Sensus: ara sacrificio parata est. Et pro hoc: ara castis verbenis, id est, herbis sacris redimita, imbui et respergi sanguine agni immolati avet, cupit, gestit.

7) Verbena est herba, quam circum aras spargebant sacrificaturi; qua coronabant etiam aras ipsas.

8) Manus: famulorum turba. Solennis discursantium famulorum in struendo convivio mentio.

9) Puellae: ancillae.

10) Sordidum, nigrum, vel sordes tecti fastigio inserentem fumum.

11) Flammae trepidant rotantes, id est, trepide, celeri motu in altum agunt fumum, adeo, ut rotetur, turbinibus convolutus altum petat. Sensus est: flamma densum fumum agit; major hodie ignis accensus est.

12) Quibus advoceris gaudiis: ad quae gaudia, ad quem festum diem hilariter agendum voceris, scito: Idus Apriles esse, quas te apud me celebrare oportet.

13) Mensem Veneris: mensem Veneri sacrum. Est autem Aprilis Veneri sacer; quia verna tempestas terrae sinum aperit; ac frugibus rebusque ceteris gignendis favet. Vocat Marinam Venerem, quia a poëtis dicitur nata e spuma maris.

14) Findit, dividit in duas partes. Idus enim cujusque mensis incidunt in diem 13 et 15um. et dictae sunt ita, quia iduare, antiqua vox Etrusca, idem significat, ac dividere. Sensus simplex ergo est: idus Apriles sunt; medius est mensis Aprilis.

15) Est ille dies mihi merito solennis, et prope sanctior meo die natali;

Luce Maecenas meus adfluentes
Ordinat annos.

Ode XI.

Ad Virgilium.

Argumentum.

Licet multi sint, qui hoc carmen ad alium quemdam, nomine Virgilium, directum esse opinentur, quam ad Virgilium Maronem poëtam, plures tamen adhuc interpretes hunc esse statuunt, quem Horatius ad coenam invitat, ita, ut, quum vinum se praebiturum spondeat, ab eo unguentum conferri postulet; sique conditio placeat, statim ad se, missis omnibus, quae convivium moratura sint, cum isto advolet, adjectis, quae ad illud compellant, argumentis, a sicciori anni tempestate, vitaeque brevitate desumtis.

Metrum L. I. carm. 5.

Jam Veris [1]) comites, quae mare temperant,
Impellunt animae lintea Thraciae:
Jam nec prata [2]) rigent, nec fluvii strepunt
Hiberna nive turgidi.
Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens,
Infelix [3]) avis, et Cecropiae [4]) domus

---

quia ex illo die Maecenas ordinat, numerat ordine suos annos adfluentes, id est, succedentes, alios aliis accedentes: quia nimirum est dies ejus natalis, a quo anni inchoantur.

1) Incipit a descriptione Veris. Animae Thraciae sunt venti molliores, qui ab Oriente in Septentrionem vergente, ubi est Thracia respectu Italiae plerumque veris tempore flant; dicuntur propterea etiam Veris comites. Sensus est: lenes venti, qui mare temperant, mitius, et aptum navigatione reddunt, jam intendunt vela, sicque navem impellunt, promovent.

2) Prata non amplius rigent, horrent gelu adstricta; nec amplius turgidi, exundantes, hiberna nive liquefacta, strepitum edunt. Id est: prata jam virent, et fluvii leni lapsu defluunt.

3) Infelix avis, est hirundo. Procne filia Pandionis, Atheniensium regis, nupserat Tereo, regi Thraciae. Ille cum Philomelae, sorori Procnes, vim attulisset, Procne, hoc aegre ferens, suum e Tereo filium Ityn epulandum ipsi Tereo adposuit; quo cognito, Tereus cum stricto ferro in uxorem involaret, illa conversa est in hirundinem. Sic etiam reliqui, dolore maximo contabescentes, Deorum commiseratione mutati sunt: Tereus in upupam, Philomela in lusciniam, et Itys in phasianum. Dicitur eapropter de hirundine: flebiliter Ityos necem lugens.

4) Cecropiae domus: regiae familiae apud Athenienses, quorum Cecrops

Aeternum opprobrium, quod male barbaras
Regum est ulta libidines.
Dicunt [5]) in tenero gramine pinguium
Custodes ovium carmina fistulâ;
Delectantque Deum [6]), cui pecus, et nigri
Colles Arcadiae [7]) placent.
Adduxere [8]) sitim tempora, Virgili;
Sed [9]) pressum Calibus [10]) ducere [11]) Liberum
Si gestis, juvenum [12]) nobilium cliens,
Nardo vina merebere.
Nardi [13]) parvus onyx [14]) eliciet [15]) cadum,
Qui nunc Sulpiciis [16]) accubat horreis;
Spes donare novas largus, amaraque

primus rex fuit. Sensus: quae avis aeternam infamiae notam inussit, infamem reddidit domum Cecropiam, gentem Atticam; quod male, immani scelere, id est, filium suum enecando, ulta est libidinem barbaram regum, nempe Terei.

5) Dicunt carmina, canunt fistula.

6) Deum, id est, Pana vel Faunum.

7) Arcadia regio est Graeciae, in Peloponneso; ex qua in Italiam venire Pan februario mense dicebatur.

8) A calore verno, qui sub Italiae caelo gravior est, suaviter potandi causas, derivat: anni tempus excitavit sitim, bibendi nos admonet.

9) Sed si gestis, cupis, ducere, id est, bibere vinum Calenum, hujus tibi copia fiet, nardo vicissim data, allato nardi unguento; paria faciamus, ego vinum dabo, tu unguenta adferto.

10) Cales urbs Campaniae, cujus ager vitibus felix, hinc vinum Calenum.

11) Ducere: e patera haurire.

12) Juvenes nobiles: satis probabiliter intelligunt Tiberium et Drusum Nerones, Liviae filios et Marcelli, ex Augusti sorore genitos, quorum clientem lepide Virgilium poëta fert, quod iis familiariter uteretur. Ab his unguenta ejusmodi, quae Horatius amicum adferre jubet, muneris loco, data esse facile Virgilio poterant. Praeterea, ut saepe jam dictum est, veteres uncti et delibuti accumbere solebant.

13) Facete in collatitia hac compotatione haeret poëta, jocoseque Virgilio liberalitatem suam imputat, qui exiguo unguenti vasculo totum vini exquisitissimi cadum adponat.

14) Onyx: pyxides unguentariae multae fuere ex onyche lapide, ex quo inductus mos, ut etiam, quae ex alia materia fierent, onyches vocarentur.

15) Eliciet: adducet, persuadebit mihi, ut adduci jubeam cadum integrum,

16) Sulpicii horreis; apothecis, quales Sulpicius Galba optimas Romae habuit, et in quibus cum vino etiam oleum fruges et similia accubabant, adservabantur.

Curarum eluere efficax [17]).
Ad quae [18]) si properas gaudia, cum tua
Velox merce veni: non [19]) ego te meis
Immunem meditor tingere poculis,
Plena dives ut in domo.
Verum [20]) pone moras et studium lucri;
Nigrorumque [21]) memor, dum licet, ignium,
Misce stultitiam [22]) consiliis [23]) brevem:
Dulce est desipere in loco.

Ode XII.

Ad Augustum.

Argumentum.

Quamquam in eodem fere, quod 3tio hujus libri carmini subjectum est, hocce occupetur argumento, quandoquidem in utroque laudes Drusi ac Tiberii bellicae ad Augustum referantur; diversa tamen, qua ad eundem scopum contendat, via, poëtam incedere animadvertas. In altero

17) Qui potest dare largiter, prolixe spes novas, et curas eluere. Graecismus.

18) Si ad hanc convivii laetitiam properas, ejus particeps esse vis, si haec conditio tibi placet; advola cum tua merce, unguento nardino, e Syria misso.

19) Non meditor, non est mihi animus, ut dives in domo plena, quod quidem divites facere solent, te meis poculis tingere, vino te meo inebriare, vinum praebere tibi immuni, ita, ut nihil de tuo conferas.

20) Virgilius non contemnendas opes suis versibus collegerat; quae res illum ad scribendum aquebat. Sensus ergo est: ne detinearis lucri studio, id est, versibus conficiendis, quo compotatio differatur necesse est. Facete igitur inducit lucri studium Virgilii Horatius, quem minus parcum ac laboriosum fuisse constat. Ceterum adparet, ex hoc loco minime concludi posse, Virgilium, ad quem hoc carmen scribit Horatius, non esse Maronem poëtam, sed alium quemdam mercatorem hoc nomine insignitum, ut quidam volunt.

21) Nigrorum ignium: rogi, adeoque mortis. Nigros vocat ignes, id est, funestos, tristes.

22) Stultitiam adpellat hilaritatem solutiorem, et liberiores jocos. Sensus: mitte aliquantisper seria, atque lusibus, conviviique hilaritati vaca.

23) Consiliis, prudentiae, serioribus studiis.

24) Dulce et amoenum est, hilaritati se dare, genio indulgere suo loco ac tempore.

enim, quum praeter generis nobilitatem, institutioni potissimum ac praeceptis Augusti magnitudinem ac gloriam Neronum innixam ostendisset; summam laudum hoc carmine in Augustum, ducto ab auspiciis, hoc est, jussu, copiis, consiliis ejus, quibus tantas isti res confecissent, argumento, convertit. Jam, quo rerum ab Augusto gestarum magnitudinem, amplissimaque in rempublicam merita quam splendidissime repraesentaret poëta, a Senatus populique universi studio, in excogitandis novis, quibus Augustum ornarent, honoribus occupato, exorsus, vix ullos reperiri posse contendit, qui pares ejus sint virtutibus. Ita naturalis ad Augusti laudes progressus erat, quas quidem ita deinceps explicat, ut exposita, quam de Vindelicis per Tiberium reportasset, victoria, gentiumque ab eo devictarum recensione facta, Augustum inde totius orbis terrarum pacatorem atque Deum magnifice repraesentet. Ad a. u. 741, quo novis, quaesitioribusque Augustum rediturum Senatus ornandum decrevisset honoribus, referendum esse hoc carmen, ipsum ejus abunde adserit initium.

Metrum L. I. carm. 8.

Quae [1]) cura Patrum, quaeve Quiritium,
Plenis honorum muneribus tuas,
Auguste, virtutes in aevum
Per titulos [2]), memoresque fastos [3])
Aeternet? o, qua [4]) Sol habitabiles

1) Poëtam rerum ab Augusto gestarum magnitudine attonitum, intimeque percitum, satis vivide exordium statim ostendit. Sententia vulgaris: Augusti in rempublicam merita ampliora sunt, quam ut iis dignus parque honos haberi queat. Et pro hoc: Quae cura, id est, quantumvis Patres ac Quirites, id est, senatus populusque Romanus in exquirendis honorum muneribus, honoribus in Augustum conferendis laborent, omnemque ingenii solertiam adhibeant, plenos tamen, hoc est, eos, qui exacte respondeant Augusti virtutibus, vereor, ut reperturi sint. Jam pro, honores in Augustum conferre, dicit poëta: virtutes in aevum aeternare, hoc est, ita celebrare, ut ipsarum memoria in aevum perduret; aeternitati consecrare, congerendis iu eum honoribus, iisque titulis, seu, per titulos ac memores fastus proditis.

2) Tituli hoc loco complectuntur monumenta publica, statuas, arcus, nummos etc. quibus incisae epigraphae memoriam ejus, cui honor iste haberetur, ad posteritatem propagabant.

3) Fasti sunt commentarii seu codices, qui memoriam rerum, singulis annis gestarum, continent.

4) Sensus: per universum terrarum orbem, qua est habitabilis, princeps omnium maxime! quem didicere, graviter experti sunt, quae tua sit in

Illustrat oras, maxime principum,
Quem legis expertes Latinae
Vindelici [5]) didicere nuper,
Quid Marte posses. Milite [6]) nam tuo
Drusus Genaunos [7]), implacidum [8]) genus;
Breunosque veloces [9]), et arces
Alpibus impositas tremendis [10]),
Dejecit [11]) acer plus vice simplici:
Major [12]) Neronum mox grave [13]) proelium
Commisit, immanesque Rhaetos,
Auspiciis pepulit secundis:
Spectandus [14]), in certamine Martio,
Devota [15]) morti pectora liberae

bello virtus, Vindelici, quos modo subegisti, adhuc expertes Latinae legis, id est, non antea perdomitos a Romanis; quibus primus pacis leges tamquam victor edixisti.

5) De Vindelicis vide argumentum odae III.

6) Milite tuo, id est, auspiciis tuis adversus hostes ducto, Drusus egregie bellum adversus istas gentes administravit. Quum auspiciorum habendorum jus penes eum solum esset, qui cum summo imperio praeesset exercitui, hujusque adeo nomine a legato, cui mandatum bellum esset, omnia gererentur; facile perspicitur, in Augustum, qui, summo in perpetuum imperio ornatus, solus auspiciorum potestatem haberet, rerum a Neronibus egregie gestarum laudem recidere.

7) Rhaetis et Vindelicis substituit poëta Genaunos et Breunos, gentes Cisalpinas, istis finitimas, bellique socias, quo major ex devictarum gentium multitudine victoriae esset dignitas.

8) Implacidum, id est: quantumvis trucem ac ferocem gentem.

9) Veloces, qui pugnam statariam detrectantes, subitis undique in hostes incursionibus factis, in tuta montium sese continuo reciperent, qui adeo difficulter debellari possent.

10) Tremendis, id est, summis Alpium jugis.

11) Dejecit, deturbavit, vicitque acer, seu, fortiter eos adgressus plus vice simplici, id est, non semel tantum, sed pluries, multis in proeliis.

12) Major enim Neronum, Tiberius, qui fratre Druso senior erat, tum demum adversus Rhaetiae populos ab Augusto missus, quum a Druso ab Italia rejecti, Galliae imminerent.

13) Grave proelium commisit, id est, gravi clade adflixit et in fugam vertit Rhaetos, immani corpore ac virium robore praeditos, secundis Augusti auspiciis, quae felicissimum exitum sponderent.

14) Spectandus, id est, egregium sui spectaculum praebens, cujus fortitudo mirationem faceret in certamine Martio, seu pugna, quantis ruinis et cladibus fatigaret, ad desperationem ligeret, infringeret pectora, id est, feroces hostium animos.

15) Devota morti liberae, qui in libertate mori mallent, quam servitutem pati, qui adeo pro libertate ad internecionem dimicarent.

Quantis fatigaret ruinis:
Indomitas [16]) prope qualis undas
Exercet Auster [17]), Plejadum [18]) choro
Scindente nubes; impiger [19]) hostium
Vexare turmas, et frementem
Mittere equum medios per ignes.
Sic [20]) tauriformis [21]) volvitur Aufidus,
Qui regna [22]) Dauni praefluit [23]) Appuli,
Quum saevit, horrendamque cultis
Diluviem meditatur [24]) agris:
Ut [25]) barbarorum Claudius agmina
Ferrata vasto diruit impetu,
Primosque, et extremos metendo [26]),
Stravit humum, sine [27]) clade victor:
Te [28]) copias, te consilium et tuos

16) Praeclare illustratur Tiberii in hostibus continuo persequendis caedendisque ostensa virtutis ferocia Austri, sub ortum Pleiadum maximas in mari turbas excitantis, imagine.

17) Auster est ventus meridionalis et saevus.

18) Plejades sunt 7 stellae in fronte Tauri, ita dispositae in orbem, ut choream agere videantur. Dicuntur etiam Atlantides, quia filiae Atlantis esse credebantur. Procellas autem et imbres terris important, cum oriuntur sub initium aestatis, et occidunt sub finem Octobris. Hinc nubes ab illis dicuntur scindi et rumpi, cum nempe in pluvias solvuntur.

19) Impiger vexare; Graeca constructio, id est: fortis, strenuus in adfligendis, conturbandis hostium turmis, et in immittendo, concitando equo feroci per medios ignes, id est: qua pugna ferventissima est, qua acerrime depugnatur.

20) Facit comparationem poëta, Tiberii virtutem sua luce collustrare gestiens. Est autem imago, qua Tiberius hostium cuneos perrumpens, lateque stragem edens, torrenti, omnia vastanti, adsimilatur.

21) Tauriformis: comparantur tauris flumina, ob impetum, et quasi mugitum fluctuum, itaque cum taurinis cornibus pinguntur.

22) Regna Dauni, id est, Apuliae partem unam, in qua regnavit Daunus; altera pars Peucetia dicitur.

23) Praefluit, id est, praeterfluit.

24) Meditatur, id est, parat.

25) Eodem vasto, immani, praecipiti impetu hostes adortus, diruit, disjecit barbarorum seu hostium agmina ferrata, ferro armata, Tiberius Claudius Nero.

26) Metendo, id est, demessuit, prostravit hostes a primis, seu proximis, ad extremos usque caedem continuans.

27) Sine clade suorum militum, impune.

28) Iterum praeclara inflexione poëta Tiberii laudes cum Augusto communicat: te Divos tuos, quos constanter propitios expertus es, hoc est, auspicia, quae felicissimum eventum sponderent, praebente.

Praebente Divos. Nam [29]), tibi quo die
Portus Alexandrea supplex,
Et vacuam [30]) patefecit aulam,
Fortuna lustro [31]) prospera tertio
Belli secundos reddidit exitus,
Laudemque, et optatum peractis
Imperiis decus adrogavit [32]).
Te [33]) Cantaber non ante domabilis,
Medusque, et Indus; te profugus Scythes
Miratur [34]), o tutela [35]) praesens
Italiae, dominaeque Romae:
Te, fontium qui celat origines,
Nilusque [36]), et Ister [37]); te rapidus Tigris [38]);

29) Declarat jam Augusti Divos, hoc est constantem Numinum erga eum favorem, captamque ab eo Alexandriam in hanc rem allegat poëta, quod eodem ipso die, quo cum Rhaetis et Vindelicis debellatum esset, Augustus 15 annis ante Alexandriam cepisset, 4to. Calend. Sept. a. u. 724.

30) Aulam vacuam: regiam desertam, Antonio et Cleopatra in Mausoleo, in quod confugerant, exspirantibus.

31) Lustrum est spatium 5 annorum, adeoque tria lustra efficiunt 15 annos.

32) Adrogavit, id est, adtribuit, adjecit, addidit, peractis imperiis, seu, rebus, quas olim imperator bello gessisti, pristinae tuae gloriae bellicae, laudem, novam gloriam ex victoria Vindelica, et decus optatum, eximium exquisitum. Imperiis tuis, est igitur dativus.

33) Ad reliquas terrarum gentes ab Augusto perdomitas poëta, tumens ejus laudibus, progreditur, quo fortunam ejus prosperam illustriorem reddat. De Cantabris Hispaniae populis, ab Augusto perdomitis vide L. II. od. 4. not. 3. et L. III. od. 7. not. 17. De Medis seu Parthis, vide argum. od. 5. L. III. Quod Indiam attinet, haec nunquam devicta est ab Augusto, de Seribus, qui passim pro Indis usurpantur, tantum constat, eos misisse legationem, Augusti amicitiam petere jussam, et a Romanis pro obsequii confessione acceptam. De Scythis vide L. III. od. 7. not. 18. Profugi dicuntur ob erraticum eorum vivendi morem. Generatim de his constat, partim Augusti armis domitos fuisse, partim legatos eos de pace misisse. Ad Scythos referuntur omnes septemtrionales populi: Daci, Sarmatae, Geloni etc.

34) Miratur; majestatem nominis tui reveretur, pro, se tibi submittit.

35) Tutela praesens: numen tutelare, quod praesens venerari datur, quum Jovis absens sit.

36) Nilus designat Aegyptum, cujus fontes ignorabant, quos nostris demum temporibus indefessis studiis apertos esse, constat.

37) Ister alio nomine Danubius, maximus est Germaniae fluvius. Intelliguntur hic Istri accolae, Daci et aliae ab Augusto devictae gentes.

38) Tigris, Armeniae fluvius, rapidus ab celeritatem dictus. Hoc ad Tigranem regem, Armeniis a Romanis constitutum, referendum est a. u. 734.

Te belluosus [39]) qui remotis
Obstrepit [40]) Oceanus Britannis [41]);
Te [42]) non paventis funera Galliae,
Duraeque tellus audit Iberiae:
Te caede gaudentes Sygambri [43])
Compositis venerantur armis.

Ode XIII.

Caesaris Augusti laudes.

Argumentum.

Augustum, belli pariter atque pacis artibus inclytum, hoc carmine celebraturus Horatius, belli quidem laudibus ita absolutis, ut iis digne canendis sese plane imparem profiteatur, in Augusto pacificatore ornando haeret, ejusque merita in rempublicam ample magnificeque extollit. Quorum quidem, quo illustrior esset species, Augustum poëta repraesentat tamquam Numen Romanorum tutelare, quod civitatem, internis externisque malis graviter adflictam recreaverit, et ad summam magnitudinem ac felicitatem evexerit. Frui enim jam per eum populum Romanum summa securitate, atque omnium rerum abundantia, conversis civium ad colendas pacis artes, maxime agrorum cultum, quem quidem metus hostilis ac rei bellicae cura intercepisset, studiis; debellatum ab eo Parthum, pacatumque omnino totum terrarum orbem; revocatam porro, saluberrimis latis legibus, pristinam morum integritatem ac sanctitatem. Unde quam carus acceptusque populo suo Augustus sit, praeclara prorsus, quaque intimum amoris ac pietatis affectum prodit, imagine ostenditur. Ceterum post

---

39) Belluosus: belluis, id est, balenis et aliis id genus monstris scatens.

40) Obstrepit, adluit cum strepitu.

41) Hoc spectat ad legationem, a Britanniae regulis ad Augustum de pace missam a. u. 727.

42) Te Galli, non paventes funera seu mortem, id est, fortes, feroces; et Iberi duri seu feri audiunt, id est: tibi obtemperant. Hispania dicta est Iberia ab Ibero flumine.

43) Sygambri, compositis, abjectis armis, te venerantur, tibi obediunt. De his Germaniae populis vide argum. od. 1. hujus L.

---

744. scriptam esse hanc odam, Janus tertium clausus manifeste prodit.

Metrum L. I. carm. 8.

Phoebus [1]) volentem proelia me loqui,
Victas et urbes, increpuit lyra;
Ne [2]) parva Tyrrhenum per aequor
Vela darem. Tua [3]), Caesar, aetas
Fruges et agris retulit uberes;
Et signa [4]) nostro restituit Jovi [5]),
Derepta [6]) Parthorum superbis
Postibus, et vacuum duellis
Janum [7]) Quirinum clusit; et ordinem
Rectum evaganti frena [8]) licentiae
Injecit, emovitque [9]) culpas,
Et veteres [10]) revocavit artes;

---

1) Me loqui, canere adgressum proelia et urbes victas, id est, Augusti victorias, subito adstans Phoebus increpuit lyra; lyra tacta admonuit, ne etc.

2) Ne res meis viribus impares adgrederer, ne instar nautae, qui exigua scapha procelloso mari, quale est Tyrrhenum seu Thuscum, se committeret, proelia, triumphosque, Caesar, tuos canerem; sed potius ea, quae pace confecisti, felicitatem, quam tua aetas omnibus attulit etc.

3) Sensus: tua aetate relata, reddita est agris frugum ubertas, revocato a te ipsorum cultu.

4) Signa a Parthis recepta a. u. 734. Hic autem pacata per Augustum externa innuere putandus est poëta, devicti subjugatique Parthi, acerrimi Romanorum hostis, facta mentione.

5) Restituit Jovi, templo Jovis Capitolini intulit, cujus in templo vexilla haec reposuit Caesar; tamquam imperii Romani conservatori consecravit Augustus triumphator.

6) Derepta, detracta templorum postibus, quibus Parthi adfixerant.

7) Jani templum clausit, vacuum bellis, quasi in eo templo habitarent, quibus pulsis pax succederet. Erant autem multa Jani templa Romae, unum inprimis, quod Janum Quirini, seu Romuli vocabant, a Romulo aedificatum, quod flagrante bello apertum erat, confecto clausum. Illud ter Augustus pace undique restituta clausit, 1° post pugnam Actiacam 727. 2° post reddita signa a Parthis 734. et demum 744, devictis a Tiberio Pannoniis Dalmatis et Dacis; a Druso vero Sygambris, Usipetis, et aliis Germaniae populis.

8) Frena injecit, compescuit, edomuit licentiam, rectum ordinem, seu rectam agendi normam evagantem, excedentem.

9) Emovit, funditus exstirpavit culpas, id est, adulteria, severissime in ea animadvertendo, et mores publicos emendando.

10) Veteres artes, id est, majorum instituta, continentiam, parsimoniam, verbo, antiquam Romanorum disciplinam reduxit.

Per quas Latinum [11]) nomen, et Italae [12])
Crevere vires, famaque et imperî
Porrecta [13]) majestas ad ortum
Solis ab Hesperio cubili.
Custode [14]) rerum Caesare, non furor
Civilis aut vis eximet otium;
Non [15]) ira, quae procudit enses,
Et miseras inimicat urbes.
Non [16]), qui profundum Danubium [17]) bibunt,
Edicta rumpent Julia [18]), non Getae,
Non Seres [19]), infidive Persae [20]),
Non Tanain [21]) prope flumen orti.
Nosque [22]) et profestis [23]) lucibus, et sacris,

11) Latinum nomen, non est simpliciter hoc loco res Romana, populus Romanus; sed reipublicae splendor, dignitas.

12) Italae vires, Romana civitas incrementa cepit, robur nacta est.

13) Porrecta, producta, amplificata ab Occidente usque ad Orientem.

14) Custode, id est, dum Augustus terrarum orbi prospicit, ei imperat, furor et vis civilis, id est, ardor civium, seditio, bellum intestinum non exturbabit e tranquilla sede sua otium, pacem; non evertet tranquillum reipublicae statum.

15) Neque etiam ira eximet otium, id est, inimicitiae civium, odia, quae procudunt enses, quae ad vim procedunt, unde bella et caedes enascuntur; et quae inimicant, exasperant urbes, ut inimicis armis inter se confligant, ad arma capessenda excitant.

16) Sententia vulgaris: neque ab externo hoste quidquam timendum erit, imperante Augusto.

17) Qui profundum Danubium bibunt, sunt Istri accolae: Rhaeti, Pannones, maxime Daci, quos speciatim memorat poëta, Getarum, finitimi ipsis populi, adpellatione eos complexus. Nam Getas ultra Dacos versus Pontum Euxinum sedes habuisse, tradit Strabo. Et Dacos Romanis Getas dictos, ait Plinius. 12.

18) Edicta Julia, id est, leges devictis populis ab Augusto impositas. Dictus est Augustus etiam Julius, quia in nomen et familiam C. Julii Caesaris adoptione transierat.

19) Seres, populus orientalis prope Indiam.

20) Persae, id est, quantumvis antea perfidi, non amplius imperium Romanum detrectabunt.

21) Tanain prope flumen orti sunt Scythae; dividit hic fluvius Europam et Asiam.

22) Nexus sententiarum: exterae gentes nominis tui majestatem reverentur; nos, maximo felicitatis cumulo a te beati ornatique, tenerrimo te amore prosequimur, et tamquam numen beneficum veneramur.

23) Profestis lucibus, diebus non sacris, qui festos praecedunt, et sacris, hoc est: quovis die pietatem tibi nostram adprobamus.

Inter [24]) jocosi munera Liberi [25]),
Cum [26]) prole, matronisque nostris,
Rite Deos prius adprecati,
Virtute [27]) functos, more patrum, duces,
Lydis remixto carmine [28]) tibiis,
Trojamque [29]), et Anchisen, et almae
Progeniem Veneris canemus.

24) Inter convivia hilariter agitata, mensis secundis; nam tum demum bibi libarique Diis caeptum est.

25) Liberi jocosi, id est, vini, jocos excitantis.

26) Cum liberis conjugibusque nostris, rite, seu, ritu solenni Deos prius adprecati, libatione cum precibus ceteris Diis facta, canemus laudes gentis Juliae. Et hoc poëta ad morem majorum, Graecis maxime frequentatum, quo fortia patrum facta ad tibiam super epulis canerentur, transfert.

27) Virtute functos, quasi munere functos: qui magnas res patrare sustinuerunt; qui gravissimos labores atque aerumnas virtutis causa tolerarunt; maxima facinora edidere.

28) Carmine, hymno remixto, adtemperato ad tibias Lydias, quibus canitur ad modum Lydium, qui vigoris plenus erat, et conviviis adeo aptissimus.

29) Troja, tanquam Romanorum metropolis, ad partes vocatur a poëta propter oriundos inde Anchisen, patrem Aeneae, et Veneris progeniem, gentem Juliam, ab Julo Anchisae et Veneris nepote descendere creditam, in quam Augustus adoptatus fuerat.

Q. Horatii Flacci

Epodon *)

Liber.

Ode I.

Ad Maecenatem.

Occasio et argumentum.

Massonus in vita Horatii p. 143 asserit, Maecenatem, a. u. 723. quum imminente pugna Actiaca Senatores, equestrisque ordinis viri Brundusium evocarentur, eodem proficisci in animo habuisse; ast, dum Augustus abesset, eundem Urbi praefectum constitutum fuisse. Carmen itaque hocce ante, quam illud profectionis consilium ab Augusto, demandata ei Urbis praefectura, discussum fuisset, scriptum esse probabilius statui potest. Horatius igitur, quum discessuro Maecenati comitem se professus domi manere jussus esset, tenerrimum amicitiae suae adfectum hoc carmine ita testatum facit, ut, quum aegritudinem ex absentia ejus se nimis molliter laturum intelligat, obniti ei, propositumque suum in subeundis fortiterque perferendis militiae laboribus adprobare conetur. Quam ne a lucri cupiditate, qua fere mortales ducantur, profectam existimet pertinaciam, abunde jam sibi, intra naturae fines viventi, ab eodem prospectum gratus adfirmat.

*) Sunt Epodi versiculi breviores, ab Archilocho inventi, et longioribus alternatim subjuncti, sic ut unus ab altero pendeat, nec possint seorsim intelligi, cum sit posterior prioris complementum; unde et factum, ut cum nunquam unus sine altero pronunciaretur aut etiam caneretur, prior et longior praecinens seu προῳδικος, posterior autem et brevior succinens seu επῳδικος sit adpellatus. Cum ergo in hoc libro modum istum scribendi sequutus sit Horatius, eidem nomen factum est, ut liber Epodorum sive επῳδῶν diceretur; licet etiam superiorum librorum odae plures versus habeant minores majoribus permixtos. Ceterum continet hic liber potissimum carmina, in juventute sua a Horatio confecta, quibus tamen nonnulla seriorum temporum immixta sunt.

Metrum jambicum.

⏑̲ – | ⏑ – | ⏑̲ – | ⏑ – | ⏑̲ – | ⏑ ⏑̲
⏑̲ – | ⏑ – | ⏑̲ – | ⏑ ⏑̲

Ibis [1]) Liburnis [2]) inter alta navium,
Amice, propugnacula [3]),
Paratus omne Caesaris periculum
Subire, Maecenas, tuo [4]).
Quid nos [5])? quibus te vita si superstite
Jucunda; si contra, gravis?
Utrumne [6]) jussi persequemur otium,
Non dulce, ni tecum simul?
An [7]) hunc laborem mente laturi, decet
Qua ferre non molles viros?
Feremus [8]): et te vel per Alpium [9]) juga,
Inhospitalem et Caucasum [10])
Vel occidentis usque ad ultimum sinum [11]),
Forti sequemur pectore.

1) Pedestris connectendae orationis forma est: quum tibi constitutum sit, ad bellum navale proficisci, quid nos etc. Ergone, Maecenas, itu rus es ad bellum, et exiguis navibus cum vastis illis Antonii navigiis pugnaturus?

2) Liburnis, subaudi navibus. Naves Liburnae erant naves celeriores, et ad cursum expeditae, a Liburnis Illyrici populis aut inventae, aut plurimum usurpatae.

3) Navium propugnacula: tales vocat Antonii naves, quae, ut Florus ait, turribus et tabulatis allevatae, castellorum et urbium specie, non sine gemitu maris, et labore ventorum, ferebantur.

4) Tuo, id est, cum tuo proprio periculo.

5) Quid nos capiemus consilii; quae igitur nostrae in re tam ancipiti partes erunt, quibus vita ita demum jucunda atque expetenda videtur, si superstite te fuerit, contigerit; quae contra, non superstite te, gravis futura est.

6) Utrum hic otiosus maneam, ut jubes? sed otium istud minime jucundum mihi erit, nisi tecum simul illo frui liceat.

7) An laborem militiae, belli molestias animo, quo decet non molles, id est, strenuos, fortes viros, tecum laturus sim, vel tolerem?

8) Respondet statim ad hanc interrogationem: certum, statutum est mihi, te sequi, si vel longinquiora, vel maxime periculosa loca peteres.

9) Alpium juga. Hae Galliam ab Italia dirimunt, quarum immensa altitudo longe porrigitur.

10) Caucasus, mons Scythiae inter Pontum Euxinum et mare Caspium; vocatur inhospitalis, id est, non habitabilis, nempe ob glaciem et nives.

11) Sinus est pars maris, in terras medias excurrens: hic significatur Hispaniae litus, vel Africae circa montem Atlantem, quo terras finiri putabant Romani; neque enim aliàs ultra norant.

Roges [12]), tuum labore quid juvem meo,
Imbellis ac firmus parum?
Comes minore sum futurus in metu,
Qui [13]) major absentes habet:
Ut [14]) adsidens implumibus pullis avis
Serpentium adlapsus timet,
Magis relictis; non [15]), ut adsit, auxilî
Latura plus praesentibus.
Libenter [16]) hoc, et omne militabitur [17])
Bellum in tuae spem gratiae:
Non [18]) ut juvencis illigata pluribus
Aratra nitantur meis,
Pecusve Calabris [19]) ante sidus fervidum
Lucana mutet pascua;

---

12) Sensus vulgaris: quamquam parum in me tibi periclitanti praesidii fore probe intelligam, id quod facile tibi concesserim; hoc tamen inde consequar commodi, quod praesens minori angar sollicitudine. Et pro hoc: quaeras forte, quid tuum laborem, te cum laboribus ac periculis conflictantem juvem, sublevem, quam tibi opem adferre queam meo labore, hoc est, si periculorum particeps fiam? ut qui sim imbellis ac firmus parum etc.

13) Major metus enim, sollicitudo magis tenet, id est, insinuat sese absentibus.

14) Ultimam generalem sententiam delecta comparatione, ab avibus, pullis suis timentibus, ducta, exornavit poëta. Ordo est: quemadmodum avis, quae pullis incubat, timet illa quidem adlapsus, et incursiones serpentium: at eos tamen magis timet, relictis pullis et absens; sic ego etc.

15) Non: neque tamen, licet adsit, praesentia sua quidquam iis profutura.

16) Sensus est: atque hoc equidem facio non quaerendarum opum causa, sed sola spe promerendae tuae hoc obsequio benevolentiae, amicitiae. Illud respicit militiae praemia, veteranis bello isto civili ab Octaviano promissa, ac, finito eo, distributa. Hinc divitiarum notio ad agrorum possessiones, quae militibus adsignabantur, revocata est a poëta. Errare ergo videntur, qui ista munificentiae Maecenatianae faciunt, quae Augusti essent.

17) Militabitur: socium me tibi in hoc et omnibus, quibuscunque tu interfueris bellis, adjungam, tecum belli pericula promto animo capessam, in spem tuae gratiae solum.

18) Neutiquam vero, ut amplas agrorum possessiones. latifundia mihi inde quaeram. Latifundiorum notionem, quo vividius sensibus subjiceret, docta partium enumeratione repraesentavit, tum singulas partes exornavit poëta. Pro, possidere jugera, est, colere, arare ista; tum pro, ut arem jugera, est, ut juvencis pluribus meis alligatis, injunctis aratra nitantur, obnitantur; quatenus aegre ac difficulter ab iis promoventur aratra, vomere in terram depresso. Hic plures juvenci designant fundi amplitudinem.

19) Rem pecuariam, haud contemnendam fundi partem, nobilissimis

Nec [20]) ut superni [21]) villa candens [22]) Tusculi
Circaea tangat moenia.
Satis [23]), superque me benignitas tua
Ditavit. Haud [24]) paravero,
Quod aut, avarus ut Chremes [25]), terra premam;
Discinctus [26]) aut perdam, ut nepos [27]).

Ode II.

Laudes vitae rusticae.

Argumentum.

Quam parum sibi constent hominum, quos sua cupiditas ducit, vota atque consilia, adeo quidem, ut quem-

---

Calabriae et Lucaniae pascuis indigitat. Calabria est Italiae regio magis vergens in Orientem et Meridiem, quam Lucania. Cum igitur Calabria per aestatem nimio calore gravaretur, Lucania contra propter montes ac saltus temperatior esset, in utraque divites Romani pascua habebant, ut gregibus ipsorum aestiva in Lucania, et hiberna in Calabria essent. Sensus ergo est: non ut mei greges transeant, ante aestatem a Lucanis pascuis in Calabria. Per sidus enim fervidum intelligit caniculam, sidus, quod cum oritur, magnos calores adfert.

20) Sensus est: neque id quaero, ut villa mea Sabina Tusculum attingat, hoc est, aedificia ejus adeo dilatentur, ut ad Tusculi suburbia continua serie porrigantur. Vocat Tusculum Circaeum, quia fuit aedificatum a Telegono, Circes et Ulyssis filio in Latio. Non procul ab hac civitate aberat Sabina villa Horatii, attamen jam in regione Sabinorum.

21) Superni Tusculi, id est, in colle siti.

22) Villa candens, id est, candido et nitenti lapide exstructa; omnino aedificiorum magnificentiam declarat his, et in genere villae tertiae partis, fundi rustici, amplitudinem.

23) Sensus vulgaris: satis tu me fecisti locupletem, Sabino donato.

24) Sensus: ego ab avaritia pariter atque luxuria, praecipuis acervandarum opum causis, alienissimus, nihil amplius desidero, in agello meo adquiesco. Et pro hoc: haud paravero, comparabo, meum non est congerere divitias, quas aut terra premam, abscondam, avari instar, aut luxuriose perdam, disperdam, profundam.

25) Chremes fuit senex avarus, ab Terentio saepe inductus in scenam.

26) Discinctus, dissolutus, ganeo. Solebant enim antiqui zona vestem colligare, et praecingere, ut ad agendum essent expediti, quod qui omittebant, aut negligentius faciebant, ii suspicione inertiae laborabant.

27) Nepos, significat haec vox libidinosum hominem et prodigum; quia pueri patre mortuo, cum in avi tutelam veniunt, evadunt dissoluti; sunt enim avi patribus indulgentiores, et a pueris metu paterno solutis facile contemnuntur.

que fere sui poeniteat, luculenter admodum Alphii foeneratoris exemplo ostendit hoc carmine poëta. Confectus ille enectusque innumeris, quas res foenebris habet, curis ac molestiis, vitam rusticam otiosam illam, eamdemque maximis utilitatibus jucunditatibusque refertam, summis extollit laudibus, itaque potiorem habet, ut amplectendam eam, rusque commigrandi certissimum consilium capiat: idemque tamen paullo post, victus lucri studio, ad ingenium, pristinamque consuetudinem redit.

Metrum idem.

Beatus [1]) ille, qui procul [2]) negotiis,
Ut [3]) prisca gens mortalium,
Paterna [4]) rura bobus exercet suis,
Solutus [5]) omni foenore:
Neque [6]) excitatur classico [7]) miles truci,
Neque [8]) horret iratum [9]) mare;
Forumque [10]) vitat, et superba [11]) civium
Potentiorum limina.
Ergo [12]) aut adulta vitium propagine

1) Antequam poëta ad ipsas, quas in se habet vita rustica, enarrandas voluptates atque jucunditates progreditur, cum aliis quaestuosis, quae sua tempora suppeditarent, eam componit generibus, notatis simul, a quibus illa immunis est, aerumnis ipsorum atque molestiis.

2) Procul negotiis: haud districtus vitae negotiosae molestiis.

3) Ut prisca etc. Qualis vita antiquissimorum hominum fuit.

4) Paterna etc. avita, non pretio conducta, id est: occupatur in versanda, subigenda vomere terra, arat rus agricola.

5) Solutus omni foenore, hoc est: nihil omnino rei habens, haud implicitus rei foenebris negotiis.

6) Sensus: quem neque militem tubae sonus terrificus a somno excitat.

7) Classicum, est buccina, qua signum ad proelium dabatur. Classico truci ergo idem, ac: buccinarum ad arma vocantium terribili. Jam aerumnosam militiam per turbatos classico, hoc est, signo capessendae pugnae in repentino hostili incursu edito, somnos declarare poëtis est solenne.

8) Sensus: neque periculis, quae mercaturae propria sunt, obnoxius est.

9) Iratum mare: tumidum, tempestuosum; timens inde vitae ac mercibus suis. Mercaturam ergo poëta per navigationem in longinquas terras designat.

10) Forum vitat, id est: non causas in foro agit, tamquam patronus, inclarescendi, atque honorum divitiarumque inde consequendarum studio.

11) Non adit, frequentat atria civium potentiorum, patronorum, salutandi eos ac deducendi causa. Vide Antiquit.

12) Sequuntur parvae vitae rusticae tabulae. Ergo: ut itaque, quae vi-

Altas maritat [13]) populos;
Aut in reducta valle mugientium [14])
Prospectat errantes greges;
Inutilesque [15]) falce ramos amputans,
Feliciores [16]) inserit;
Aut pressa [17]) puris mella condit amphoris;
Aut tondet infirmas [18]) oves;
Vel [19]), quum decorum mitibus pomis caput
Autumnus arvis extulit,
Ut gaudet insitiva decerpens pyra,
Certantem [20]) et uvam purpurae,
Qua muneretur [21]) te, Priape [22]), et te, pater [24])
Silvane, tutor [23]) finium!
Libet [25]) jacere modo sub antiqua ilice,
Modo in tenaci [26]) gramine:
Labuntur altis interim [27]) ripis aquae;

tae hujus partes sunt, persequar, enarrandi initium faciam: rusticus agit hoc, ut etc.

13) Maritat vitium propagines, seu vites adjungit, copulat populis altis. Vide L. IV. od. 4. not. 28.

14) Mugientium greges, pro, mugientes greges, in reducta, sinuosa valle errantes, id est: pascentes prospectat.

15) Hoc de cultura arborum in genere, non vitium tantum, intellignedum est.

16) Feliciores, id est, fertiliores ramos.

17) Mella pressa e favis infundit in amphoras, [quae sunt vasa fictilia majora, et ansata.

18) Oves infirmae dicuntur, e natura earum. Alii: quae morbis sunt obnoxiae; ingravescunt enim nisi tempestive tondeantur.

19) Sensus: vel Auctumni tempore poma et uvas legit. Poëtice: cum Auctumnus, genius istius anni temporis, effert arvis caput, e terra exsurgit, capite ramis pomiferis revincto, decoro, gaudet decerpens, id est, magno cum voluptatis sensu decerpit pyra insitiva, quae ipse inseverit; intellige autem de pomis in genere.

20) Certantem uvam colore purpurae.

21) Muneretur, id est, sacrificet tibi.

22) Priapus erat hortorum Deus; Silvanus vero agrorum et silvarum.

23) Tutor finium: quatenus finibus regundis praeerat, lapide terminali religione ejus sancito.

24) Pater, commune Deorum epithetum.

25) Suavissima otiantis rustici in amoenissima regione imago.

26) Gramen tenax densitate sua, densum; vel quod recens actis radicibus terrae firmiter adhaeret, novum, viridissimum.

27) Interim; dum lentus in umbra, aut in toro gramineo recubat, delectatur aquarum lapsu. Labuntur altis ripis, intra alveum suum, ita ut ripae altiores sint.

Queruntur [28]) in silvis aves;
Fontesque [29]) lymphis obstrepunt manantibus;
Somnos quod [30]) invitet leves.
At [31]), quum Tonantis annus [32]) hibernus Jovis
Imbres, nivesque comparat [33]),
Aut trudit [34]) acres hinc, et hinc multa cane
Apros in obstantes plagas;
Aut [35]) amite [36]) levi rara [37]) tendit retia,
Turdis edacibus dolos;
Pavidumque leporem, et advenam [38]) laqueo gruem,
Jucunda [39]) captat praemia.
Quis [40]) non malarum, quas amor curas habet,
Haec inter obliviscitur?
Quod [41]) si pudica mulier in partem [42]) juvet

28) Sensus: inter dulcissimos avium concentus. Querelae enim etiam cantus avium a poetis dicuntur.

29) Fontes lymphis manantibus, id est: aquarum lapsu suarum obstrepunt, obmurmurant, scilicet avium querelis, cum leni strepitu profluunt.

30) Quod murmur fontium. Sententia vulgaris: inter quae somno indulgere volupe est; quae suavissimum accersunt, conciliant somnum.

31) Sensus vulgaris: at instante hieme venationi et aucupio vacat.

32) Annus hibernus, anni tempus hibernum, hiems Jovis tonantis, quatenus horarum anni arbiter ac moderator est, antiqua notione.

33) Comparat, colligit, adducit imbres et nives, quatenus per illud tempus ingruunt, et effunduntur.

34) Trudit, compellit, cogit in plagas obstantes, praetentas hinc et hinc, id est, undique apros, multa cane, pro multis canibus.

35) Aut tendit amite, suspendit amitibus retia; dolos turdis, id est, quibus turdis insidietur, eos capiat.

36) Ames est furcula, cui retia in venatione aut aucupio suspenduntur. Levi, seu levigato, in hunc usum polito.

37) Rara, id est, laxioribus foraminibus texta.

38) Grus advena: e genere adventitio, qui, instante hieme, ex septemtrionalibus plagis in tepidiores regiones commigrat.

39) Jucunda praemia: dulcissimam insidiarum structarum mercedem, praedam. Est ergo adpositio; sunt enim turdi, lepores, grues etc. dulcia laboris et aucupii praemia.

40) Sententia est: in tanta utilitatis, quam vita rustica praebet, ubertate, delectationisque varietate, quis non leviora, quae omnino humanae naturae propria sunt, ferenda existimet incommoda? pro quibus poëtam amoris cruciatus in specie ponere putandum est. Inter haec, adeo venationis studia atque oblectamenta facile quisque curarum, quas amor habet; quae amori insunt obliviscetur. Curae malae, quae animum adfligunt, macerant.

41) Sensus: quodsi agricolae tam felici esse contingerit, ut pudicam et laboriosam uxorem habeat, sane tum nemini felicitatem suam invideat.

42) In partem, id est: pro sua parte juvet domum, eam partem labo-

Domum, atque dulces liberos;
Sabina [43]) qualis, aut perusta [44]) solibus
Pernicis [45]) uxor Appuli;
Sacrum [46]) vetustis exstruat lignis focum,
Lassi sub adventum viri;
Claudensque textis [47]) cratibus laetum pecus,
Distenta siccet ubera;
Et horna [48]) dulci vina promens dolio,
Dapes [49]) inemtas adparet;
Non [50]) me Lucrina [51]) juverint conchylia,
Magisve rhombus [52]), aut scari [53]),

rum curet, quae ei convenit, hoc est: rei domesticae, educandisque liberis prospiciat, interim dum vir laborat foris.

43) Appularum, maximeque Sabinarum mulierum castitas, frugalitas, laborumque tolerantia passim veteribus laudata, exemploque proposita, quoniam in his populis diutius vigeret antiqua disciplinae domesticae severitas.

44) Perusta solibus: nigra ob sudorem collectum ruri, dum opus facit sub dio.

45) Pernicis, id est, velocis, agilis, strenui Appuli.

46) Sacrum focum, pro, ignem, sacrum Vestae, vel Diis penatibus, quorum statuae circa focum erant positae, exstruat e lignis vetustis seu aridis, paullo antequam vir domum labore fatigatus redeat; hunc ignem autem balneo, quo virum fessum recreet, faciendo ab uxore ejus excitari puta.

47) Textis cratibus e vimine, id est, septis vimineis claudens pecus, laetum adspectu, seu pingue; ejus ubera siccet seu mulgeat.

48) Vina horna, seu, ejusdem anni. Scilicet veteres mustum in dolia defundebant, ut ibi defervesceret et liquesceret, unde statim homines tenuiores bibere solebant; quum lautiorum palatum vina in amphoras diffusa, atque in apothecis recondita, utpote limpidiora atque vetustate ac fumo amariora, praeferret. Hinc dolium dulce, quod vina horna, novella continet, musti adhuc servantia dulcedinem. Designatur ergo hic simplicitas vitae rusticae.

49) Dapes inemtas; cibos natos domi, non comparatos pecunia.

50) Sensus: omnes facile cupedias hisce posthabuerim, multo magis delectarer coenae agrestis frugalitate ac simplicitate, quam mensae urbanae deliciis; pro hoc utriusque adparatus recensum subjungit poëta. Lautiorum dapes instruxit conchyliis, pretiosisque piscibus, rhombo et scaro, tum et avibus transmarinis, quae in triclinium ganearium introierunt, gallina numidica et attagene.

51) E conchyliis, seu, ostreis adposuit Lucrina, e lacu Lucrino, qui est in sinu Bajano, arcessita, prae ceteris cupide expetita, atque optimi saporis habita.

52) Rhombus, Butte, e nobilioribus piscibus, a magnitudine maxime commendatus.

53) Scarus, Meerbramse, etiam magnus piscis.

Si quos [54]) Eois intonata fluctibus
Hiems ad hoc vertat mare:
Non Afra [55]) avis descendat in ventrem meum,
Non attagen [56]) Jonicus
Jucundior [57]), quam lecta de pinguissimis
Oliva ramis arborum;
Aut herba lapathi [58]) prata amantis, et gravi [59])
Malvae salubres corpori;
Vel agna [60]) festis caesa Terminalibus [61]),
Vel haedus [62]) ereptus lupo.
Has [63]) inter epulas, ut juvat pastas oves
Videre properantes domum!
Videre fessos vomerem inversum boves
Collo trahentes languido!
Positosque [64]) vernas, ditis examen [65]) domus,
Circum renidentes [66]) Lares!

54) Si quos scaros hiems seu procella intonata, id est, cum fragore, tonitru ingruens Eois fluctibus, seu, pelago orientali, vertat, impellat, se recipere ad mare Italicum cogat. Nempe scarus in Asiae Graeciaeque litoribus frequentissimus erat, nec inde in mare Tyrrhenum subibat, nisi tempestate propulsus.

55) Afra avis, Gallina Numidica, Truthahn.

56) Attagen Jonicus; quidam gallinam silvestrem Asiaticam, quidam perdicem esse volunt. Ex Jonia, Asiae provincia, advectus.

57) Jucundior, pro jucundius descendat, id est, non sit jucundior mihi, quam etc.

58) Lapathum, sive rumex, Sauerampfer, herba salubris.

59) Grave corpus; affectum morbo gravi, corpus obstructionibus laborans.

60) Frugalitatem rusticam vel in adparatu epularum paullo lautiori servatam praeclare adjecta ostendunt, quibus raro admodum, ac nonnisi festis diebus rusticum indulgere ait, in quo pietatis rusticae rationem habitam videas.

61) Terminalia erant festa Dei Termini, qui limitibus agrorum praesidebat, celebrabantur 9. Cal. Martias.

62) Haedus ereptus lupo, ideo ad vescendum adpositus, quia, cum periisse domino putaretur, recuperatus est, praeter spem. Adeoque alia frugalitatis notio.

63) Sequitur solennis vespertini temporis descriptio. Nexus sententiarum: et si inter has frugales epulas advesperascit, quam amoenum est tunc videre etc.

64) Vernas positos, id est, servos discumbentes circa Lares, ambientes focum, epulisque indulgentes.

65) Ditis examen domus, vernarum examen seu copia, turbae; opulentiae rusticae argumentum.

66) Renidentes, refulgentes a foco luculento; ad hunc enim positas fuisse Larium incunculas, satis constat.

Haec [67]) ubi loquutus foenerator Alphius,
Jamjam futurus rusticus,
Omnem redegit Idibus pecuniam;
Quaerit Calendis ponere.

Ode III.

Ad Maecenatem.

Argumentum et occasio.

Quum Horatius, coenae a Maecenate adhibitus, allium seu potius moretum, edulii rustici genus, serpyllo, aliisque acribus herbis, maxime allio confectum, atque inter exquisitiores dapes per jocum a Maecenate mensae adpositum, degustasset, tetrosque illud stomachi cruciatus cieret; percitus atque commotus inde, quo scilicet dignam ei gratiam rependeret, omne bilis suae virus in pestem istam hoc carmine evomit, illudque dirissimis venenis aequiparat.

Metrum idem.

Parentis [1]) olim [2]) si quis impia manu
Senile guttur fregerit,

67) Alphius ista secum loquutus, reputansque vitae istius commoda, certus jam rus commigrare, omnem pecuniam, in foenore collocatam, redegit Idibus, hoc est, edixit debitoribus, quum Idus essent, pecuniam seu sortem cum usuris Calendis pernumerandam; eandem tamen, quum eae advenissent, iterum ponit foenori, abjecto rusticandi consilio. Ex hoc loco concludere licet: Capitis seu pecuniae in foenore positae solutionem Calendis faciendam, Idibus indici solitam fuisse. Ostendit porro poëta, quam brevi tempore poenituerit hominem boni consilii; qui, pauculis diebus interjectis, sententiam mutaverit, et quaesierit calendis, sive initio sequentis mensis, ponere, hoc est, rursum locare foenori, redactam ante dies 15, nempe Idibus, pecuniam.

1) Allium nulli venenorum generi secundum ostensurus poëta, primo cicutae comparat, eique adeo anteponit. Jam pro generali: si quis scelus, capitali animadversione dignum, commiserit, huic allii edendi poena statuitor, cicuta quippe efficacioris, speciem sceleris, idque, quo atrociori poenae locus esset, imanissimi parricidii, posuit.

2) Olim, posthac, aliquando.

Edat cicutis allium nocentius.
O dura [3]) messorum ilia!
Quid [4]) hoc veneni saevit in praecordiis?
Num viperinus hic cruor
Incoctus [5]) herbis me fefellit? an [6]) malas
Canidia tractavit dapes?
Ut [7]) Argonautas [8]) praeter omnes candidum
Medēa mirata est ducem,
Ignota [9]) tauris illigaturum juga,
Perunxit hoc [10]) Jasonem:
Hoc [11]) delibutis ultā donis pellicem,
Serpente fugit alite.

3) Quam dura, fortia, robusta, credere par est, messorum esse ilia, intestina, quibus nihil inde noxi inferatur, quae allio minime laedantur. Allium enim, cum aliis herbis contritum, consuetum messorum edulium erat.

4) Quid hoc veneni est, quod hoc venenum dicas, quod adeo saevit, tantos cruciatus ciet in praecordiis, mea viscera adeo torquet?

5) Num venenum incoctum, immixtum fuit herbis, quod me falleret, lateret; pro: num forte veneno herbae istae infectae sunt? pro veneno speciatim est cruor viperae, in acutissimis olim venenis habitus.

6) Ex adfusi veneni suspicione eo statim defertur poëta, ut hoc scelus a Canidia, venefica, designatum dicat. An malas, noxias, veneno infectas dapes adparavit?

7) Sensus: neque Medeam alio veneno usam esse crediderim. Ut, seu, postquam unum prae ceteris Argonautis amavit, ducem Jasonem.

8) Jason, Thessaliae regis ex fratre nepos, cum audisset apud Colchos servari vellus aureum; id ut raperet, Argo navi conscensa cum lecta juvenum sociorum, Argonautarum, manu, eo pervenit. Aeeta, rex Colchorum, advenas benevole in speciem accepit, sed fraude usus, Jasoni promisit aureum vellus, si tamen prius quaedam ipse fecisset difficilia, nominatimque, si ignivomos tauros Marti sacros, qui aureum vellus custodiebant, jugo subderet. Aeetae filia Medea, Jasonis amore capta, ut eum morte liberaret, quam tauros ipsi certo illaturos sciebat, magicis illum quibusdam succis perunxit; quo beneficio provocatus Jason, Medeam, sibi matrimonio junctam, e paterna domo abduxit Corinthum, ubi a Creonte rege per annos decem humanissime habitus, ita amavit Crēusam, ejus filiam, ut Medeam respueret. Sed illa injuriam non ferens, et tamen dissimulans, dona nuptialia Creusae misit, quibus acceptis non tantum Creusa, sed cum ea Creontis patris tota regia incensa est; ipsa interim Medea per alatum Draconem alio volante. Vide L. IV. od. 3. not. 60. et Myth.

9) Juga, quae nondum experti essent tauri, et quibus illigaret seu injungeret eos Jason.

10) Hoc allii succo inunxit Jasonem.

11) Hoc eodem allii succo eadem inunxit dona nuptialia pellicis Jasonis, seu Creusae, et dein serpente alite, curru alatis serpentibus seu draconibus juncto, Athenas petiit.

Nec [12]) tantus unquam siderum insedit vapor
Siticulosae Apuliae:
Nec [13]) munus humeris efficacis [14]) Herculis [15])
Inarsit aestuosius.

Ode IV.

Ad Menam.

Occasio et argumentum.

Ex ipso carmine discimus, hominem, ad quem illud carmen directum est, fuisse natum servili genere, quod flagitiosissimae insuper vitae inquinasset labe, mox, ubi maximas divitias, tribunique militaris dignitatem adeptus fuisset, insolentissimum mortalium factum esse. Illum autem Cn. Pompeji libertum fuisse, ut quidam opinantur, historice certum non est. Argumentum totius carminis insectatione in hunc insolentem hominem Menam absolvitur.

Metrum idem.

Lupis [1]), et agnis quanta sortito [2]) obtigit,
Tecum mihi discordia est,
Ibericis [3]) peruste funibus latus,

12) Nec vapor, fervor, aestus siderum, id est, Sirii ortu excitatus, tantus insedit Apuliae siticulosae, aridae; nec tantus aestus unquam per Apuliam fuit, quanto viscera torquentur.

13) Nec munus, seu vestis, Nessi cruore tincta, humeris Herculis aestuosius magis, majori cum vehementia inarsit, artus ejus invasit etc.

14) Efficacis, strenui, impigri, invicti.

15) Nessus Centaurus Dejaniram, Herculis uxorem, abripere cum vellet, eum Hercules sagittis interemit; ille, ne inultus periret, vestem suo sanguine, qui praesentissimi veneni erat instar, imbutam Dejanirae dat; quasi valeret hoc munus ad Herculis amorem ita Dejanirae adjungendum, ut nunquam aliam amaturus esset. Vix induerat pallam hanc Hercules, cum toto corpore deflagrare coepit, quo igne paullo post exstinctus est.

---

1) Sententia vulgaris: quam discordes natura lupi et agni sunt, tanto tui flagro odio.

2) Sortito: fatali necessitate, natura. Quippe certas propensiones animalia singula nascendo sortiuntur. Adde, quod sors ponitur saepe pro fato, et certa rerum constitutione, quae a nobis non pendet. Referendum hoc est ad naturale luporum et ovium odium.

3) Non solum quod servus fuerit Mena, ei exprobrat, sed etiam, quod

Et [4]) crura dura compede.
Licet [5]) superbus ambules pecunia,
Fortuna [6]) non mutat genus.
Videsne, sacram [7]) metiente te viam
Cum [8]) bis ter ulnarum toga,
Ut ora [9]) vertat huc, et huc euntium
Liberrima indignatio?
Sectus [10]) flagellis hic Triumviralibus [11]),
Praeconis [12]) ad fastidium,

nequam: et hoc poenis servilibus, quas perpessus sit, innuit. Peruste latus, id est, cujus tergum funibus seu loris perustum est, laceratum, notatum; in cujus tergo adhuc servilium flagrorum signa conspicua sunt. Ibericis funibus: quia spartum optimum, ex quo fiebant funes, ab Hispania petebatur. Vel quia Mena fuerat Ibericum mancipium.

4) Et crura perusta, attrita dura, ferrea compede. Servum ex ergastulo designat, qui opus in compedibus faceret, adeoque infimae sortis mancipium.

5) Licet ambules, magnifico gradu te inferas, incedas; sis superbus pecunia; divitiis efferaris.

6) Fortuna, opes, et quos hae largiuntur, honores non delent, abolent generis ignobilitatem; illud efficere nequeunt, ut sordidos natales tuos, conditionem tuam pristinam illustrem reddant.

7) Metiente te, id est: cum gradu magnifico, atque ad gravitatem composito incedis per Viam sacram, pro, prodis in publicum. Sacra via dicta ita a maximo Romae templo, nempe Jovis Capitolini, quo ducebat; item a sacris supplicationibus et triumphis, qui per eam in Capitolium deducebantur.

8) Toga indutus 6 ulnas ampla, quae divitum ac delicatulorum hominum erat. Vide Antiquitates.

9) Ut omnes huc et huc euntes, id est, praetereuntes ora in te vertant, te oculis, manu etc. signent, neque dissimulate, sed aperte indignationem suam prae se ferant, et dicant: sectus flagellis etc.

10) Sententia vulgaris: hic, inquit praetereuntium turba, servorum quondam nequissimus, summaque ideo ignominia notatus, jam vero in summa opum affluentia constitutus, et tribunus militum factus, vide ut insolentius se effert, ut luxu diffluit.

11) Pristinam ejus nequitiam atque ignominiam declarant flagella Triumviralia, hoc est, flagra a Triumviris rerum capitalium tergo ejus inflicta. Triumviri enim capitales, tres erant judices, qui judicia de servis et libertis exercebant: praetor autem cognoscebat de criminibus civium alicujus nominis et loci. Vide Antiquitates.

12) Ad poenae atrocitatem designandam spectat, sectus, hoc est, plane concisus, laceratus flagris; et ad ejus diuturnitatem ac frequentiam designandam: praeconis ad fastidium, hoc est, eo usque caesus, ut praeco clamando defetisceretur, vox eum deficeret. Cum enim aliquis publice poenam luebat, addebatur praeco, qui supplicii causam ediceret, ceterosque

Arat [13]) Falerni mille fundi jugera,
Et Appiam mannis [14]) terit;
Sedilibusque magnus in primis eques,
Othone [15]) contemto, sedet.
Quid attinet [16]), tot ora [17]) navium gravi
Rostrata duci pondere
Contra latrones, atque servilem manum,
Hoc, hoc tribuno militum [18]) ?

admoneret. Tam saepe igitur Mena sectus flagellis publice fuerat, ut praeconem delassasset.

13) Arat: possidet fundum mille jugerum, ampla latifundia in Campania, fertilissimo et amoenissimo Italiae tractu.

14) Manni sunt equi Gallici, paullo brevioris staturae, beatioribus Romanis, ob velocitatem ipsorum in deliciis habiti. Appiam viam terit, id est, iter voluptuarium instituit in suum praedium Falernum. Huic viae Appius, qui postea caecus est adpellatus, nomen dedit, quod eam lapide stravisset.

15) L. Roscius Otho a. u. 686 legem tulerat, ne quis in amphitheatro, ubi spectabantur ludi, in 14 ordinibus, orchestrae proximis, sederet, nisi qui eques esset, aut equestrem censum, quadringenta sestertium, haberet, atque ideo in istum ordinem adscriptus esset. Parem equitibus dignitatem tribuni habebant, quibus adeo in istis gradibus sedendi jus erat. Othonem igitur contemnebat ille, hoc est, non metuenda ipsi erat lex Othonis theatralis, audacter invadebat istos gradus, cujus divitiae equestrem censum longe superarent, et qui tribunus militum equestri dignitate gauderet.

16) Quid attinet, quid commodi inde in rempublicam retundare poterit, si classi, quam adversus piratas atque collectam servorum fugitivorum manum paramus, homo hic praeficiatur, qui ipse piraticam exercuerit vitam, servusque fuerit? Spectat ista Octaviani expeditio, magna mole adparata, ad a. u. 716, quo Sextum Pompejum, qui infelicis belli reliquias armatis ergastulis, contractisque piratis adauxerat, persequendum opprimendumque statuit.

17) Ora gravi pondere rostrata, naves bellicas designant, hoc est, ora rostris gravis ponderis, aeratis instructa.

18) Mena ille seu Mendorus, ad quem multi hanc oden directam esse putant, erat Sexti Pompeji libertus ditissimus et audacissimus, qui cum parte classis defecit ad Caesarem; sequenti anno rediit ad Pompejum, ac paucis post mensibus iterum Caesari se adjunxit. An autem non timendum fuerit Horatio, ne gratia Augusti excideret, si hunc Menam, cujus proditionis fructus non parvi in illum redundaverant, tam vehementer insectatus fuisset? vix negaveris.

Ode V.

In Canidiam Veneficam.

Argumentum.

Canidia puella fuisse videtur, moribus dissolutis praedita, gravissimamque inde Horatio bilem in se commovisse. Quo acriores igitur contumeliarum, quibus insequendam eam statuisset, aculei essent, rumore, qui forte de magicis Canidiae conatibus increbuerat, in rem suam verso, flagitiosissimi, quod aliquando per magicas artes patratum innotuerat, eam insimulat sceleris, in puero ingenuo, ab ista subrepto atque crudelissima morte adfecto, designati. Quod, quo majorem haberet veritatis speciem, operis administras ei adjungit veneficas, per universam Italiam, maxime Neapolin, artis suae exercitio famigeratissimas, Saganam, Vejam, Foliam. Inducitur puer obtestans Canidiam, a qua truci se vultu defigi animadvertebat, ne male quid, quod quidem animus ejus inde augurabatur, in se statuat; quas tamen illa preces aspernata, vestes ei ceteraque ingenuitatis ornamenta deripit, scrobique mento tenus indit, ut desiderio cibi saepius mutati contabesceret. Inter haec parantur omnia, quae ad rem magicam pertinent; accenditur ignis, eique cumulate imponuntur, quae Varum, de quo laborabat, attractura putarentur, lustratur domus, instructisque rite omnibus Canidia incantationem peragit, sed frustra: hinc ad philtrum ex arefacto jecinore ac medulla pueri parandum, utpote ceteris efficacius, accingitur. Sequuntur dirae pueri, atrocissima mala scelestis istis veneficis imprecantis.

Metrum idem.

At [1]), o Deorum quisquis in caelo regis,
Terras et humanum genus!
Quid iste fert [2]) tumultus? et quid omnium
Vultus in unum me truces?

1) In summam statim exspectationem adducit lectorem abruptum orationis initium, quo aestum pueri, rei novitate perculsi, et ex sagarum, per domum tumultuantium, in se converso vultu dirissima quaeque sibi augurantis, explicat, ac plane repraesentat poëta. Incipit ab exclamatione pueri in summo ejus timore ac stupore.

2) Fert: o Dii immortales! quid sibi vult iste tumultus? ista discursatio; ista intentior adparatio?

Per [3]) liberos te, si vocata partubus
Lucina [4]) veris adfuit,
Per hoc inane purpurae [5]) decus, precor,
Per improbaturum haec Jovem,
Quid ut noverca me intueris, aut uti
Petita [6]) ferro bellua?
Ut [7]) haec tremente questus ore constitit
Insignibus [8]) raptis puer,
Impube corpus, quale posset impia [9])
Mollire Thracum pectora;
Canidia [10]) brevibus implicata viperis
Crines et incomtum caput,
Jubet sepulchris caprificos [11]) erutas,

3) Quum apud veteres obsecratio fieret per res, quas scirent alteri esse carissimas, aut omnino sanctas, utrinsque rationem habuit poëta, quo efficaciores pueri preces forent ad Canidiam.

4) Lucina Juno invocabatur a parturientibus, ac proinde sensus est: si vere peperisti, non subripuisti, quos habes, liberos. Saepius enim veneficae illae simulabant partum, ut infantuli, quos ad veneficia domi enutriebant, aliunde abreptos, ab iis editi putarentur, et ne Censores, aut vicini requirerent, unde essent illi pueri. Jam dubitanter de Canidiae liberis, per quos obtestantem inducit puerum, poëta pronunciando, subreptique adeo partus eam insimulando, quamquam omnem precum vim perverti probe intelligeret, sugillandi tamen lacerandique eam, vel hanc datam occasionem arripuit, ut evidentissime ostenderet, Canidiae sibi omnibus probris atque contumeliis proscindendae, primarium fuisse carminis consilium; reliqua vero, quae proposito isti substerneret, secundarum partium.

5) Purpurae decus: togam, praetextam purpura, significat, hoc est, limbo purpureo insignem, quam pueri ferebant usque ad annum 17, quo sumebant virilem. Vocat inanem et inutilem, quia, quamvis esset nobilitatis, et innoxiae aetatis nota, imo et custos, ipsum tamen a veneficarum immanitate non servasset.

6) Petita ferro: ferae a venatoribus ictae, percussae saeviunt.

7) Ut haec tremente questus ore; sensus: vix dum haec effatus est; eo ipso momento constitit insignibus raptis, derepta ei praetexta erat; nudus stetit puer; impube corpus, per adpositionem, pro, puer impubes; qualis, aut qui vel impios Thracas ad misericordiam perduxisset.

8) Insignia, id est, praetexta cum bulla, collo adpendi solita, quam Cicero quoque ornamentum pueritiae, indicium atque insigne fortunae adpellat.

9) Impii, saevi, immites Thraces.

10) Progreditur jam poëta ad ipsam sacri magici adparationem. Quo foedior autem Canidiae adspectus esset, implicata est crines, id est, implicatos habet crines viperis brevibus, tantoque magis venenosis, et incomtum caput, seu horridos crines.

11) Ex adparatu magico poëta primo loco ponit ligna infelicia, quibus

Jubet cupressos [12]) funebres,
Et uncta [13]) turpis ova ranae sanguine,
Plumamque nocturnae strigis [14]),
Herbasque, quas Jolcos [15]) atque Iberia [16])
Mittit, venenorum ferax,
Et ossa [17]) ab ore rapta jejunae canis,
Flammis [18]) aduri Colchicis.
At [19]) expedita [20]) Sagana per totam domum
Spargens Avernales aquas,
Horret capillis, ut marinus, asperis,

ignis excitetur, alaturque. Caprificos, seu ficus silvestres, sepulcris erutas, iis innatas; quarum solus in sacris infernalibus, qualia erant magica, usus erat. Efficaces eae habitae, quod vi sua monumenta finderent ac convellerent. Infaustis arboribus adnumerabantur propter sterilitatem suam, tum quod e sepulcris sponte provenirent.

12) Cupressus funebres: funeribus adhibitas, et tumulo imponi solitas.

13) Ordo est: et ova, et plumam strigis, uncta, mixta, contrita cum sanguine turpis ranae. Ranae sunt illae terrestres, in quarum sanguine, ut in viperae, venenum contineri creditum, et quae a veneficis maxime adhibebantur.

14) Strix est avis nocturna, et mali ominis, sic dicta, quod per tenebras strideat.

15) Jolcos, civitas Thessaliae. Erat autem omnis Thessalia sagis et veneficis infamis.

16) Iberia, regio prope Pontum Euxinum in Asia non procul a Colchide. In ambabus regionibus herbae venenosae frequentes crescebant, quibus etiam Medea usa est.

17) Jejunae canis: salivae animalium jejunorum, maxime canum, ajunt inesse virus quoddam, quo imbuatur, si quid ore tum attrectaverit.

18) Sensus: medicamina haec bene trita atque commixta imponi flammis jubet, eo ritu paratis, et accensis, quo magi solent, quo Medea solita olim erat apud Colchos, ubi artem magicam exercebat, quibus flammis adurantur.

19) At Sagana, Veja et Folia, operis administrae, promtissimo animo, partes suas exsequuntur, sed has speciatim statim adnumerat poëta. Ad ritus magicos pertinebat etiam lustratio, quae hoc loco aqua avernali, hoc est, quae Acheronticam repraesentabat, absolvitur. Avernus est lacus in Campania, per quem iter patere ad inferos credebant, ob aquae graveolentiam; hujus aquas placandis inferorum Diis adeo putabant necessarias, ut si deessent verae, id est, ex ipso lacu sumtae, adhiberentur simulatae, solo nomine Avernales.

20) Sagana expedita, alacri cum studio, nihil cunctata horret, seu horrida est aspectu, asperis capillis, subrectis; ut echinus marinus setas et pilos instar jaculorum erigit. Est et echinus terrestris, sed pilos obtusiores quam marinus, habet, vulgoque erinaceus vocatur.

Echinus, aut currens [21]) aper.
Abacta [22]) nulla Veja conscientia,
Ligonibus [23]) duris humum
Exhauriebat, ingemens laboribus;
Quo [24]) posset infossus puer
Longo [26]) die bis terque mutatae dapis
Inemori [25]) spectaculo;
Quum promineret [27]) ore, quantum exstant aqua
Suspensa mento corpora;
Exsucta [28]) uti medulla, et aridum jecur
Amoris esset poculum;
Interminato [29]) quum semel fixae cibo
Intabuissent pupulae.
Non [30]) defuisse masculae [31]) libidinis

21) Aper currens, a canibus latibulo exagitatus, atque in venatores objectos incurrens.

22) Sensus: Veja scrobem fodit, cui puer indatur. Abacta nulla conscientia: tantum abfuit, ut ab opere tam inhumano, sceleris, cui illam pararet, conscientia absterreretur, ut potius ingemeret, insudaret labori, summis viribus ad maturandum opus incumberet, impigre ei sese accingeret.

23) Ligonibus humum exhauriebat, scrobem effodiebat. Duris; naturali ferri epitheto.

24) Quo defoderetur puer, ut dapis bis terque mutatae spectaculo inemori posset, hoc est, ut dapum exquisitissimarum, quae adponerentur, ac per momenta, acuendae cupiditatis ejus causa, cum aliis permutarentur, desiderio lente conficeretur, miserrimaque morte periret.

25) Inemori spectaculo dapis, pro, mori defixis in dapes oculis; spectando dapes enecari.

26) Die longo, qui puero fame excruciato longissimus videbatur.

27) Promineret, exstaret e fossa, quantum natantes ex aqua, qui mento tenus sub ea sunt, seque sic suspensos, et mento tenus exstantes sustinent.

28) Breviter, pro, ut exsugeretur medulla et jecur, arefieret fame ac siti; et serviret conficiendo poculo, et veneficio, ad amorem excitandum. Ut fieret amoris poculum e medulla et jecinore, tamquam amoris sede.

29) Interminato: vetito, prohibito, a verbo, interminari, id est, vetare, interdicere. Ordo est: cum semel; id est, postquam pupulae, hoc est, pupillae (sive oculi) fixae cibo, defixae in cibo interdicto contabuissent; postquam puer periisset fame ac desiderio cibi, saepius oblati, ast semper negati.

30) Ex rumore tantum, qui Neapoli ejusque vicinia percrebuerit, poëta ponit, Foliam detestando huic sacro magico interfuisse, in quo summa amaritudo est. Inde enim colligendum dat, Foliam maxima apud Neapolitanos maleficiorum, quae per artis suae exercitium ibi fecisset, infamia notatam perustamque fuisse, adeo quidem, ut facile in animum inducerent, eidem in execrando hoc facinore partes suas fuisse.

Ariminensem [32]) Foliam,
Et otiosa [33]) credidit Neapolis,
Et omne vicinum oppidum:
Quae [34]) sidera excantata voce Thessala,
Lunamque caelo deripit.
Hic [35]) irresectum saeva [36]) dente livido
Canidia rodens pollicem,
Quid [37]) dixit? aut quid tacuit? O rebus [38]) meis
Non infideles arbitrae [39]),
Nox, et Diana [40]), quae silentium regis,
Arcana [41]) cum fiunt sacra,
Nunc, nunc adeste, nunc [42]) in hostiles domos
Iram atque numen vertite.
Formidolosae [43]) dum latent silvis ferae,
Dulci sopore languidae,
Senem, quod omnes rideant, adulterum

31) Masculae libidinis, id est: supra morem feminarum libidinosam, ad flagitia audaciorem ipsis viris. Est autem hic ita dictus genitivus proprietatis.

32) Ariminensem: oriundam Arimino, urbe Italiae, ad sinum Adriaticum. Rimini hodie.

33) Otiosa Neapolis, quo secedere solebant Romani, amoenitate regionis invitati.

34) Sensus: folia potentissima pharmaceutria. Pro hoc, declarandae ejus potentiae causa: quae lunam et sidera excantata, certis incantationibus vexata, et labefactata voce Thessala, id est, magica, caelo deripit, hoc est, in terram deducit, detrahit.

35) Hic, rebus omnibus rite praeparatis, Canidia incantationem peragit. Habitum animi ejus, ira atque indignatione aestuantis, praeclare exprimunt adjecta: ungues irresectos admordens dente livido, nigro; quod simul etiam causam furoris indicat, ex zelotypia excitati.

36) Saeva, furibunda, animi impotens; atrocia meditans.

37) Quid dixit etc. pro: fanda et nefanda, hoc est, horrenda, atrocia eloquuta est; carmen dirum, incantationem exorsa est.

38) Noctem et Dianam invocat, utpote sacri nocturni praesides.

39) Arbitrae: testes, praesentes adpellat rebus suis, quae moliatur; non infideles, id est, quae fidem praestent in tacendis, quae videant.

40) Diana, quae silentium regis, qua Luna, dum per noctem, cujus proprium est silentium, luces, adpares.

41) Arcana cum fiunt sacra, id est, quo tempore sacris magicis, operamur.

42) Sensus: mihi propitiae sitis, ira vestra in hostem ablegata meum, Varum nempe, a quo spernor, qui mea veneficia ridet securus, et potentiori venefica fretus. Hoc est: in Varum iram vestram effundite.

43) Agedum, efficite formidolosae, seu formidandae, ut senex ille adulter, infidelis Varus, nardo perunctus, seu unguentatus, quo importuna ejus libido palam fiat et derideatur, canum latratu iterum ad me agatur, dum ferae silvis latent etc. id est, nocte.

Latrent Suburranae [44]) canes,
Nardo perunctum, quale [45]) non perfectius
Meae laborarint manus. —
Quid [46]) accidit? cur dira barbarae minus
Venena Medeae valent,
Quibus superbam fugit ulta pellicem
Magni Creontis filiam,
Quum palla [47]), tabo munus imbutum, novam
Incendio nuptam abstulit?
Atqui [48]) nec herba, nec latens in asperis
Radix fefellit me locis.
Indormit [49]) unctis omnium cubilibus
Oblivione pellicum. —

44) Suburra, Romae regio, in qua plurimae meretrices habitabant.

45) Quale unguentum, seu nardum melius, perfectius meae manus nunquam laboraverint, confecerint, adeoque, nardum perfectissimum, exquisitissimum.

46) Ante hunc versum Canidia incantationem, qua Varum ad se revocare conabatur, sistere, Varique adventum exspectare putanda est: quae, ubi longe secus, quam ab venenorum efficacia sperari poterat, rem procedere animadvertit, de fraude alius veneficae, cui Varus obnoxius esset, nonnihil suspicata, ad majorem incantationem accingitur, quam nulla opposita vis magica infringat, ac destruat. Quid accidit? quid causae est, cur praesentissima venena efficaciam suam in Varo perdiderint? Varum non arcessant? cur mea venena minus valent, dira efficacissima, quam Medeae barbarae? Hic respicit ad effectus, quos dirissimos in Creusa habuere, Creontis filia. Venena sua Medeae vocat, hoc est, Medeae venenis aequipollentia. Vide hujus L. od. 3. not. 8.

47) Palla, vestis longo syrmate, veneno munus imbutum, pro: palla, quam novae nuptae dono misisset, veneno infecta, incendio eam abstulit, consumsit; conflagravit, ea induta, Creusa.

48) Sensus vulgaris: atqui nullum in velocissimis venenis conquirendis laborem defugi, omnia tentavi. Me non fefellit, non fugit, rimata sum herbas ac radices in locis asperis, inter rupes latentes, nascentes; in his enim virtus praecipua latere credebatur.

49) Sententia esse videtur: neque tamen quidquam promoveo, mei ille plane oblitus est. Indormit pellicum cubilibus, hoc est, detinetur aliarum feminarum amoribus, mei prorsus immemor. Dormit in cubilibus omnium aliarum pellicum, unctis et circumlinitis aliquo succo inducente et afferente oblivionem mei, ob carmen seu incantationem alicujus veneficae potentioris, quam ipsa sim. Illud, omnium, ergo generatim accipiendum erit, quasi dicat: omnium aliarum feminarum cubilia perambulat, illarum amore flagrat, me neglecta, mei solius oblitus.

Ah [50])! Ah! solutus [51]) ambulat veneficae
Scientioris carmine.
Non [52]) usitatis, Vare, potionibus [53]),
O multa [54]) fleturum caput!
Ad me recurres: nec [55]) vocata mens tua
Marsis [56]) redibit vocibus.
Majus [57]) parabo, majus infundam tibi
Fastidienti [58]) poculum:
Priusque [59]) caelum sidet [60]) inferius mari,
Tellure porrecta super;
Quam [61]) non amore sic meo flagres, uti
Bitumen atris ignibus.

---

50) Etiam haec, interposita aliqua mora, subjici putanda sunt a Canidia, impedimenti causam acquirente; quam animo subito objectam τῷ ah! ah! declarat poëta.

51) Solutus ambulat, pro: solutus est ab effectu meae incantationis; veneficia mea repelluntur, ipsorum vim retundit carmen seu incantatio efficacior veneficae cujuspiam scientioris, quae se peritiorem jactat; gravior incantatio Varum tutum praestat a mea, qua hactenus usus sum.

52) Sensus: igitur potentiore incantatione opus esse intelligo, qua istam destructum iri, Varumque mihi obsequentissimum fore certa sim.

53) Potionibus: nempe confectis e medulla et jecure hujus pueri. Potentiore ergo incantationis genere efficiam, ut ad me redeas.

54) O multa etc. Quam graves mihi poenas dabis! Qui quidem potione misere excruciaberis, ita, ut defleturus sis tuam perfidiam.

55) Nec vocata etc. Adeo quidem, ut, ubi semel ad me recurreris, mens tua, tu, quamquam voceris, avoceris a me Marsis vocibus; quamquam te iterum saga quaepiam a me alienare, carmine exsolvere cupiat, non rediturus sis; ut nulla iterum a meo te amore saga expeditura sit.

56) Marsi artem magicam callere dicebantur; erant Italiae populi. Turnebus, et alii hunc locum etiam ita explicant: non adhibebo solennes Marsorum incantationes, ut te vocem, ac redire ad me cogam; majus et potentius veneficium parabo.

57) Majus poculum; majoris efficaciae infundam, miscebo, temperabo tibi poculum.

58) Fastidienti; tibi, qui me aspernaris.

59) Sensus: priusque omnis rerum per naturam ordo confundetur, adeo quidem, ut, quod ex naturae legibus effici nequit, levissima imum, gravissima contra summum locum occupent; quam non etc.

60) Sidet: subsidet, descendet infra terras ac mare, ita ut terra super caelum et mare porrigatur, attollatur, et ita omnia confundantur.

61) Sensus: nisi amore meo sic flagres, mei desiderio ita incendaris, consumaris; uti bitumen atris his ignibus; bituminis enim usus in his sacris notus e Virg. ecl. 8. v. 82. idque propter spissum fumum, quem id egerit; ideo etiam additum est epithetum, atris.

Sub [62]) haec puer, jam non, ut ante, mollibus
Lenire verbis impias;
Sed dubius, unde [63]) rumperet silentium,
Misit Thyesteas [64]) preces [65]):
Venena [66]) magnum fas nefasque, non valent
Convertere humanam [67]) vicem.
Diris [68]) agam vos: dira detestatio
Nulla expiatur victima.
Quin [69]), ubi perire jussus exspiravero,
Nocturnus occurram Furor [70]),
Petamque [71]) vultus umbra curvis unguibus,
Quae [72]) vis Deorum est Manium;

---

62) Inter funestum hunc adparatum furoremque Canidiae, ultima experiri statuentis, puer, salutis spem prorsus decollatam, seque ad extremas lineas admotum animadvertens, ne sua mors impune Canidiae esset, jam ad imprecationes, quae sola miseri sui fati reliqua videbat solatia, convertitur, quas quidem imbecillis, adversus atroces fortioris injurias, munimentum esse volebat prisca religio, Diis ultionem demandando, quam ipsi obtinere haud possent. Post hanc orationem Canidiae, coepit ille non amplius lenibus verbis eas mollire etc.

63) Unde loquendi initium faceret dubius, prae ira nescius.

64) Thyesteas; diras, plenas imprecationis et furoris; quales misit Thyestes, cum filium illi suum epulandum frater Atreus adposuisset.

65) Mittere preces: execrationes edicere, devovere.

66) Venena seu veneficia valent, hoc est, incantationes hoc quidem efficere possunt, ut fas nefasque convertant, commutent, commisceant; atrocissima quidem facinora patrare possunt: non item humanam vicem convertere, immutare possunt, ita, ut ultionem seu vindictam istorum scelerum effugiant.

67) Vices humanae: poenae, quibus homines obnoxii sunt, quae fato, seu divinitus constitutae sunt in homines improbos.

68) Diris imprecationibus agam, persequar vos, quae imprecationes vim suam retinent; neque ullo sacrificio expiantur, id est, impediuntur, quo minus valeant. Haec enim opinio de imprecationibus, ex animo factis, veteribus fuit.

69) Quin; neque his contentus, exsatiatus, ipse, ubi exspiravero animam, perire jussus, id est, cujus quidem necis miserandae vos auctores estis; adeoque post mortem omnibus vos excruciabo modis, poenas a vobis exigam. Has speciatim adnumerat poëta, revocatis ad furiarum ministeria coloribus.

70) Furor; instar furiae nocturnae vobis occurram, vos vexabo.

71) Petam: involabo in vultus vestros, eosque dilacerabo unguibus.

72) Quae vis etc. qua potestate gaudent Manes, scilicet, ut insectentur eos, a quibus peremti fuerint. Dii Manes saepe sumuntur pro mortuis, et mortuorum animabus.

Et inquietis [73]) adsidens praecordiis,
Pavore somnos auferam.
Vos [74]) turba vicatim hinc et hinc saxis petens
Contundet obscoenas anus.
Post [75]) insepulta membra different lupi,
Et Esquilinae alites [76]);
Neque [77]) hoc parentes, heu mihi superstites!
Effugerit spectaculum.

Ode VI.

In Cassium Severum.

Argumentum.

Invehitur Horatius hoc carmine in hominem qui integrae famae homines, maximeque eos, a quibus nihil sibi periculi metuendum esset, maledictis laceraret, quique ostenso aliquo lucello seu lucro, statim obmutesceret, atque a convitiando absisteret. Quae ne impune ei essent intemperiae, utque aliquando pravae isti libidini modum figeret, ultro eum adgreditur, exprobrataque acerbe ignavia ac timiditate ejus, in se his jambis irritare conatur poëta. Quod quidem allegorice ita instituit, ut eum cum cane, latratu praetereuntes quosque territante, objectisque ossibus con-

---

73) Inquietis praecordiis, id est: vexans, agens animum vestrum, somnum vobis auferam, pavore injecto.

74) Continuatio execrationis: turba, concitata scelerum vestrorum atrocitate multitudo hominum vos vicatim, id est, per omnes vicos insectata hinc et hinc, seu undique saxis petens contundet, lapidibus obruet, ad necem usque lapidabit; vos, obscoenas, abominandas, scelestas anus, subintellige: precor.

75) Post, ubi lapidibus peremtae fueritis, corpora vestra insepulta jacebunt, projicientur in monte Esquilino, lupis et avibus praedae relicta.

76) Alites: corvi, vultures, quae aves convenire solebant in Esquilias, unum e 7 montibus Romae, in quo supplicium de facinorosis sumebatur, et ubi eorum jacebant cadavera.

77) Non effugerit etc. fruentur, exsatiabunt sese parentes mei hoc miserabili exitii vestri spectaculo. Utinam hoc ex vestrum supplicio solatium contingat iis! In, heu mihi superstites! non tam miserandum fatum suum, quamquam et hoc dolet puer; quam, quod, turbato naturae ordine, parentes suos immatura morte sua graviter adfligat.

---

ticescente comparet, se contra animosissimum atque acerrimum canem ferat, qui nonnisi in ferociori quocunque animali virtutis suae experimentum faciat. Cassium Severum, hominem sordidae originis, vitaeque maleficae, qui viros ac feminas illustres procacibus scriptis diffamaret, a poëta designari notarique, plerique tradunt.

Metrum idem.

Quid [1]) immerentes hospites vexas, canis,
Ignavus adversum [2]) lupos?
Quin huc inanes [3]), si potes, vertis minas;
Et me remorsurum [4]) petis.
Nam [5]) qualis aut Molossus [6]), aut fulvus Lacon,
Amica [7]) vis pastoribus,
Agam per altas aure [8]) sublata nives,
Quaecunque praecedet fera.
Tu [9]), quum timenda voce complesti nemus,
Projectum odoraris cibum.
Cave, cave: namque [10]) in malos asperrimus
Parata [11]) tollo cornua;

---

1) Quid vexas, incessis latratu hospites, hoc est, homines tibi plane, ignotos, obvios quosque, adeoque immerentes, nulla te injuria lacessentes, ab iis non irritate?

2) Adversum lupos, id est, audaces, promtos paratosque ad propulsandas injurias.

3) Inanes minas, utpote canis timidi et ignavi.

4) Remorsurum; et me impetis, satis animi habentem tecum congredi; qui vanas tuas minas graviter vindicaturus sum.

5) Sensus vulgaris: acerrimorum enim canum instar cuicunque ferae fortiter instabo, pertinacique eam alacritate persequar.

6) Molossia, regio est Epiri; Laconia Peloponnesi, utraque bonis canibus abundans. Hic ergo canes ex his regionibus designantur.

7) Amica vis pastoribus: id est, qui canes amici et optati sunt pastoribus; robore suo commendatissimi pastoribus.

8) Aure sublata: timidorum enim est, aures demittere.

9) Sententia: tum contra tu sola lucri spe maledictis tuis homines incessis, os tibi obturari vis. Et pro hoc, allegoria servata: ubi ingentes clamores, latratus edidisti, odoraris statim, investigas, circumspicis, si quis tibi cibus objectus sit, quo mansuetior fias. Hic munera designantur, quibus Cassius corruptus saepe fuerat.

10) Namque in malos, qui immerentes vexant, asperrimus sum, efferatissima ira odioque feror.

11) Parata tollo cornua, id est promtissimus sum cornibus impetere, tauri instar efferor.

Qualis [12]) Lycambae spretus infido gener,
Aut acer hostis Bupalo [13]),
An [14]), si quis atro [15]) dente me petiverit,
Inultus [16]) ut flebo puer?

Ode VII.

Ad populum Romanum.

Occasio et argumentum.

Devicto, atque occiso S. Pompejo, Lepidoque armis exuto, quum respublica diutius bellis civilibus fessa, respirandi aliquando tempus nacta esse videretur, haud multo post a. u. 722 simultates, quae aliquamdiu Octaviano cum Antonio intercesserant, impatiente consortis imperio, prorumpere et ad vim spectare coepere: unde, maxime quum intentiore cura bellum, quandoquidem ultima experiundi animus esset, utrimque adpararetur, in summum rempublicam discrimen adductum iri in promtu erat perspicere. Contactus igitur hac miseranda patriae suae vice poëta Romanos hoc carmine ab insano integrandi belli civilis consilio avocare adnititur, proposita sceleris, cui se obstricturi essent, atrocitate, atque vel belluinam feritatem excedente immanitate, certissimoque, quod in ipsos inde redundaturum sit, exitio.

---

12) Ordo est: sum talis in maledicos, qualis fuit Archilochus in socerum suum Lycamben. Gener, nempe Archilochus spretus infido Lycambae, id est, ab infido Lycamba. Lycambes, cum Archilocho filiam suam despondisset, eam alteri collocavit. Quo facto poëta Archilochus ita exarsit, ut carmina jambica longe amarissima scripserit in Lycamben, quod hic adeo aegre tulit, ut laqueo sibi gulam fregerit.

13) Hipponax poëta, cum a Bupalo pictore pictus ridiculum in morem fuisset, in eum distrinxit stylum, et hominem eo adegit, ut sibi manus violentas adferret. Sensus: aut veluti Hipponax, acerrimis in Bupalum jambis invectus est.

14) Sententia: an impune mihi obtrectari patiar, aut aliorum contumelias patienter feram?

15) Atro dente: maledicis versibus.

16) Transpositio: an flebo, ut inultus puer? qui, quum illatam injuriam ulcisci nequeat, inani fletu dolorem suum solatur?

Metrum idem.

Quo [1]), quo, scelesti, ruitis? aut cur dexteris
Aptantur enses conditi [2])?
Parumne [3]) campis, atque Neptuno super
Fusum est Latini sanguinis?
Non [4]), ut superbas invidae [5]) Carthaginis
Romanus arces ureret;
Intactus [6]) aut Britannus ut descenderet [7])
Sacrā catenatus via:
Sed [8]) ut, secundum vota Parthorum, suā
Urbs haec periret dexterā.
Neque [9]) hic lupis mos, nec fuit leonibus
Unquam, nisi in dispar, feris.
Furorne [10]) caecus, an rapit vis acrior?

---

1) Initio statim poëtae indignatio erumpit, atrocitate facinoris, quod in se admissurus esset populus Romanus, plane conturbati.

2) Conditi, nempe in vaginas jam, confectis bellis civilibus duobus, 1° inter Caesarem et Pompejum: altero, inter Augustum et Brutum, Cassiumque.

3) Tamquam parum adhuc Latini nostri, civilis sanguinis fusum sit, terra, marique.

4) Sententia vulgaris: armis accingimini, quibus non exteras nationes sed vosmetipsos perditum itis.

5) Invidae Carthaginis: fuit enim Carthago aemula Romae. Sensus: non ut Carthago incendio vastaretur, regnum Carthaginiensium everteretur. Carthaginienses hic pro quovis graviori hoste sumuntur.

6) Aut, ut Britanni perdomarentur, de iis triumpharetur. Adgressus quidem fuerat Julius Caesar Britannos ignotos antea; speciem tamen magis, quam veram deditionem praestitit ista expeditio. Recte adeo, intactus, bello quidem tentatus, necdum tamen victus ac perdomitus.

7) Descenderet sacra via, id est, in triumpho duceretur per sacram viam, cujus pars prior, quae ad forum Romanum pertinebat, declivis erat; pars ea vero, quae a foro ad Capitolium ferebat, supina et ardua. De triumphis vide Antiquitates.

8) Sed ut haec urbs, hoc imperii et gloriae domicilium, hoc splendidissimum imperium suamet manu eversum concideret; ut votis Parthorum vos aliter atteri haud posse probe intelligentium, satisfaciatis.

9) Hic tam immanis mos, ne in saevissimis quidem bestiis est, deprehenditur, scilicet, ut in suum ipsae genus saeviant; hae enim non pugnant, nisi adversus feras disparis naturae.

10) Sensus: Quae causa subigit vos, tam perverse agere, impellit vos in mutuam caedem, cum summo dedecore vestro, ac scelere, tam cupide grassari? Num caecus furor, temerarius animi impetus vos praecipites agit? an exstimulat vos vis acrior, gravior, cui resisti nequeat, hoc est, divina, fa-

An culpa? responsum date.
Tacent [11]), et albus ora pallor inficit,
Mentesque perculsae stupent.
Sic [12]) est; acerba fata Romanos agunt,
Scelusque fraternae necis;
Ut [13]) immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.

Ode VIII.

Ad Maecenatem.

Occasio et argumentum.

Carmen hocce post primam statim famam de victoria, qua Caesar apud Actium potitus esset a. u. 724, Romam perlatam, scriptum esse, plura ipsum in se habet indicia, quae extra omnem dubitationem ponant. Exponit in eo laetitiae suae sensus Maecenati poëta, quos primus iste nuntius in se commoverit vividissimos, adeo quidem, ut victoriam istam adparatissimo statim convivio, non exspectata triumphali pompa, eidem celebrandam injungat; in eaque cogitatione ita defixum habet animum, ut ipsas istas epulas mente occupet, seque convivantium turbae immixtum ferat. Ut autem Romanum suum, ut ita dicam, sensum poëta ostenderet, Antonianae partis militem, a Caesare devictum, omni contumeliarum genere obruit, quod externam sub femina et spadonibus militiam ignavam illam, luxuque infamem sequi sustinuerit.

---

talis quaedam necessitas; an culpa, seu, pro magno flagitio, quo obstricti estis, hoc, tamquam poena, vobis inflictum est?

11) Tacent, id est, silentio confitentur scelus, et terrore atque stupore suffusi sunt sceleris atrocitate.

12) Poëta intelligens, se frustra a bello civili revocare rempublicam, scelus confessam, Deorumque adeo ira ad illud conpulsam, cum desperatione subjicit: sic est, in confesso, palam est, Romanos Deorum ira premi, et ad exitium suum cogi. Ita agere coacti sunt fatorum decreto; ad civile bellum praecipitantur Romani, ut scelus fraternae necis luant; seu ob parricidium, Remo occiso contractum.

13) Ut, seu ex quo, postquam cruor Remi in terram fluxit; Remus caesus est innocens, quod facinoris diritatem auget. Ceterum quum magnas calamitates antiquitatis sensus ad Deos auctores, gravi aliquo scelere irritatos, referat; invidiae amoliendae causa solenne fere poëtis est, a majorum delictis, ac iis quidem, quae etiam in posteris vindicari putarent, irarum causas repetere; ut hoc loco belli civilis mala a parricidio Romuli, de quo vide hist. ant.

Metrum idem.

Quando [1]) repostum Caecubum [2]) ad festas dapes,
Victore [3]) laetus Caesare,
Tecum sub alta [4]), sic Jovi [5]) gratum, domo,
Beate Maecenas, bibam,
Sonante [6]) mixtum tibiis carmen lyra,
Hac Dorium, illis Barbarum?
Ut [7]) nuper; actus [8]) quum freto Neptunius
Dux [9]) fugit ustis navibus [10]),
Minatus [11]) Urbi vincla, quae detraxerat
Servis amicus perfidis.

---

1) Vulgaris sententia: Ecquando Augusti victoriam celebrabimus? et pro hoc poëta convivii adparatius instruendi partes ponit, cantum et vinum.

2) Caecubum: hoc est, optimae notae, nobilissimum vinum, unde: repositum ad festas dapes, nonnisi festis diebus adhiberi solitum. Vide L. I. od. 31. not. 7.

3) Victore laetus Caesare, pro, propter Caesaris victoriam.

4) Sub alta domo; indicat suaviter, se illud convivium a Maecenate velle instrui. Ita enim adpellat turrim Maecenatianam in Esquilinis hortis sitam.

5) Quandoquidem ita Jovi placuit, Dii prosperum hunc rerum eventum dederunt.

6) Sensus: inter festos lyrae, ac tibiae cantus. Lyra sonante carmen mixtum, seu cantus mixtos tibiis, id est, lyra ac tibiis resonantibus. Hac quidem lyra Dorium modum, severum ac gravem; illis vero, id est, tibiis Barbarum seu Phrygium, effrenem, ac Bacchico furore tumultuantem. Probabile est, poëtam Dorio modo grave Martis opus, hoc est, ipsum pugnae conflictum; Phrygio autem eventum ejus, victoriam Caesaris, atque adeo laetitiam, qua inde efferretur, exprimi repraesentarique voluisse.

7) Quod idem et nuper fecimus, scilicet, ut solenne convivium agitaremus, devicto ad Siculum litus S. Pompejo a. u. 718.

8) Quum actus, exactus, pulsus freto Siculo fugit, fuga sibi consulere opus habuit etc.

9) Dux Neptunius: Sextus Pompejus, qui ab Augusto navali pugna victus est consiliis et fortitudine Agrippae. Is Neptuni filium adpellari se voluit, quia Pompejus magnus, ipsius pater, universo mari imperaverat; vel quia ipse proeliis aliquot maritimis secundis usus fuerat. Perditis omnibus fugit in Asiam ad Antonium, a quo interfectus est, percussore immisso.

10) Ustis navibus: fuit dominus trecentarum navium et quinquaginta, omnesque perdidit in hoc proelio exceptis 6 vel 7, cum quibus fugam arripuit.

11) Qui armatis, in supplementum classis et exercitus, ergastulis, collectisque piratis, rempublicam Romanam servitii jugo subdere in animo habuerat; ac proinde ea ipsa vincula, quibus servitia exsolvisset, minatus est civibus Romanis, ille amicus servorum perfidorum, fugitivorum.

Romanus [12]), eheu! posteri negabitis,
Emancipatus feminae,
Fert vallum [13]) et arma miles, et spadonibus [14])
Servire rugosis potest!
Interque [15]) signa turpe militaria
Sol adspicit conopium!
Ad [16]) hoc frementes verterunt bis mille equos
Galli, canentes Caesarem;
Hostiliumque [17]) navium portu latent
Puppes sinistrorsum citae.

12) Persequitur jam, amareque exagitat poëta ignominiam, quam Antonii, exercitus, Aegyptiae mulieris, et spadonum imperiis parere haud dedignatus, pertulerit: ergone miles Romanus, vix credent posteri! sub Duce Antonio in ejus castris, oblitus pristinae libertatis ac dignitatis, emancipatus, addictus, redactus in potestatem feminae Cleopatrae fert vallum etc. Nam mancipium dicebant veteres jus ipsum, dominiumque, seu proprietatem rei; hinc mancipare sive emancipare, pro, mancipio dare, in alterius manum ac potestatem tradere.

13) Vallus seu palus est stipes, quo utebantur ad castra munienda; hinc vallum munitio ipsa est. Fert vallum et arma, idem ac, graves militiae labores tolerat, militat sub spadonibus.

14) Spadones, sunt Eunuchi, Cleopatrae comites et administri. Rugosi, id est, rugis ante tempus deformati; quod quidem proprium truncati corporis perhibetur infortunium.

15) Interque etc. Inter signa militaria, id est, aquilas Romanas sol adspicit seu, conspicitur conopium, quod erat velum apud Aegyptios, ad arcendos culices, ex Nili illuvie abundantes, lectis praetendi solitum, mox inter luxus instrumenta habitum, intextis ei filis aureis, adspersisque tenuissimis maculis. Hinc causa intelligitur, cur illud extremae mollitiei Aegyptiae argumentum tanto turpius Romanis videri debuerit, quod inter aquilas Romanas conspiceretur. Per conopeum ergo hic muliebre tentorium Cleopatrae aliarumque Aegyptiarum feminarum intelligi potest.

16) Ex Antonii copiis, quae in continenti stabant, quibusve Canidius praeerat, Gallograecos, seu Galatas, Dejotaro et Amynta ducibus, ante pugnae discrimen ad Octavianum transivisse, tradunt Plut. et Vellej. Gallorum autem ideo mentio facta est, ut Romanos, qui sub praepositis spadonibus aequo animo militarent, magis oneraret per hanc comparationem, quum hi Galli, hoc dedignati, ad Caesarem se contulerint. Igitur Galli frementes, aegerrime ferentes, indignantes ad hoc conopium, id est, ob foedum hoc conopii spectaculum averterunt equos, aversati sunt ejus adspectum, deseruere ista castra, canentes, laudantes clamore bellico Caesarem, potiores ejus partes rati.

17) Jam navales copias poëta memorat, quae eadem indignatione, quod feminae eunuchis parendum esset, motae, pugnam detrectassent, et in portum, dum confligeretur, recessissent. Facile intelligitur, poëtam in rem suam vertisse, quod ex ignavia atque timore factum est. Jam pars ista navium, quae post primam congressionem in portum refugeret, quo minus discessio

Io [18]) Triumphe! tu moraris aureos
Currus [19]), et intactas [20]) boves;
Io Triumphe! nec Jugurthino parem
Bello reportasti ducem [21]);
Neque Africano [22]), cui super Carthaginem
Virtus sepulcrum condidit.
Terra [23]) marique victus hostis, Punico
Lugubre mutavit sagum.
Aut [24]) ille centum nobilem Cretam urbibus,
Ventis [25]) iturus non suis;
Exercitatas aut petit Syrtes [26]) Noto;
Aut [27]) fertur incerto mari.

ista animadverteretur, puppes ciebat, hoc est: ita retrorsum agebatur, ut puppes praecederent, prorae sequerentur, idque sinistrorsum fieri oportebat, acie Antonii dextrorsum, Italiam versus, directa atque explicata. Hostilium igitur navium puppes, id est, hostiles naves, portu latent, seu in portu se absconderunt ob eandem causam, sinistrorsum citae, id est, versus sinistram partem ad fugam expeditae, veloces.

18) Vulgaris enuntiatio: Ecquando ducetur triumphus, vel splendidissimis Marii et Scipionis anteferendus? Pro hoc ad Triumphum, Deum, orationem convertit poëta, queriturque quod urbem non illico intret, pompamque adeo triumphalem ac solenne sacrificium moretur. Nam pompae isti praeesse, eam ipse ducere creditus est.

19) Currus aureos, id est, currum triumphalem auro et ebore ornatum.

20) Sacrificium Jovi Capitolino a triumphatore faciendum declarant boves intactae, jugum haud passae juvencae.

21) Ducem: nempe Marium, qui de Jugurtha triumphavit. Vide L. II. od. 1. not. 28.

22) Africanus minor, cui super Carthaginem etc. sensus vulgaris: qui Carthagine eversa aeternam sibi nominis famam acquisivit. Et pro hoc: cui in Carthaginis ruinis fortitudo monumentum gloriosissimum excitavit.

23) Triumphi magnitudinem praeclare poëta miserabili Antonii fuga, quam cum summa omnium rerum desperatione, deletis quippe navibus, copiisque ejus terrestribus ad deditionem compulsis, capessere coactus fuit illustratam subjicit. Canidius enim septimo post fugam Antonii die ad Caesarem defecit. Vide supra not. 16. Sensus est: Hostis victus mutavit puniceum seu purpureum sagum lugubri, nigro, hoc est, deposuit militare paludamentum, vestem imperatoriam, quae coloris rubri erat, ut sumeret funestam et pullatam, qualis in luctu sumebatur.

24) Sensus vulgaris: Cretam, aut Africam petiturus. Creta est insula e regione Maris Aegei.

25) Ventis non suis, id est, non faventibus, inimicis.

26) Syrtes; Litoris Libyci vada; Syrtis major et minor. Vexatas, id est, agitatas, turbatas Noto, vento meridionali.

27) Aut fertur incerto mari, hoc est, ipse incertus consilii errat per maria, animo ista clade penitus perturbato.

Capaciores [28]) adfer huc, puer, scyphos,
Et Chia vina, aut Lesbia;
Vel, quod fluentem nauseam coërceat,
Metire [29]) nobis Caecubum.
Curam [30]), metumque Caesaris rerum, juvat
Dulci Lyaeo solvere.

Ode IX.

In Maevium poëtam.

Argumentum.

Probabile est, Maevium non solum insulsum versificatorem, sed praestantiorum quoque poëtarum, Virgilii, Horatii et aliorum obtrectatorem fuisse acerrimum, ideoque a nostro hoc carmine misere habitum. Ut enim bonorum omnium risum captaret, tragica quadam gravitate ei, peregre, forte Athenas, ituro, naufragium mortemque miserrimam imprecatur, lautissimumque, si precum suarum rationem habiturae essent, Tempestatibus sacrificium vovet. Atque hoc ipsum, ne inhumanum poëtae pectus incuses, praeter incessum totius carminis, abunde comprobat, Horatium ludum potius Maevium dare voluisse, quam veros animi sensus protulisse.

Metrum idem.

Mala [1]) soluta navis exit alite [2]),
Ferens olentem [3]) Maevium.

---

28) Ad propositum suum redit poëta, confususque impotenti laetitiae adfectu, futuram convivii hilaritatem animo praeceptam repraesentat; discumbunt convivae, majoribusque poculis, quae istius diei solennitas poscat, celebrandam indicit. Eadem extollendae ex merito victoriae causa cumulate adponi jubet vina Chia, et Lesbia, hoc est, generosissima. Sunt autem nata haec in insulis Chio et Lesbo maris Aegei.

29) Metire infunde Caecubum, quod nauseam, nempe ciborum fastidium coërceat, tollat; fluentem, id est, alvum fluentem. Proprie enim stomachus laxatur, languet, fluit.

30) Curam Lyaeus solvit, vino diluitur metus; quae cura nos antea sollicitos habuit, cum in metu essemus, ob incertum belli exitum, et Caesaris salutem fortunamque, periculoso loco positam.

---

1) Sensus vulgaris: utinam Maevius, iter mari ingressus, tempestatem gravissimam experiatur, eaque obruatur!

2) Mala alite: id est, infausto omine.

3) Olentem, foetidum, graveolentem hominem.

Ut [4]) horridis utrumque verberes latus,
Auster, memento, fluctibus.
Niger [5]) rudentes Eurus [6]), inverso [7]) mari,
Fractosque remos differat.
Insurgat Aquilo [8]), quantus altis montibus
Frangit trementes ilices;
Nec sidus [9]) atra nocte amicum adpareat,
Qua [10]) tristis Orion cadit;
Quietiore [11]) nec feratur aequore,
Quam Graja victorum manus:
Quum Pallas [12]) usto vertit iram ab Ilio
In impiam Ajacis ratem.
O quantus [13]) instat navitis sudor tuis,
Tibique pallor luteus!
Et illa [14]) non virilis ejulatio,
Preces et aversum ad Jovem;

---

4) Alloquitur hic Austrum: memento, tui officii putato, hoc sedulo ages, ut utrumque navis latus, seu, navim utrimque verberes, pulses, convellas, excitatis atque allisis fluctibus. Id est, extolle fluctus, qui laterum compagem dissolvant. Auster est ventus meridionalis, Graecis etiam Notus dictus.

5) Sententia: Eurus mare conturbet, remosque ac rudentes auferat.

6) Eurus, ventus ab Oriente flans, niger, nubes conglobans.

7) Inverso; susque deque agitato, conturbato.

8) Aquilo a Septemtrione summa vi in navem impetat, exsurgens; quam vehemens esse solet, cum ilices, quercus, trementes, nutantes pondere ac proceritate sua, frangit.

9) Sidus amicum Dioscurorum. Vide L. I. od. 3. not. 3.

10) Qua tristis Orion, id est, per nocturnam tempestatem, qua procellosus Orion occidit. Orion est tristis ob tempestates, quas ciet. Vide L. I. od. 23. not. 25. et L. III. od. 19. not. 13.

11) Nec quietiore, pacatiore; turbulentiore adeo aequore jactetur; eandem tempestatem experiatur, quam victrix Graecorum manus, id est, Graeci eversa Troja domum redeuntes pertulere, a Pallade, Ajacis ulciscendi causa, excitatam. Graeci enim, e Troja revertentes, prope Euboeam insulam naufragium fecerunt: ac praeter ceteros Ajax, Oilei filius, interiit, quem Pallas fulmine percussit, irata, quod in suo templo Cassandram ille temerasset.

12) Pallas, irata erat Trojanis, ob judicium Paridis; itaque Troja deleta, ulcisci Ajacem cogitavit, cui privatim erat infensa, licet universe Graecis faveret contra Trojanos. Reliquias ergo irae, qua exarserat in Trojam, convertit in Ajacis navem impiam, ob scelus ab ipso commissum. Vide L. I. od. 13. not. 25.

13) Quantum sudabunt, laborabunt remiges tui! Interea tu pallore luteo, subflavo perfunderis, metu exanimis.

14) Illa non virilis, virum dedecens, muliebris ejulatio. Sensus: quantis precibus obtundes, fatigabis Jovem aversum, qui tamen nullam tui rationem habebit, preces tuas, et ejulationem aspernabitur.

Jonius [15]) udo quum remugiens sinus
Noto carinam ruperit!
Opima [16]) quod si praeda, curvo litore
Porrecta, mergos juveris;
Libidinosus immolabitur caper,
Et agna Tempestatibus.

Ode X.

Ad Amicos.

Argumentum.

Ab hieme, tristiorisque per eam caeli facie sodales ad diem genialiter agendum exhortatus poëta, ad generale vitae jucunde traducendae praeceptum progreditur, argumentis a juvenilis aetatis flore, cito marcescente, vitaeque omnino brevitate desumtis, hocque, quo gravius ad animum accideret, Chironis sapientissimi, ultimae antiquitatis viri, idem Achillem, ad bellum Trojanum profecturum, monentis, sententia, eloquitur atque confirmat.

Metrum Archilochium.

– ⏑̄ ⏑̄ | – ⏑̄ ⏑̄ | – ⏑̄ ⏑̄ | – ⏑̄ ⏑̄ | – ⏑ ⏑ | – ⏑̄
– ⏑̄ – | ⏑ – | ⏑̄ – | ⏑ ⏑̄
– ⏑ ⏑ | – ⏑ ⏑ | ⏑̄

Horrida tempestas [1]) caelum contraxit; et imbres [2])
Nivesque deducunt Jovem:
Nunc mare, nunc silvae
Threïcio [3]) Aquilone sonant. Rapiamus, amici,

---

15) Quum sinus Jonius, hoc est mare Jonium, in sinus curvatum ad Occidentem Graeciae, remugiens, id est, procellosum, turbatum Noto udo, seu pluvias congerente, carinam ruperit, hoc est, navis compagem solverit, navem diffregerit.

16) Sententia vulgaris: quod si naufragio isto interieris, voti compos factus, lauto sacrificio me exsolvam. Opima praeda, mergos juveris, pro: si corpus tuum porrectum, in litus rejectum, ibique jacens jucundam mergis et piscibus escam praebuerit, praedae iis fuerit, ab iis devorabitur. Mergi sunt aves quaedam marinae.

---

1) Tempestas, procellae contrahunt caelum, quatenus nubes conglomerant, cogunt; caelum nubibus obducunt.

2) Imbres nivesque deducunt Jovem, hoc est: Jupiter seu aether in imbres ac nives resolutus decidit; maxima nivis imbriumque copia defunditur.

3) Aquilonis vehementiam ab effectu, id est, a fragore, per silvas et

Occasionem de die [4]):
Dumque [5]) virent genua,
Et decet, obducta [6]) solvatur fronte senectus.
Tu vina [7]) Torquato move
Consule pressa meo.
Cetera [8]) mitte loqui: Deus [9]) haec fortasse benigna
Reducet in sedem vice.
Nunc et Achaemenia [10])
Perfundi nardo juvat, et fide [11]) Cyllenea
Levare [12]) diris pectora
Sollicitudinibus.
Nobilis [13]) ut grandi [14]) cecinit Centaurus [15]) alumno:

---

maria excitato, designat poëta. Threïcius seu Thracius dicitur Aquilo a poëtis latinis, ad imitationem Graecorum poëtarum, quibus Thracius ventus reipsa septemtrionalis erat. Nam respectu Italiae Thracia jacet ab Oriente in Septentrionem vergente.

4) De die, ab hac ipsa inclementiore anni tempestate occasionem vitae jucunde agendae rapiamus, sumamus; hoc triste caelum in rem nostram vertamus; utamur occasione, quam anni tempus praebet.

5) Dum virent, id est, dum vegeta, agilia sunt genua, dum in flore aetatis constituti sumus, et per hanc juvenilem aetatem decet etc.

6) Sensus: frontem exporrigamus, hilaritati nos demus, jucunde vivamus. Obducta fronte: nubibus ac tenebris quasi involuta fronte tristitia solvatur, id est: solvamus et removeamus tristitiam a fronte. Senectus enim tristis est.

7) Age, missis curis, hilare agitemus convivium, quod illico adparetur, et quidem vino, unguento et cantu, ex more. Move ergo vina, id est, cadum vini, quod pressum et reconditum est L. Manlio Torquato, consule meo, id est, anno, quo ipse natus sum. A. u. 689. Cadum vini antiqui misce, infunde, adpone.

8) Mitte loqui: ne cures, ne cogites; seu mitte sermones molestos de aliis rebus, quam de vino et hilaritate.

9) Deus illa reducet in sedem pristinam, in ordinem pristinum restituet benigna vice, grata vicissitudine; in melius referet, mutabit.

10) Achaemenea, Persica; Achaemenes enim rex Persarum fuit, vide L. III. od. 1. not. 44.

11) Fide seu lyra Cyllenea, Mercuriali, quia Mercurius invenit lyram, ejusque primus artifex fuit, in Cyllene, monte Arcadiae, natus.

12) Levare pectora sollicitudinibus: animum curis solvere, exhilarare. Diris, infestis, animum exedentibus.

13) Jam ad praeceptum generale, de vita jucunde agenda procedit poëta, idque quo fortius animum percelleret, effato Chironis communit.

14) Grandi alumno: Achilli.

15) Centaurus nobilis, Chiron, qui non modo Centaurorum, sed omnium hominum aetate sua justissimus, et sapientissimus, simulque Achillis institutor fuit. Cecinit: qualia vitae praecepta dedit Chiron magno Achilli, forti heroi.

Invicte [16]) mortalis, Dea
Nate, puer, Thetide,
Te manet [17]) Assaraci tellus, quam frigida parvi
Findunt Scamandri [18]) flumina,
Lubricus et Simois;
Unde [19]) tibi reditum certo subtemine [20]) Parcae
Rupere; nec mater [21]) domum
Caerula te revehet.
Illic [22]) omne malum vino, cantuque levato,
Deformis aegrimoniae
Dulcibus alloquiis.

Ode XI.

Ad populum Romanum.

Occasio et argumentum.

Carmen hocce tum, quum inimicitiae inter Octavianum et Antonium ad bellum spectarent, a poëta scriptum esse, satis probabile esse videtur. Quo quidem, quum maxima utrimque mole adpararetur, rempublicam, pluribus bellis civilibus jam labefactam, in summum discrimen adductum iri, quum facillimum ad augurandum esset, Horatius, impendente ejus ruina gravissime commotus, non, quod alias facere solet, populares suos ab immani isto scelere dehortari

16) Invicte puer, fortissime, quamquam Dea Thetide, tamen mortalis nate.

17) Te manet: fato tibi destinatum est ad Trojanum bellum proficisci; pro Troja, est Assaraci tellus, regio ab Assaraco olim regnata, possessa.

18) Scamander et Simois sunt Troadis flumina. Parvus, tenuis, ubi ab Ida monte descendit, in primo ejus cursu, qui fontis potius, quam fluvii speciem habet; unde et frigidus, quod proprium est fontanae aquae. Lubricus: tortuosus, sinuosus, instar anguis sese provolvens.

19) Sensus: Unde tibi reditus non datur, ubi occumbes ex immutabili fatorum decreto.

20) Subtemen sive subtegmen est filum illud in tela, quod stamini seu filis longioribus hinc atque inde inseritur ope radii; hic usurpatur pro eo filo, quod e colo trahere finguntur Parcae. Adeoque: certo subtemine, seu inevitabili fato etc.

21) Mater caerula, id est, Thetis: communi Deorum marinorum epitheto.

22) Illic vino cantuque te exhilarato, memor brevis aevi. Omne malum deformis aegrimoniae seu aegritudinis leva: omnes malas curas, aegritudinem, id est, animum ea oppressum leva, adhibito vino, cantuque, dulcibus alloquiis (quod est adpositio) optimo istarum remedio. Alloquia enim pro quovis solamento, quavis consolatione poëtice sumuntur.

conatur; sed aegritudine animi oppressus, indeque, uti fert animi humani natura, in reipublicae, quam sanioribus consiliis ab interitu revocari posse, plane desperaret, taedium adductus, deserendae ejus, longissimeque ab inauspicata ista regione fortunarum suarum sedem transferendi consilium saniori civium parti proponit, Phocaeorumque exemplo egregie communit. Quo propensiorem autem melioris partis voluntatem experiretur, Fortunatas Oceani insulas petendas monet, clementissima caeli temperie, proventuumque omnis generis ubertate commendatissimas. In quas pronum erat poëtam incidere, quum Sertoriani consilii, easdem, desperatis rebus, spectantis, recens tum exstaret memoria.

Metrum Pythiambicum.

— ⏑̄ ⏑̄ | — ⏑̄ ⏑ | — ⏑̄ ⏑̄ | — ⏑̄ ⏑̄ | — ⏑ ⏑̄ | — ⏑̄
⏑̄ — | ⏑ — | ⏑̄ — | ⏑ — | ⏑̄ — | ⏑ ⏑̄

Altera [1]) jam teritur bellis civilibus aetas,
Suis et ipsa Roma viribus ruit [2]).
Quam [3]) neque finitimi valuerunt perdere Marsi [4]),
Minacis aut Etrusca Porsenae [5]) manus,
Aemula nec virtus Capuae [6]), nec Spartacus [7]) acer,
Novisque rebus infidelis Allobrox [8]);

1) Quum aetatem, 30 annorum spatium, tanquam medium humanae vitae terminum ponere licet, proprie poëta loquutus videri debet, alteram jam aetatem bellis civilibus teri, hoc est, inter bella civilia consumi, ad finem vergere professus; quandoquidem, quod a Sulla cum armis Urbem ingresso a. u. 666, unde omnino initia bellorum civilium repetenda sunt, usque ad extremum Antonii furorem 724 effluxit tempus, 58 annis cirumscribitur.

2) Ruit: ad interitum vergit suis viribus superba Roma.

3) Sententia vulgaris: Romam ab externorum hostium periculis acerrime defensam, in summum nos ipsimet discrimen adducemus, perdemus. Jam generalem externi periculi notionem speciali delectaque bellorum, quibus respublica Romana periclitata est, enumeratione explicuit ac repraesentavit poëta.

4) Marsi, Italiae populi fuere, qui quum jus civitatis sibi promissum obtinere non possent, adjunctis sibi finitimis Romae populis, bellum sociale sive Marsicum conflaverant. Vide L. III. od. 10. not. 17.

5) Porsena, rex Etruscorum, conabatur Tarquinium superbum, ejectum Roma, restituere, verum, Romanorum fortitudine ac Mucii Scevolae facto deterritus, incepto destitit. Vide Florum L. I. cap. 10. et Hist. ant.

6) Capua urbs erat nobilissima in Campania, Romae prope par. In eam, ipsa Roma capta et eversa, sedem imperii orbis terrarum transferre Hannibal meditabatur; qua spe Capuanos sibi mirifice devinxerat. Vide Hist. ant. de bello Pun. II.

7) Spartacus servile bellum movit. Vide L. III. od. 10. not. 18.

8) Allobroges, populi Galliae, qui nunc Sabaudi et Delphinates vocantur,

Nec fera caerulea domuit Germania [9]) pube,
Parentibusque abominatus Hannibal [10]);
Impia perdemus [11]) devoti sanguinis aetas;
Ferisque [12]) rursus occupabitur solum.
Barbarus [13]), heu! cineres [14]) insistet victor, et Urbem [15])
Eques sonante verberabit ungula:
Quaeque [16]) carent ventis et solibus, ossa Quirini,
Nefas [17]) videre, dissipabit insolens.
Forte [18]), quid expediat, communiter, aut melior pars,
Malis carere quaeritis laboribus?
Nulla [19]) sit hac potior sententia (Phocaeorum [20])

rebus novis et Catilinae favebant: itaque merito inter hostes gravissimos reipublicae Romanae numerantur; quamvis postea detecti Ciceronis vigilantia, cui conjurationem omnem ultro patefecerunt, relictis Catilinae partibus, in officio ac reipublicae fide manserunt; unde infideles novis rebus dicuntur; quia fidem, datam civibus novarum rerum, id est, reipublicae mutandae, aut potius evertendae cupidis, non servarunt.

9) Germania, fera caerulea pube, Germani caeruleis oculis truces, terribiles. Respicit potissimum effusam per Italiam immanem vim Germanarum gentium, quibus nomen Cimbris et Teutonis erat, quae Caepionem, Manlium et ante Carbonem, Silanumque fugavit, castrisque exuit donec a Mario tandem repressa, maximaque clade adflicta est.

10) Claudit agmen Hannibal, deterrima illa, ut ita dicam, fundi Italici pestis ac calamitas. Abominatus parentibus, id est, matribus ob caesos multis proeliis filios.

11) Nos impii, et impio saeculo nati, quorum sanguis sacer ac devotus, id est, morti destinatus esse videtur, propter majorum scelera.

12) Tellurem hanc, ut ante Romam conditam, ferae iterum inhabitabunt.

13) Generalem notionem: externos hostes Urbe, civibus vastata, potituros esse, specialibus notionibus dispescuit poëta.

14) Cineres insistet, id est, cineribus urbis, seu urbi in pulverem versae insistet, eam pede calcabit.

15) Urbem, solum, quo Urbs steterat, eques verberabit, pulsabit, equo ferociter persultabit.

16) Et ossa Romuli, quae sunt penitus in terram defossa, et in urna condita, atque ita neque ventis commoventur, neque a solis radiis attinguntur, victor insolens dissipabit.

17) Nefas videre: religione prohibitum erat apud veteres, tumulos effodere, et ossa dissipare mortuorum. Sensus ergo est: quod spectaculum triste visu, ac nefarium erit!

18) Nexus sententiarum: forte quaeritis, o cives communiter, id est, omnes universe, aut melior, seu major pars vestri, quid expediat, quid opus facto sit, carere, id est, ad carendum malis laboribus, ut careatis bellis civilibus. Constructio Graeca.

19) Sententia vulgaris: agite, deseramus inauspicatum hoc solum, Phocaeos imitati.

Velut profugit exsecrata [21]) civitas;
Agros, atque Lares patrios, habitandaque fana [22])
Apris reliquit, et rapacibus lupis)
Ire [23]), pedes quocunque ferent, quocunque per undas
Notus vocabit, aut protervus Africus.
Sic [24]) placet? an melius quis habet suadere? secunda
Ratem occupare quid moramur alite?
Sed [25]) juremus in haec: Simul imis saxa renarint
Vadis levata, ne redire sit nefas;
Neu [26]) conversa domum pigeat dare lintea, quando
Padus Matina laverit cacumina;
In mare [27]) seu celsus proruperit Apenninus;
Novaque [28]) monstra junxerit libidine

20) Phocaei, in Jonia, provincia Asiae minoris, cum ab Harpago, Cyri duce, gravissima obsidione premerentur, concesso unius diei ad deliberandum de rebus suis spatio, commune mutandi soli patrii consilium ceperunt, cumque conjugibus ac liberis primo Chium, mox, negata ipsis in ista insula sede, Corcyram adpulerunt, ibique consederunt; ante autem, quam patria cederent, publicis execrationibus juramentoque, ne quis remaneret, neu quis prius reverteretur, quam massa ferri, quam mari immersissent, in ejus superficie adparuisset, sanxerunt, seque obstrinxerunt.

21) Exsecrata civitas: postquam omni exsecratione se devinxissent, diris eos, qui remansuri essent, devovissent.

22) Fana, id est, templa deseruit, a feris incolenda.

23) Sensus: isthinc aufugere, ac commigrare, quocumque nos casus terra marique tulerit, dummodo longe ab infausta hac regione disjuncti simus. Vividissime ita taedii sui, quo erga rempublicam adfectus esset, sensum exponit poëta, ut ubivis terrarum degere satius ducat, quam Romae. Nexus sententiarum: nulla sit sententia potior hac; nempe ire, eundi, quo nos pedes ferent etc. Phocaeorum exemplo.

24) Sensus: itane censetis? an quis melius in rem consulere potest? quin igitur abimus? secunda alite: bono omine; quod istud suum consilium saluberrimum, optimumque eventum habiturum judicaret.

25) Ante tamen, quam hinc aufugiamus, jurejurando nos obstringamus, nos haud prius redituros, quam saxa, in mare dejecta, in ejus superficie iterum adparuerint, sequuntur plura diversique generis impossibilia physica, quo magis obfirmaret discessum, quem institui decrevisset poëta.

26) Neu pigeat tunc navibus domum revehi, cum Padus, citerioris Galliae fluvius, ad Montis Matini, qui est in Calabria, verticem pervenerit, antequam id fiat, vero pigeat nos, non liceat nobis in patriam reverti. Atqui nunquam illud futurum est.

27) Seu ubi mons Apenninus, qui longo tractu Italiam dividit, moverit se, atque in mare procurrerit, promontorium maris factus.

28) Inversas naturae leges, solenne poëtis, animalium, disparis indolis, naturalique odio diremtorum, conjunctione atque connubio adeo repraesen-

Mirus amor; juvet ut tigres subsidere cervis,
Adulteretur et columba milvio;
Credula nec flavos timeant armenta leones,
Ametque salsa laevis [29]) hircus aequora.
Haec [30]), et quae poterunt reditus abscindere dulces,
Eamus omnis exsecrata civitas;
Aut pars indocili melior grege; mollis et exspes
Inominata perprimat cubilia.
Vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum,
Etrusca [31]) praeter et volate litora.
Nos manet [32]) Oceanus circumvagus arva; beata [33])
Petamus arva, divites et insulas,
Reddit ubi Cererem [34]) tellus inarata quotannis,
Et imputata [35]) floret usque vinea;
Germinat et nunquam fallentis termes [36]) olivae,
Suamque pulla ficus [37]) ornat arborem;

tare. Mirus amor junxerit nova et inaudita libidine, conjunctione monstra, id est, feras disparis generis, tigres cervis, columbas milvis. Subsidere, pro, subsidant, hoc est, ineantur tigres a cervis; adulteretur, ineatur, subsidat milvo.

29) Laevis factus, instar piscis, qui natura pilosus et hirsutus est; idemque amet aequora salsa, instar piscium natet, qui amat in montibus pasci.

30) Nexus sententiarum: ubi haec aliaque, quae omnem reditus spem abscindere poterunt, nobis adiment, exsecrati erimus, sanciendae sententiae causa pronunciaverimus; ubi in haec verba juverarimus: eamus, discedamus omnes, aut pars nostri saltem sanior et melior, consultiorque indocili grege, vulgo et plebecula, quae, instar stupidi gregis, ratione duci nequit; quaeve prae mollitia iners, fugaeque pericula ac labores subterfugiens, et exspes, adeoque abjecti animi, ut de salute prorsus desperet, perprimat cubilia inauspicata, infausta, ob continua bella civilia, id est, domi desideat.

31) Et mare Tyrrhenum ingressi Oceanum versus navigemus, Fortunatas insulas, illic sitas, petituri. Naves enim dicuntur volare, ad celeritatem indicandam. Etruria est ad mare Tyrrhenum.

32) Nos manet, id est, fata nos petere jubent Oceanum, circumvagum arva, id est, qui circum terras vagatur, qui eas ambit; vel potius, insulas in Oceano positas. Italia enim est in mari Mediterraneo.

33) Beata arva, id est, fortunatas insulas. Sunt illae in mari Atlantico, non procul ab Hispania: in iis aer purissimus, fertilis admodum terra, quidquid ad victum et delicias desiderari potest, ibi abundare dicitur.

34) Cererem, id est, fruges reddit, fundit, quarum Ceres Dea habetur, Vide Mythol.

35) Imputata, non amputata, pro, nulla cura impensa.

36) Termes, ramus olivae nunquam fallentis, id est, semper feracis.

37) Ficus pulla, nigricans, matura, non viridis. Id est: ficus arbores sponte sua procreant fructus.

Mella [38]) cava manant ex ilice; montibus [39]) altis
Levis crepante lympha desilit pede.
Illic injussae veniunt ad mulctra [40]) capellae,
Refertque tenta [41]) grex amicus ubera;
Nec vespertinus [42]) circumgemit ursus ovile;
Neque intumescit [43]) alta viperis humus.
Pluraque [44]) felices mirabimur; ut [45]) neque largis
Aquosus Eurus arva radat imbribus,
Pinguia nec [46]) siccis urantur semina glebis;
Utrumque [47]) rege temperante Coelitum.
Nulla [48]) nocent pecori contagia; nullius astri
Gregem aestuosa torret impotentia.
Non huc [49]) Argoo [50]) contendit remige pinus;
Neque impudica Colchis intulit pedem:

38) Mel quercubus cavis defluit, absque hominum cura ab apibus ibi congestum.

39) Montibus altis undae seu aquae defluunt, crepante, sonoro pede, id est, sonantes.

40) Mulctra sunt vasa, in quibus excipitur lac, pressis uberibus.

41) Tenta, distenta ubera. Grex amicus, id est, hominum commodis inserviens.

42) Vespertinus, id est, vesperi, noctu.

43) Sensus: absunt ibi noxia animalia. Intumescit, ob latebras serpentium, sub terra delitescentium, pro: non alit viperas, veneno tumidas.

44) Nova subjecturus felicitatis momenta, poëta variavit orationis structuram, ne scilicet nimis protracta videretur descriptio. Plurima alia insuper cognoscemus commoda, quibus nostra regio destituitur; nam hoc ipsum est, quod mirationem facit.

45) Sensus: veluti aequabilem ac mitem anni tempestatem. Hiemem declarant procellosi imbres, ex Italiae regionis natura; et hi radunt, verrunt arva, dum nimia copia defusi, largi, terram diluunt ac provolvunt, maxime in locis clivosis. Hoc autem Euro, vento orientali, tribuit poëta, quatenus vis venti nubes contrahit; hinc aquosus dictus, aquosas nubes cogens.

46) Neque nimio solis aestu torretur regio. Siccitas nimia non urit semina, fecundo succo turgida, in sulcis arentibus, inter siccas glebas.

47) Sensus: Jove moderante utrumque, et aestatem et hiemem.

48) Sensus: neque morbis infestantur pecora. Impotentia aestuosa astri, id est, nimius astri seu Sirii aestus, quo grex torretur. Impotentia enim posita est pro: vis immodica, et potentia exitialis.

49) Sententia vulgaris: homines ibi degunt ab omni hominum commercio integri ac sinceri, ad quos adeo non penetrarunt vitiorum contagia, navigationibus per terrarum orbem disseminata, adeoque probi, pudici, cupiditatibus liberi. Jam quum commercium cum istis maritimum esse debuerit, delecte poëta ex longinquis antiquissimorum hominum navigationibus expeditionem Argonautarum, Ulyxis errores, et Phoenicum itinera commemorat, quos omnes Oceanum intrasse fama erat.

Non [51]) huc Sidonii torserunt cornua nautae;
Laboriosa nec cohors Ulyssei [52]).
Jupiter [53]) illa piae secrevit litora genti,
Ut [54]) inquinavit aere tempus aureum;
Aerea dehinc ferro duravit saecula, quorum
Piis secunda, vate me, datur fuga.

Ode XII.

In Canidiam.

Argumentum.

Tanta hujus carminis cum Epod. V. est conjunctio, mutuaque rerum ac sententiarum inter se relatio, ut telam isto scitissime inchoatam, hoc demum detexi absolvique, facillimum sit intellectu. Scilicet, quo mordacior vanissimae artis magicae irrisio esset, ironice poëta efficaciam ejus in Varo postrema, quam Canidia se praeparaturam minata fuerat gravissimam, incantatione supra fidem ita comprobatam ostendit, ut, quo certior rei fides esset, eundem Varum miserias suas, aestumque animi, in quem devotione ista conjectus esset, Aetnea flamma saeviorem, oratione explicantem, ejusque levamen ac finem flebilibus modis a Canidia exposcentem inducat. Precibus laudes ejus subtexit Varus,

---

50) Argoo remige contendit, id est, navis Argo huc non adpulit, Graeciam repetens, in qua adeo vehebatur Colchis, Medea impudica, projecto pudore externum virum Jasonem sequuta, scelesta, impia.

51) Neque Sidonii, nautae Phoenices, cornua scilicet antennarum, seu antennas, vela huc torserunt, isti obverterunt litori, pro, huc adpulerunt. Sidon, est urbs Phoeniciae.

52) Nec laboriosa cohors, id est, Ulysses laboriosus, qui multos labores pertulit, cum sociis. Ulyssei a nominativo, Ulysseus. Homerus ejus fata cecinit carmine epico. In descriptione autem harum insularum, poëtam colores a temporibus aureae aetatis desumsisse, in aperto est.

53) Jupiter secrevit haec litora, discretas has a ceteris hominibus sedes habitandas adsignavit piis, ab aetatis suae labe integris, qui in feracissimo scelerum proventu innocue vixissent.

54) Ut, seu, postquam aureae aetati deinceps successit aerea, ac ferrea. Aurum inquinatur, corrumpitur, deterius fit, aere admixto; mox aerea secula ferro duravit, quorum, seu cujus ferreae aetatis fuga datur, id est, ex quo ferreae aetatis consortio aufugere licet piis, probis, seu meliori parti nostrum, quae bella civilia detestatur; me vate, pro, me auctore et suasore; secundo omine, sub faustissimis auspiciis.

---

si forte blanditiis istis emolliatur, sibique tandem ignoscat; quibus tamen Palinodiae Archilochiae formam plane induit, ut haud difficile ad judicandum sit, mulierem istam iis omnibus probris, maleficiis, sceleribus, a quibus puram eam praedicat, fuisse inquinatissimam. Jam carmen absolutum videri poterat; sed rem ad summum produxit poëta, inducta Canidiae, respondentis Varo, semetque ipsam risum facientis, persona. Haec enim Varum animi verba loquutum, seque adeo, quae voluisset, assequutam rata, omnibus sese laetitiis efferens, ita insultat Varo, ut sancte ei vitam ipsa spe sua longiorem polliceatur, quo diuturniores scilicet cruciatus essent, ac tales quidem, ut violenta morte, frustra tamen, iis sese subducere tentaturus sit. Atque ex ipsa argumenti delineatione exquisitam poëtae artem in traducenda Canidia effusam facile est assequi.

Metrum jambicum.

⏑ – | ⏑ – | ⏑ – | ⏑ – | ⏑ – | ⏑ ⏑ |

Varus.

Jam [1]) jam efficaci do manus scientiae
Supplex, et [2]) oro regna per Proserpinae [3]),
Per et Dianae non [4]) movenda numina,
Per atque libros [5]) carminum valentium
Refixa caelo devocare sidera,
Canidia, parce [6]) vocibus tandem sacris,

---

1) Varus loquitur. Summa exordii: tandem, idque maximo infortunio meo fateri cogor, scientiam artis magicae, quam hactenus vanissimam habui, esse efficacissimam, veneficiorum vim esse praesentissimam, in me ipso potentiam eorum expertus. Do manus, concedo, largior. Victi solent manus porrigere vinciendas. Scientiae, arti magicae.

2) Oramus atque obsecramus alterum per res, quas ei scimus carissimas esse atque sanctissimas. Adposita igitur obsecratio est ad Canidiam, pharmaceutriam, per res inferas, quibuscum magiae arctissima conjunctio est.

3) De Proserpina uxore Plutonis vide Myth.

4) Non movenda, id est, non irritanda ad iracundiam; erat enim Diana, sive Luna, gravis in peccantes et acerba, neque mortem solum et pestilentiam hominibus, sed etiam amentiam immittere credebatur. Hinc illi amentes, qui lunatici adpellantur. Quid, movere numina, et quatere? vide L. I. od. 16. not. 17.

5) Artem efficacissimam magicam vocat libros carminum, valentium devocare sidera, id est, quae ipsam lunam cum sideribus deducere possunt, quandoquidem hoc inter summa fere virtutis magicae miracula refertur. Sidera refixa, quae caelo adfixa sunt, ex antiquissima opinione.

6) Parce: noli me persequi et vexare carminibus tuis sacris, siste incantationem.

Citumque retro solve [7]), solve turbinem.
Movit [8]) nepotem [9]) Telephus [10]) Nereium.
In quem superbus ordinarat agmina
Mysorum, et in quem tela acuta torserat.
Unxere matres [11]) Iliae addictum feris
Alitibus, atque canibus homicidam Hectorem;
Postquam [12]) relictis moenibus rex procidit,
Heu! pervicacis [13]) ad pedes Achillei.
Setosa [14]) duris exuere pellibus
Laboriosi remiges Ulyxei,
Volente Circe, membra; tunc mens et sonus [15])
Relapsus, atque notus in vultus honor [16]).
Dedi [17]) satis superque poenarum tibi,
Amata nautis multum et institoribus.

7) Solve retro: retro age turbinem. Utebantur magi in suis incantationibus, turbine, sive rhombo, quem filis et taeniolis involutum circumagebant; ut autem irrita esset incantatio, inhibebant motum; ut incantatio eadem valeret in contrariam partem, turbinem retro seu in aliam partem vertebant.

8) Magnam irrisionis vim habent placatae maximorum heroum, nominatim Achillis, irae exempla, quibus Canidiam ad misericordiam perducere conatur poëta.

9) Nepotem Nerejum, Achillem, genitum Thetide, filia Nerei.

10) Telephus, Mysorum rex, qui cum Trojam petentes Graecos arceret Mysia, negaretque transitum, ab Achille vulneratus est: oraculo consulto, responsum fuit, eum ab eodem tantum sanari posse, a quo vulnus accepisset; supplex igitur Achillem adiit, qui decussa in vulnus Telephi hastae suae rubigine, hominem persanavit.

11) Idem Achilles Hectoris corpus suis sepeliendum reddidit, a Priamo exoratus. Matres, id est, matronae Iliae, Trojanae, unxerunt balsamo, et aromatis delibutum tumularunt cadaver Hectoris, addictum, seu destinatum ab Achille vulturibus feris. Homicidam, ανδροφονον, Homericum epithetum.

12) Postquam Priamus, rex Trojanorum, relictis moenibus urbis, castra Achivorum ingressus, Achilli supplex factus est. Vide L. I. od. 9. not. 13.

13) Pervicacis: cedere nescii, quantumvis duri, pertinacis.

14) Sensus: setosa seu porcina membra exuerunt remiges, seu socii Ulyssis, a Circe in sues aliasque bestias immutati, ab eademque, Ulysse deprecante, pristinae formae restituti sunt. Duris pellibus, id est, dura cute. Laboriosi, multis laboribus exercitati. Vide Homer.

15) Sonus, vox humana, quae antea dilapsa erat, evanuerat, iterum relapsa est, corpori sese insinuabat; iis reddebatur.

16) Notus honor: proprium oris decus, pristina humana facies.

17) Videtur hic Varus Canidiam laudare, quasi tam pulchra sit, ut mereatur habere tot amatores, sed revera magis illam vituperat. Scilicet si sententiam urbanitate sua denudes, erit: o propudiosae libidinis mulier,

Fugit [18]) juventas, et verecundus [19]) color
Reliquit ossa, pelle amicta lurida;
Tuis [20]) capillus albus est odoribus,
Nullum [21]) a labore me reclinat otium.
Urget [22]) diem nox, et dies noctem, neque est
Levare tenta spiritu praecordia.
Ergo [23]), negatum, vincor, ut credam miser,
Sabella pectus increpare carmina,
Caputque Marsa dissilire naenia.
Quid [24]) amplius vis? O mare et terra! ardeo,
Quantum neque atro delibutus [25]) Hercules
Nessi cruore, nec Sicana [26]) fervida

quae te adeo prostituis, homines vilissimae sortis amando! Satis me vexasti tuis magicis carminibus, quae amaris impense a nautis et mercatoribus.

18) Sequuntur effectus amoris vehementissimi.

19) Verecundus color: rubicundus; rubor enim est verecundiae et pudicitiae color. Sensus: color vividus deseruit ossa mea, quae nunc sunt amicta lurida pelle et pallida.

20) Sensus: mei capilli jam canescunt, propter tuos odores, id est, veneficiis, incantatione tua; non quod noxiis unguentis, quibus festinentur cani, caput Vari tinxerit Canidia; sed quod ex amoris injecti diritate tantam animi aegritudinem contraxisset, ut crines albescerent.

21) Sensus: continua animi anxietate opprimor. Ne tantillum quidem temporis datur, quod vacuum sit, quo reclinare me, requiescere possim, animus relaxetur a labore, cruciatu, angore.

22) Urget. Diem, molestiae laborisque plenum, excipit laboriosa graviorque nox; vel, interdiu noctem desidero; et noctu, cum mihi sit inquieta quies, diem postulo, luce noctem, nocte lucem exspecto; neque tamen licet spiritum ducere; libere respirare non possum, et pulmones fessos distentosque liberiori anhelitu relaxare; praecordia enim seu pulmones respiratione levantur, tolluntur.

23) Ordo verborum: sane effecisti, quod volueras, ecce me victum, eo jam adductum, ut credam negatum, quod antea mihi persuadere haud potueram, nimirum carmina magica (quae sabella vocat, vel quod Canidia Sabina esset, vel quod in Sabinorum regione multi magi reperirentur) pectus increpare, id est, animos hominum perturbare, quatere, agitare; et Marsa Naenia seu magica incantatione caput findi, frangi. Apud Marsos enim etiam multum viguit ars magica. Sensus ergo simplex est: convictus sum nunc, artes magicas efficacissimas esse. Vide od. 5. not. 56.

24) Quid ulterius saevis in me, amoris tui flammis perustum ac maceratum, quod quidem veneficiis tuis effectum dare volueras?

25) De Herculis fato vide od. 3. not. 15. Delibutus, hoc est, veste, Nessi cruore infecta, indutus.

26) Quanta nec Aetnae flamma est. Ordo est: ardeo, quantum nec ardet Sicana, id est, Sicula flamma, furens in Aetna fervida.

Furens in Aetna flamma. Tu [27]), donec cinis
Injuriosis [28]) aridus ventis ferar,
Cales venenis officina Colchicis.
Quae finis? aut quod me manet stipendium [29])?
Effare: jussas [30]) cum fide [31]) poenas luam;
Paratus expiare [32]), seu poposceris
Centum juvencos, sive mendaci [33]) lyra
Voles sonari; tu [34]) pudica, tu proba
Perambulabis astra sidus aureum.
Infamis [35]) Helenae Castor offensus vice,
Fraterque magni Castoris, victi prece,
Ademta vati reddidere lumina.
Et [36]) tu, potes nam, solve me dementia,

27) Sententia vulgaris: tu, nihil mei miserata urges opus tuum, non prius desistis a coepta incantatione, quam plane absumtus atque in cinerem redactus fuero. Tu cales venenis: tu nova usque igni magico, quo torreor, alimenta suggeris, ut plane inde calescas, colluceas, officinae instar: unde eo devenit poëta, ut ipsam Canidiam translate officinam diceret. Canidia ergo calida venenorum officina dicitur, quatenus magicarum rerum adparatum, quo instructissima est, digerit, et usui adhibet, ad Varum excruciandum conversa.

28) Injuriosis, protervis ventis ferar, dissiper, per auram jacter.

29) Stipendium, proprie est pecunia militibus in diem dari solita, stips, quae illis penditur; hinc etiam pro praemio quolibet usurpatur; praemium autem de supplicio et mercede dicitur. Sensus ergo est: quae definis, quid destinas? quam jubes me poenam pendere, vel, quid tibi a me jubes persolvi, quo liberer, quo solvar dementia?

30) Jussas, a te constitutas.

31) Cum fide, id est, fideliter, ut imperatis satisfaciam.

32) Paratus expiare; redemturus culpam meam vel Hecatombe, aut carmine, quo tuas virtutes scilicet aeternitati consecrem.

33) In vocabulo, mendaci, jacet ironia. Sonari, id est, laudari.

34) Tu, quod pudicitia ac probitate tua mereris, effereris in caelum laudibus, refereris a me inter sidera. Perambulabis: quatenus Canidia, novum sidus Horatii, ope facta, per caelum sese cum reliquis movebit sideribus. Aureum, idem ac, splendidum.

35) Multae artis est locus hic, qui sequitur, in Canidia placanda, eademque mordacissimis contumeliis proscindenda ad Archilochi exemplum plane elaboratus. Sensus est: Castor ejusque frater Pollux, offensi vice, id est, ignominia, calamitate, et sorte adversa Helenae sororis suae, quam poëta Stesichorus, Himeraeus ille jambographus, infamem reddiderat; victi tamen et placati precibus ejusdem poëtae ac palinodiae, illi reddiderunt lumina, quibus eum privaverant. Stesichorus carmen de Helena scripserat, in quo ejus libidinem belli Trojani causam esse dixerat; oculis dehinc captus, recantavit, quae cecinerat; ajuntque visum illi restitutum fuisse.

36) Preces hae ad Canidiam fiunt, tanquam Deam, quo facilius placetur, Dioscurorum exemplo adducta, id, quod declarat formula: nam potes. Solve me dementia, amoris insania, cruciatibus, mentem mihi eripientibus.

O [37]) nec paternis obsoleta [38]) sordibus,
Nec [39]) in sepulcris pauperum [40]) prudens anus
Novendiales [41]) dissipare pulveres;
Tibi [42]) hospitale pectus, et purae manus.

Canidia.

Quid [43]) obseratis auribus fundis preces?
Non saxa [44]) nudis surdiora navitis
Neptunus alto tundit hibernus salo.
Inultus [45]) ut tu riseris Cotyttia [46])
Vulgata, sacrum liberi Cupidinis?

37) Preces sequuntur laudes blande palpantis speciem habentes, sed mordacissimo felle suffusae.

38) O quae nec obsoleta, foeda, immunda, abjecta es propter paternas sordes, natales sordidos, humiles, quae adeo nobilissimo genere oriunda es.

39) Nec per artes magicas nefaria perpetras. Et pro hoc: haud prudens, quare docta anus (satis amare hoc adjectum) es, dissipare; haud dissipas pulveres, eruis, furaris cineres novendiales, nono, postquam corpus mortuum aut crematum esset, die reconditos, adeoque recentes, vixdum repositos, tepidos adhuc. Hos enim cum ossibus expetebant sagae, utpote ad praestigias magicas tanto efficaciores, quo tepidiores adhuc ab igne rogi essent.

40) Pauperum: divitum sepulcra, ne aut feris aut veneficis paterent, sedulo custodiebantur; non ita pauperum.

41) Novendiales: apud Majores inquit Servius, ubi quis fuisset exstinctus, domum suam referebatur, et illic septem diebus erat; octavo incendebatur; nono sepeliebatur. Acron triduo tantum ait servatos fuisse in aedibus mortuos; post triduum impositos rogo, atque iterum post triduum cineres in urnam conditos. Itaque novendiales significabit cineres per dies novem servatos, proprie enim novendiale est, quod novem diebus durat.

42) Tibi pectus hospitale, mite, misericors; a tuis veneficiis abest saevitia, crudelitas. Manus purae: scelere gravi haud pollutae; tu non surripis pueros, quos lenta fame neces. Omnia autem haec contrarium in sensum sunt accipienda, quod superius per mendacem lyram poëta indicavit.

43) Exquisitae artis est ironia, in ipsam Canidia orationem invecta, qua, eam cupide credentem, quae Varus per cavillationem de potentia artis ejus conquestus esset, stolideque inde ferocem inducendo, turpiter ludos facit poëta. Obseratis, clausis, surdis.

44) Non saxa: scopuli, qui fluctibus iratis verberantur alto in mari seu salo, non sunt surdiores nautis nudis, id est, naufragis, quam ego sum tibi; ad naufragorum preces et ejulatus non magis surda sunt saxa, quam ego ad tuas. Neptunus hibernus, mare procellosum.

45) Nexus sententiarum: egone feram, ut tu inultus, impune riseris,

Et [47]) Esquilini pontifex [48]) venefici [49])
Impune ut urbem nomine impleris meo?
Quid [50]) proderit ditasse Pelignas anus,
Velociusve [51]) miscuisse toxicum?
Sed [52]) tardiora fata te votis manent:
Ingrata misero vita ducenda est, in hoc,
Novis ut usque suppetas doloribus.
Optat [53]) quietem Pelopis [54]) infidus pater,

deluseris, contemseris incantationem meam, qua amorem tuum iterum ad me convertere parabam?

46) Cotyttia, subaudi, mysteria. Cotyttus enim sacra, a Thracibus profecta, nocturna erant, in quibus magi et venefici omni genere obscoenitatum libere et promiscue se conspurcabant; unde sacrum adpellat Cupidinis liberi, effrenis, poëta. Cotytto, Dea impudicitiae.

47) Sensus: et quasi esses censor ac judex veneficiorum, quae tractare soleo et peragere in Esquilino monte, et nocturnorum sacrificiorum, me tanquam infamem Urbe tota traduxeris?

48) Pontifex; cura sacrorum et cognitio pertinebat ad Maximum Pontificem; quo nomine Canidia Varum sic vocat, quia ausus erat sacra magica insectari et exquirere.

49) Venefici, hoc est, magici, ab Esquilino monte, ubi artis suae instrumenta, quia ibi multa erant sepulcra, praecipue pauperum, conquirere solebant veneficae.

50) Sententia esse videtur: quemnam fructum artis meae, a Pelignis sagis, ingenti data mercede, mihi traditae, ferrem, si hoc tibi sic abire paterer, nisi ea te ulciscerer, ut ne impune in me illuseris. Habet vero amari salis ut plurimum, quod Canidiam ad Pelignas anus confugisse perhibeat, unde artes magicas, ut amatores sibi conciliaret, magno pretio addisceret. Peligni enim, Marsis et Sabinis vicini, etiam erant infames ob veneficia.

51) Sensus: ac didicisse, quomodo venena velocissima paranda sint?

52) Nexus sententiarum: irritae tuae preces sunt, quibus finem cruciatuum quaeris; quos quidem ita intendam ac protraham, ut vitae diuturnitatem incusaturus sis, quam tamen, vel invito tibi, unice in hunc finem servabo, ut novis usque doloribus suppetas, cruciatibus vacans, ut habeam quem cruciem. Finem adeo miseriarum non sperandum esse Canidia ex sua comminatione satis acerbe Varo colligendum dat.

53) Sententia vulgaris: mortem aerumnarum finem exoptabis, sed frustra. Hanc sententiam Tantali, Promethei et Sisyphi, aeternis poenis a Jove alligatorum, exemplis designat poëta.

54) Tanlalus, qui infidus dicitur, quasi infidelis, quod Jovem, Neptunum et alios Deos, qui ad ipsum deverterant, Deos esse non credens, iis suum filium Pelopem, clam a se interfectum, adposuit epulandum, tentaturus, an id agnoscerent. Ob id scelus detrusus ad inferos, aeterna siti ac fame torquetur. Alii dicunt idcirco vocari infidum, quia, quae sibi a Jove inter epulas concredita erant arcana, eloquutus est.

Egens benignae [55]) Tantalus semper dapis;
Optat Prometheus [56]) obligatus aliti;
Optat supremo collocare Sisyphus [57])
In monte saxum; sed vetant leges Jovis.
Voles [58]) modo altis desilire turribus,
Modo ense pectus Norico [59]) recludere;
Frustraque vincla [60]) gutturi nectes tuo,
Fastidiosa tristis [61]) aegrimonia.
Vectabor [62]) humeris tunc ego inimicis eques,
Meaeque terra cedet insolentiae.
An [63]) quae movere cereas [64]) imagines,
Ut ipse nosti curiosus, et polo
Deripere Lunam vocibus possim meis,
Possim crematos excitare mortuos,

55) Dapis benignae, copiose adpositae, semper egens; in media rerum copia fame misere cruciatus.

56) Prometheus obligatus aliti; alligatus, ut aliti obnoxius esset, ut cor ejus ab aquila velleretur. Vide L. I. od. 14. not. 13.

57) De Sisypho vide L. II. od. 11. not. 16. In monte supremo, id est, in montis vertice, ne revolvatur.

58) Sententia vulgaris: ac ne mutare quidem tuum fatum poteris, quantumvis voles. Diversa maturandi fati, quae enumerat, genera praeclare anxietatem animi repraesentant, qua Varum ad id compulsum iri Canidia praedicit.

59) Ensis Noricus designat ensem ex optimo ferro, cujus ferax fuit haec Germaniae provincia. Vide L. I. od. 14. not. 9.

60) Nectes vincla gutturi, id est, te suspendere voles.

61) Tristis, animi aegritudine oppressus; fastidiosa, vitae taedium adferente.

62) Sententia vulgaris: tunc insolentissime me efferam, superbissime tibi misero illudam. Ordo est orationis: terra cedet mihi, pro, repellam terram, levabo me, adsiliam in te, et humeris inimicis, hoc est, tuis eques vectabor, inequitabo, insidebo; inequitare enim alicui, est, insultare. Hanc autem metaphoram et vetus adagium, sumtum aliqui volunt, a ferissimo victorum, victis insultantium, more, Homero, Virgilio et aliis memorato. Pro, mihi, posuit poëta: meae insolentiae.

63) Sententia esse videtur: an artem meam, in te solo vanam, nihil contra te valere conquerar, qua multo majora effecerim? pro: an existimas mihi plorandum esse ob artem meam in te inefficacem, an dubitas, me ista efficere posse, quam multo majora felicissimo cum successu adgressam ipsemet videris? Demta ergo interrogatione erit: atque istud artis meae documentum me in te statuere posse, tu temet ipse fateberis, mihi largieris, ut quae longe potentiora, inspectante te, patraverim.

64) Cereas imagines. Imaginibus hominum e cera fictis utebantur magicae artis periti, easque movebant, laniabant: ut vivos homines absentes agitatos et percussos volebant.

Desiderîque [65]) temperare poculum,
Plorem artis, in te nil habentis exitum?

Carmen Seculare.

Occasio et argumentum.

Quum libri Sibyllini praeter ceteras dierum secularium solennitates hymnum in Apollinem et Dianam, ad quos ii potissimum spectarent, a choro puerorum ac virginum canendum praeciperent, Horatio honorificentissimum hoc munus ab Augusto, qui a. u. 737 adparatius eas adornandi cepisset consilium, demandatum fuisse, diserte in vita Nostri tradit Suetonius. Vertente enim quolibet seculo, Romani dies festos ludosque celeberrimos agebant, certasque preces et hymnos canebant, qui ea propter seculares dicti sunt. Eloquitur poëta in hoc carmine pios ac religiosos sensus, animumque ad eos perducit. Laudes autem Apollini et Dianae ita dicit, ut diversas ac multiplices eorum virtutes ac potestates variis ipsorum adpellationibus indigitet; in qua ipsa tamen summus delectus adparet, laudatis ampleque exornatis iis potissimum virtutibus, quae rei Romanae statum integrum florentemque praestarent. Licet autem hoc carmen ad Apollinem et Dianam maxime referendum esset, tertio quippe ludorum die in Apollinis Palatini aede canendum; ceteros tamen Deos, ut secularis hymni adpellatione dignum hoc carmen evaderet, veluti aliud agens, scite intexebat. Denique bellicas ac togatas Augusti laudes artificiose admodum immiscuit. Vide L. IV. od. 5.

Metrum L. I. carm. 2.

Phoebe [1]), Silvarumque [2]) potens Diana,
Lucidum [3]) caeli decus, o colendi

65) Desiderii, id est, amoris poculum seu potum temperare, praeparare.

1) Exorditur poëta carmen solenni invocatione Apollinis et Dianae. Hae enim divinitates triduo festi secularis ex ea ratione prae ceteris Diis invocabantur, quia seculum diebus et noctibus, itemque mensibus et annis constat, quorum alteris praesidet Sol, alteris Luna.

2) Silvarum potens: Domina praeses.

3) Lucidum caeli decus: ad utrumque, Apollinem et Dianam referri debet.

Semper et culti, date, quae precamur
Tempore [4]) sacro;
Quo [5]) Sibyllini [6]) monuere versus,
Virgines lectas, puerosque castos,
Dîs, quibus septem placuere colles [7]),
Dicere carmen.
Alme [8]) Sol, curru nitido diem qui
Promis [9]), et celas; aliusque [10]) et idem
Nasceris; possis [11]) nihil urbe Roma
Visere majus.

4) Tempore sacro, id est, festis diebus, qui vertente seculo summa religione peragi solebant.

5) Quo tempore Sibyllae suis versibus praeceperunt, ut 27 virgines totidemque pueri solenne carmen dicerent Diis, Romae, in qua colles septem, praesidibus et custodibus.

6) Sibyllae fuere virgines quaedam fatidicae, quibus futuri notitiam Deus in praemium castitatis videbatur indulsisse. Decem vulgo numerantur; insignis est ea, quae Cumana dicebatur. Tarquinio superbo Romanorum regi, una quaedam ex illis 9 libros obtulit, in quibus reipublicae Romanae fata contineri diceret, petiitque pretium 300 nummorum. Recusante rege, 3 libros in ignem conjecit; idemque pretium pro reliquis poposcit. Irridente rege, tres alios libros cremavit, et pro aliis tantumdem petere perrexit. Quod Tarquinius admiratus, et pretium persolvit, et libros inter imperii Romani sacra haberi voluit, adhibitis viris, qui eos et servàrent in Capitolini Jovis sacrario, et, cum opus esset, consulerent. Illi viri primum duo, deinde 10 et demum 15 fuere. Isti libri Syllae tempore, incenso Capitolio, cum deflagrassent, conquisiti sunt orbe toto versus Sibyllini omnes, et ex iis confecti novi codices, ac pristina religione servati, qui demum imperante Honorio exusti sunt.

7) Colles septem: Aventinus, Capitolinus, Coelius, Esquilinus, Palatinus, Quirinalis, Viminalis. Additi sunt postea adhuc duo: Vaticanus et Janiculus.

8) Sequuntur ipsae preces, quas ita dispertit poëta, ut, munerum utriusque Numinis habita ratione, nunc Apollinem, nunc Dianam invocet. Est tamen, ubi unius tantum meminit, ubi uterque ponendus fuisset: ut in primis statim precibus, super augenda conservandaque imperii Romani magnitudine ac splendore factis. Alme; ea vox ab alendo ducta est; de Sole dicitur, quia Sol omnia educat alitque.

9) Promis et celas: profers et condis.

10) Sol alius idemque nascitur, quotidie nitorem suum reparans, renovato usque splendore exsurgens. Solem enim diurno cursu hebetatum ac languidum, vires reparare, sicque alium semper nasci, antiqua erat persuasio.

11) Possis, quamvis terrarum opera omnia lustres, nihil visere majus Roma, quod Romani imperii magnitudinem exsuperet; adeoque: fac Roma sit princeps urbium, imperiique totius terrarum orbis sedes!

Rite [12]) maturos aperire partus
Lenis Ilithyia [13]), tuere [14]) matres;
Sive tu Lucina probas [15]) vocari,
Seu Genitalis.
Diva, producas [16]) subolem; Patrumque [17])
Prosperes decreta super jugandis
Feminis, prolisque [18]) novae feraci
Lege marita:
Certus [19]) undenos decies per annos
Orbis ut cantus referatque ludos,
Ter die claro, totiesque grata
Nocte frequentes.
Vosque [20]), veraces cecinisse, Parcae,

12) Preces ad Dianam: Ordo est: o Ilithyja, quae lenis es, facilis et propitia, aperire, id est, in lucem proferre maturos partus; quae lenis es ac benigna in partubus et foetibus e matrum alvo educendis.

13) Ilithyja est nomen Dianae, quatenus parientes juvat, a Graeco vocabulo Εἰλειθυια, quae vox partum significat. Idem ergo quod Lucina et Genitalis apud Latinos. Vide Mythologiam.

14) Tuere matres puerperas.

15) Probas: mavis. Erat autem haec apud veteres religio, ut eo nomine Deos vocarent, quod ipsis putarent acceptissimum, et rei, quam postularent, convenientissimum; unde multa saepe illorum nomina congerebant, ignari, quod nam esset omnium acceptissimum.

16) Producas, id est: tuere et serves, ad adultam aetatem pervenire jubeas sobolem.

17) Patrum, senatorum seu senatus decreta de matrimonio jungendis feminis, ac lege marita, seu super lege de maritandis ordinibus, ab Augusto lata, facta prosperes, faustum eventum habere jubeas. Perlata quidem haec lex de maritandis ordinibus fuit 757 anno demum. Sed saepius hoc antea Augustus agitaverat, primum 726, deinde ipso hoc ludorum secularium a. 737, obstante iterum recusantium multitudine ac tumultu.

18) Lex novae prolis ferax, id est: augendae proli inserviens.

19) Ut et imposterum respublica civium multitudine sit florentissima, novis usque auctibus incolumis perstet. Quo blandiore vi preces istae mentem Deorum tangerent, sententiam ita convertit poëta, ac si ipsorum res agatur, ob quam adeo faciles se iis praebituros esse spes esset. Vulgaris enuntiatio erat: novam usque prolem date, ut decurso 110 annorum spatio, solennia ista sacra secularia in vestrum honorem magna civium frequentia iterum celebrari possint. Ordo est: precamur, vel facite, ut certus orbis, id est, certa annorum conversio, per annos decies undenos facta, referat cantus et ludos frequentes, per tres dies claros, totidemque gratas noctes. Ceterum patet exinde, seculares ludos non centesimo quoque, sed centesimo decimo celebratos esse anno.

10) Preces ad Parcas intexit poëta e Sibyllae praescripto, sacra iis per lu-

Quod semel dictum, stabilisque rerum
Terminus servat, bona jam peractis
Jungite [21]) fata.
Fertilis [22]) frugum, pecorisque Tellus
Spicea [23]) donet Cererem corona:
Nutriant [24]) fetus et aquae salubres,
Et Jovis aurae.
Condito [25]) mitis, placidusque telo [26]),
Supplices audi pueros, Apollo.
Siderum regina bicornis [27]), audi,
Luna, puellas.
Roma [28]) si vestrum est opus; Iliaeque
Litus Etruscum tenuere turmae;
Jussa pars mutare lares, et urbem
Sospite cursu:

dos istos fieri jubentis. Ordo est: vosque o Parcae, veraces cecinisse, Graece, pro, veraces in canendo, quae veridicos cantus editis, quarum decretum verum, ratum immutabile est, quod semel dictum est, quod semel eventurum statuistis, quodve terminus, finis, exitus, eventus stabilis servat; pro, stabilit, confirmat; id est, quod certo eventu confirmatur.

21) Jungite jam bona peractis, seu praeteritis fata; futura quoque populi Romani fausta esse ac prospera velitis, jubeatis. De Parcis vide Mythologiam.

22) Telluri Deae itidem sacrum faciendum praecipiebant libri Sibyllini. Vulgaris enuntiatio: Tellus largum frugum pecudumque proventum praebeat.

23) Spicea donet Cererem corona; haec enim Deae isti in magna frugum copia offerri solebat.

24) Nutriant fetus: incrementa praebeant fetibus, id est, omnibus proventibus tam agrorum, quam animalium, aquae seu pluviae, et aurae, adflatu suo vitam ac vires sufficientes. Jupiter etiam pro aëre sumitur.

25) Iterum ad Apollinem et Dianam convertitur chorus, ut preces suas ratas esse velint. Distribuit invocationem poëta ita, ut Chorus puerorum Apollinem, puellae Dianam implorent; unde magna cum veri specie colligas, nonnulla hujus carminis alternis decantata fuisse vicibus.

26) Condito telo: conjectis enim in terras telis pestem et morbos putabatur immittere.

27) Luna bicornis, qualis est primis novilunii diebus. Luna et Diana porro pro eodem numine sumuntur.

28) Sententiarum ordo est: si Trojani vestro hortatu ac monitu, relicto Ilio, Italiam Aenea duce petiere: conservate istam civitatem, omnibusque, quae privatam cujusque felicitatem, publicamque universi populi incolumitatem ac majestatem tueri, ornare, augere possint, cumulatissimam praestate. Si Roma vestrum opus est: id est, si novi in Italia regni condendi, cujus domicilium Roma futurum esset, Trojanis auctores fuistis. Si

Cui [29]) per ardentem sine fraude [30]) Trojam
Castus [31]) Aeneas, patriae superstes,
Liberum munivit iter, daturus
Plura relictis:
Di [32]), probos mores docili juventae;
Di, senectuti [33]) placidae quietem,
Romulae [34]) genti date remque, prolemque,
Et decus omne.
Quique [35]) vos bŭbus [36]) veneratur albis,
Clarus Anchisae, Venerisque sanguis,
Imperet bellante prior; jacentem
Lenis in hostem.
Jam [37]) mari terraque manus [38]) potentes

Iliae turmae, pro, si Trojani, eversae patriae superstites; jussa pars, id est, jussi, oraculi Apollinis monitu mutarunt Lares et urbem, patriis sedibus migrarunt, ac, sospite cursu, prospera navigatione litus Etruscum tenuere, in Italiam pervenere etc. Oracula ab Apolline accepta, quibus Trojani Italiam, qua considerent, quaerere juberentur, a poëta respici, per se patet.

29) Cui turmae, seu, cui Trojanorum parti, quae exigua erat, pius Aeneas, superstes patriae, per medios Trojae ignes iter aperuit in Italiam, daturus illi turmae suae, et genti plura, id est imperium majus, urbem florentiorem, res melius constitutas illis, quas reliquerant; nempe Romam fundaturus, Troja potiorem.

30) Sine fraude, periculo, damno.

31) Castus, pius; sceleris purus.

32) Sequitur apodosis hujus periodi. Mores probos: solida quippe fundamenta, quibus innitatur salus ac splendor civitatis. Augusto hoc dedit poëta, qui Romanos ad pristinam morum sanctitatem, pluribus saluberrimis legibus latis, reducere conaretur. Juventam speciatim commemorat, quod ea maxime sit docilis, tractabilis, ad probitatem ceterasque bonas artes fingi possit.

33) Tranquillitatem ac securitatem internam depingit senectus quieta in otio constituta.

34) Romulae genti, Romuleae, universae Civitati largimini rem, opum affluentiam, prolem copiosam, et decus omne, quidquid gloriam ac majestatem imperii promovere possit.

35) Summum jam subjicit poëta, populo Romano expetitum, imperium totius orbis terrarum, Augusti virtute partum ac tuendum. Summa adeo precum est: Augusti imperio totus terrarum orbis subjectus sit. Facite, ut Augustus, ab Anchisa et Venere, per Aeneam, et adoptionem in Caesaris familiam, oriundus, imperium orbis terrarum obtineat; prior, id est, potior, superior bellante, hoc est, hoste bellum ipsi inferente, regnet ac hostes armatos vincat, subjectis domitisque parcat.

36) Bubus albis: sacris intererat Augustus, et victimas albas, tales enim Diis superis immolabantur, mactabat.

37) Sententia: jam terra marique hostes a populo Romano victi subactique sunt; terrae marisque dominium, assertore Augusto, Romanis cessit. Ad generalem autem sententiam revocanda illa, mari terraque, quandoquidem cum nullo populorum, qui a poëta commemorantur, mari certatum fuisse, ac ne certari quidem potuisse constat. In altero autem, quod navales Augusti victorias, de Sexto Pompejo Antonioque reportatas, non diserte exponit, causa est, quod mentionem male ominatam bellorum civilium inter sacra refugerit.

Medus, Albanasque timet secures:
Jam Scythae responsa [39]) petunt, superbi
Nuper, et Indi [40]).
Jam [41]) Fides et Pax, et Honos, Pudorque [42])
Priscus, et neglecta redire Virtus
Audet; adparetque beata pleno
Copia [43]) cornu.
Augur [44]), et fulgente decorus arcu
Phoebus, acceptusque novem Camenis,
Qui salutari levat arte fessos
Corporis artus;
Si [45]) Palatinas videt aequus arces,

38) Manus potentes: potentiam Albanorum seu Romanorum timent Medi et Parthi; Alba enim quasi mater Romanorum fuit. Securis, in medio virgarum fasce posita, erat insigne Romanorum magistratuum, quod ab Etruscis sive Albanis sumserant Romani. Vide Hist. antiquam.

39) De Scythis saepius jam sermo fuit. Responsa, proprie oraculorum responsa dicuntur. Sensus est: Scythas, Indos etc. Romam, quasi ad oraculum publicum, accedere, audituros quid sibi agendum sit, leges pacis bellique accepturos. Superbi nuper, feroces, incursione in fines populi Romani facta. Vide L. III. od. 7. not. 18. et L. IV. od. 12. not. 33.

40) De legatione Indorum, ad amicitiam populi Romani et Augusti petendam, Suetonius in Vita Augusti c. 21 narrat, et jam alibi etiam sermo fuit.

41) Felicitatem seculi Augustei praeclare poëta ulterius exornat: aureaeque aetatis coloribus repraesentatam subjicit. Revisunt igitur jam terras Numina, reddita ab Augusto orbi terrarum pristina facie, tranquillitate, morum integritate, rerumque omnium copia.

42) Per Pudorem intelligitur justi reverentia.

43) Copia seu abundantia iterum in conspectum venit beata, dives, cornu instructa, gestans cornu plenum. Vide L. I. od. 15. not. 17. de cornu copiae.

44) Nova iterum Deorum invocatione novas preces, ut rem Romanam incolumem servent amplientque, exorditur poëta, ex priscorum hymnorum ingenio. Commemorat Apollinis munera 1. divinandi artem, 2. jaculandi, 3. canendi, 4. medendi; tot enim illi tribuebantur. Fulgente arcu decorus: gestans arcum fulgentem. Acceptus Camenis: ob idem musicae studium. Artus fessos, languidos, aegros levat, sana.

45) Si grata tibi Romae sedes est, si digno tuum numen templo vene-

Remque [46]) Romanam, Latiumque felix,
Alterum in lustrum [47]), meliusque semper
Proroget aevum:
Quaeque [48]) Aventinum tenet, Algidumque,
Quindecim [49]), Diana, preces virorum
Curet; et votis [50]) puerorum amicas
Adplicet aures:
Haec Jovem sentire, Deosque cunctos,
Spem bonam, certamque domum reporto,
Doctus [51]), et Phoebi, chorus, et Dianae,
Dicere laudes.

---

rati sumus. Respicit autem poëta templum, Apollini ab Augusto in monte Palatino magnifice exstructum. Aequus, propitius, seu placide. Si videt, id est, delectatur tam insigni sibi honore habito.

46) Apodosis: rempublicam Romanam, et, quod copia poëtica adjectum est, Latium felix in alterum lustrum et melius aevum semper proroget, id est, felicitatem, prosperitatem rei Romanae proroget; sartam tectamque in alterum lustrum, pro, in futurum tempus conservet, novisque semper incrementis auctet amplificetque.

47) Per lustrum hic non intelligitur lustrum commune, quod quinto quoque anno recurrebat; sed lustrum seculare, et ei simile, quod eo anno celebratum erat; solebat enim etiam secularibus ludis lustrari tota urbs.

48) Etiam Dianam obtestatur chorus per religiones in Latio ei instituas. Aventinus et Algidus, duo montes: ille Romae, hic non procul, in quibus aediculae duae, Dianae sacrae, visebantur.

49) Virorum 15, libris Sibyllinis custodiendis praefectorum, preces seu vota curet, id est, curae cordique ei sint, rata esse jubeat.

50) Votis puerorum, hoc est, nostris, parte chori tantum posita, quod utique liberum poëtae erat.

51) Epilogus. Chorus loquitur: edoctus, Phoebi et Dianae laudes edicere, spem bonam certamque domum reporto, hoc Jovem sentire Deosque cunctos et votis nostris adnuere.

REV 15

ÚK PrF MU Brno

3 1 2 9 S 0 1 2 8 4